TECA NAZIONALE
TORIO EMANUELE
8
8 A
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3
6
22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LUMINA SACRA
ET
AFFECTIONES PIÆ,

Quibus

Triplex Perfectionis Via illuſtratur, & dirigitur,

MAXIMÈ

Juxta methodum, & doctrinam Aſceticam

S. IGNATII

In libello Exercitiorum Spiritualium expreſſam,


EXERCITANTI, MEDITATURO, ET LECTURO profutura.

DATA LUCI PUBLICÆ

à LAURENTIO KEPPLER,

Soc. JESU Sacerdote.

Cum Facultate Superior. & Privileg. Sac. Caſ. Majeſt.



M.DC. LXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

SALISBURGI,
Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi Aulico-Academici.

Ignem veni mittere in terram, quid volo, niſi ut accendatur? *Lucæ* 12.

LUCEAT, ARDEAT.

Digitized by Google

MARIÆ
AUGUSTISSIMÆ
CÆLI, TERRARÚMQUE
REGINÆ.
SUPREMI PRINCIPIS
FILIÆ.
REGIS REGUM
MATRI.
SPIRITUS SANCTI
SPONSÆ.
VIRGINI VIRGINUM
PURISSIMÆ
TER ADMIRABILI
MATRI.
VASI INSIGNI
DEVOTIONIS.
ASCESEOS SACRÆ
MAGISTRÆ.
DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ
FAMULORUM MINIMUS

Digitized by Google

Ter Optimæ, Ter Maximæ

IMPERATRICIS

SERVORUM INDIGNISSIMUS.

PATRONÆ, ADVOCATÆ

DULCISSIMÆ

Clientum Infimus:

OPUSCULUM HOC TENUE

SERVITUTIS DEMISISSIMÆ,

OBSEQUII HUMILLIMI,

Amoris Studiosissimi

MONUMENTUM,

SUPPLEX

D. D. D.

L. K.

Digitized by Google

FACULTAS,

R. P. Præpoſiti Provincialis Soc. Jeſu per Superiorem Germaniam.

CUm liber, cui titulus eſt: LUMINA SACRA, & AFFECTIONES PIÆ, quibus triplex Perfectionis via illuſtratur, à P. LAURENTIO KEPPLER Soc. Jeſu Sacerdote conſcriptus, à deputatis Patribus lectus, probatúsque ſit: Ego BENEDICTUS PAINTER Soc. Jeſu per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id à P. N. Joanne Paulo Oliva ejusdem Societ. Præpoſito Generali, mihi conceſſâ, eum typis in lucem vulgari permitto; & Privilegium Cæſareum ſpeciale concedo, librum invito authore non recudendi, neque intra S. R. Imperij fines, & hæreditarias S. Cæſareæ Majeſtatis Provincias importandi. In cujus rei fidem has chirographo meo, & conſueto officij Sigillo munitas dedi. Auguſtæ 11. Junij. 1676.

(L.S.)

BENEDICTUS PAINTER

Digitized by Google

PRÆFATIO.

AD progreſſum in via Perfectionis, quæ ſecundùm ſuas tres ſemitas viatorem Purum, Pium, Perfectum efficit, plurimum facit:

Primum Oratio, quod multis probare ſupervacaneum cenſeo; cùm apud Aſceticos hoc ſit ex primis principiis, quæ in quavis ſcientia non probantur, ſed ſupponuntur. Solùm aſſero, quod Servator noſter toties ſuos ad orationem ſit adhortatus; Ipſe eidem tantum temporis dederit. Hunc fuêre imitati Apoſtoli, & quidem S. Paulus non contentus ſuis orationibus, alios ut pro ſe orarent, ardentiſſimis precibus rogavit ſcribens Romanis *cap. 15. Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me orationibus veſtris pro me ad DEUM.* Porro oratio eſt alia mentalis, vocalis alia: poſteriore omiſſa de priore agendo hæc ſummæ eſt nobilitatis. Quæ patet ex eo, quòd nulla ſit hominis actio, in qua ſi rerum naturam,

& vim

Digitized by Google

& vitiæ ſpectemus, major in Deum gloria redundet. Nam in hoc potiſſimùm illa conſiſtit, ut à nobis Deus cognoſcatur, & ametur: ſic etiam ipſe Deus gloriam à ſe accipit cognoſcendo, & amando ſe. Sic S. Joannes *cap.* 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant, &* (quod ſequitur) *ament te DEUM, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Quod igitur DEUS, & Beati agunt in cælis, hoc meditans agit in terris. Neceſſitas declaratur à S. Auguſtino *ſerm.* 117. *Sicut ex carnalibus eſcis nutritur caro, ita ex Divinis eloquiis homo nutritur.* Rurſum Deus eſt cauſa efficiens perfectionis noſtræ; at illa non poteſt aliter ad inducendam in animam noſtram perfectionem applicari, quàm oratione. P. Antonius Gaudier *cap.* 2. Inſuper S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 2. hoc modo probat. *Ex Divinâ Providentiâ non ſolùm diſponitur, qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine: inter alias autem cauſas eſt una etiam Oratio & Meditatio, quam David Pſal.* 118. *tanquam ſibi unicè debitum medium ponit ac petit, cùm ait: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuã &c.* Hunc ergò Deus tanquam medium neceſſarium diſpoſuit ab æterno ad effectum acquirendum; hinc *Matth.* 7. *Petite, & dabitur vobis.*

Digitized by Google

bis. Idem affirmant SS. Patres apud Rodriquez *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. Utilitatem ejus declarat S. Auguſtinus *hom.* 40. *&* 50. *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Contra *inſtabilis eſt* teſte S. Bonaventura *de ſex alis cap.* 3. *Bonorum operum ſtructura, quæ devotâ orationis frequentiâ non compaginatur, eſt ſicut paries ſine cæmento.*

Cùm orationis ſcopus ſit correctio affectuum inordinatorum, vitæ melioris inſtitutio, atque amoris Divini Flamma teſte P. Balthaſare Alvarez *vita cap.* 33. §. 1. Atque hi fines reſpondeant tribus viis Perfectionis Purgativæ videlicet in eradicandis vitijs, atque domandis paſſionibus: Illuminativæ in virtutibus inſerendis: Unitivæ in amore Divino, & anima Deo arctiſſimè jungenda, facilè colligi poteſt, quid potiſſimùm in Meditatione curandum, & qui fructus ſint colligendi. Non ſufficit verò horum ſenſum in oratione mentali (etſi ſubinde cum magna animæ conſolatione, ut loquitur citatus P. Alvarez) percipere; ſed hujus poſt finitam Meditationem meminiſſe. Quia autem memoria labilis eſt; nec ſui natura obliviſcitur, atque ſub oratione compreſſa ſtudet ſe ſibi reddere, ut aqua fervens ſuo ſe frigori reſtituit: valdè expedit

fru-

Digitized by Google

fructus, ac ſenſa Meditationum annotare; ut ſuo tempore relegantur, & ſpiritus, ſi fortè intepuit, denuò incaleſcat. Poſſunt autem lumina ſingularia â Patre Luminum clementiſſimè conceſſa in breves ſententias redigi, quæ volenti facilè occurrant.

Ad fervorem dictum, & ſpiritum in Meditatione conceptum nutriendum, & fovendum:

Alterum Perfectionis medium plurimùm confert Lectio pia, cui tantùm virium, quantum Meditationi tribuunt SS. Patres. S. Ephrē duo eſſe ubera dixit, quibus lac devotionis in hominum mentes hujus vitæ decurſu Spiritus Sanctus infundit. B. Jordanus ſacræ familiæ S. Dominici Generalis cibo, & potui comparat utramque, quæ ſociandæ ſunt, ut congruum animæ alimentum ſubminiſtrent. In eandem ſententiam it Iſidorus, dum dixit nos orando Deum alloqui, legendo verò nos à DEO compellari.

Cùm igitur hæc duo ſint potiſſima inſtrumenta, quibus Numen optimum nos ad Perfectionem ducat. Volui amice Lector utrique promovendo ſervire, & maximè pio Exercit..nti, qui ſe Aſceſi Ignatiana expolit, pro modulo meo adeſſe. Habet hic Meditatio-

nes

Digitized by Google

nes ex libello Exercitiorum tribus dictis Perfectionis vijs accommodas, vel ex Authoribus, ut Ludovico de Ponte, Sucquet, & alijs compluribus; è quibus unum & certum præſcribere Exercitantibus, multò minùs à me compoſitas obtrudere animus non eſt; cùm non ſapiat omnibus unus & idem cibus, etſi ex ſe ſapidus. Quare Meditationes arbitrio Exercitantis, vel hujus Inſtructoris relinquo, cujus erit animæ ſibi creditæ modo optimo, & gratiſſimo conſulere. Conſiderationes ſolummodò ſuggero, quibus Meditationes habitæ firmentur, & lumina, quæ à *Patre luminum*, *Jacob* 1. clementer ſubmittuntur, ſingulis Meditationibus congrua exprimantur, ſaltem inſinuentur. Ut autem illa memoriæ ſerviant, quæ pios affectus in oratione mentali conceptos ruminando animæ quaſi ſaginandæ plurimum prodeſt: non dictione ſeu ſtylo continuo (cùm & ipſi affectus ſint frequenter abrupti) ſed ad inſtar inſcriptionum offero; quibus pias ſententias, & hiſtorias pauculas (ne opus excreſcat) ſubjicio: cùm maximè neceſſarium ſit lectionem meditationi ratione materiæ non eſſe diſſimilem, & diſcrepare, ſed altera alteri ſit adjumento. Unde magno Exercitantis comodo fiet,

Digitized by Google

ſiet, imò ut anima in ſuis ſanctis propoſitis firmetur, & junctis viribus hoſtis vincatur, atque virtus ſolidetur: dein affectus non confundantur, quod S. Ignatius *in lib. Exercit.* ſingulariter cavet, ac improbat.

Forſitan quandoque aliqua in conſiderationibus lemmata à ſententijs ſubjunctis non adeò different, & videbuntur repetita. Quod ſpero amicè Lector non adeò ingratum fore, ſi videris ea, quæ à conſideratione proponuntur expendenda, roborari authoritate S. Scripturæ, vel SS. Patrum more aliorum Aſceticorum authorum, qui ſuis ſenſis, & ſcriptis teſtimonio Sanctorum, vel aliorum gravium ſcriptorum fidem faciunt.

Ultimum rogo, ut meum hoc in te ſtudium æqui, bonique conſulas, & mei apud DEUM Ter Optimum memor hoc labore fruare; qui ut ad animæ tuæ ſalutem quam plurimum conferat, omnibus votis ardentiſſimè efflagito.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

CONSIDERATIONUM &c.

VIA PURGATIVA,

Hebdomas Exercitiorum I.

CONSIDERATIO I.

Principium, ſeu Fundamentum.

De Fine Hominis

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO II.

De Medijs ad Finem ultimum conſequendum.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO III.

De Peccato Angelorum.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO IV.

De Peccato primorum parentum.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO V.

De Peccati Mortalis Gravitate ob DEUM offenſum.

Sententiæ. Hiſtoriæ.

CONSIDERATIO VI.

Peccati Mortalis gravitas ex damnis, & pœnis

Sententiæ. Hiſtoriæ.

CONSIDERATIO VII.

Peccati Mortalis gravitas ex conditione, & vilitate peccantis.

Sen-

Digitized by Google

CONSIDERATIO IX.
Chriſtus jejunus & tentatus.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

Hebdomas Exercitiorum III.

CONSIDERATIO I.
Chriſtus lavat pedes Diſcipulorum.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO II.
Agonia, & Oratio Chriſti in Horto.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO III.
Flagellatio Chriſti.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO IV.
Coronatio Chriſti.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO V.
Ecce Homo.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO VI.
Crucifixio Chriſti Dominî.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

VIA UNITIVA.

IV. Exercitiorum Hebdomas.

CONSIDERATIO I.
Deſcenſus Chriſti in Limbum.
Sententiæ. Fructus.

CON

Digitized by Google

CONSIDERATIO II.
Reſurrectio Dominica.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO III.
Chriſtus reſurgens apparet Beatiſſimæ Matri ſuæ.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO IV.
De Beneficijs Divinis.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO V.
De Amore Divino.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO VI.
De Gloria Cœleſti.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

VIA

Digitized by Google

Sententiæ. Hiſtoriæ & Fructus.

I. Odium peccati.

II. Vera & tempeſtiva pœnitentia.

III. Reſtitutio ablatæ rei alienæ.

IV. Ignoſcere nos offendentibus.

V. Fuga periculorum, & occaſionum peccandi.

CONSIDERATIO VIII.

De Peccatorum Venialium damnis.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO IX.

&

De Morte prima.

ANGUSTIÆ MORIENTIS

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO X.

&

De Morte altera.

MORS ULTIMA RERUM LINEA.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO XI.

De Iudicio Particulari.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO XII.

De Purgatorio.

Sentenriæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO XIII.

De Iudicio Univerſali.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

CONSIDERATIO XIV.

De Inferno.

Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

Digitized by Google

CONSIDERATIO XV.
De Æternitate.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

VIA ILLUMINATIVA.

Hebdomas Exercitiorum II.

CONSIDERATIO I.
Contemplatio Regni JESU Chriſti.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO II.
Decreta Incarnatio Verbi Divini.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO III.
Myſterium Annuntiationis.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO IV.
Nativitas Domini Noſtri JESU Chriſti.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO V.
Circumciſio Domini, & Nomen ejus ſanctiſſimum.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO VI.
JESUS duodennis in Templo remanens.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO VII.
De duobus Vexillis.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.
CONSIDERATIO VIII.
Chriſtus à Joanne Baptizatus.
Sententiæ. Hiſtoriæ. Fructus.

Digitized by Google

A. VIA PURGATIVA.

DE QUA
HEBDOMAS PRIMA
LIBELLI EXERCITIORUM
S. P. IGNATII.

CONSIDERATIO I.

PRINCIPIUM, SEU FUNDAMENTUM.

Creatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum ſuum laudet, ac revereatur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat. Ita Libellus citatus.

O Homo!
Creatus es.
à quo?
Artifice optimo, prudentiſſimo, peritiſſimo,
Tui ab æterno amantiſſimo;
Supremo
Rerum omnium Domino.
Decétne
Te obliviſci Factoris tui, & Eum qui te
genuit derelinquere? *Deuter.* 32.

 Con-

Convenítne
Tanti Parentis filium ſiliquis porcorum
Ventrem infarcire? *Lucæ* 15.
Creatus es.
Quantum hujus artificis opus?
Dignum
Divina Manu,
Angelis
Paulò minus minutum *Pſal.* 8.
Cœlo
Deſtinatum, æternùm beandum.
Nunc
Dominus orbis, cujus pedibus ſunt
Subjecta omnia. *Pſal.* 8.
Decétne
Te Dominum tuorum ſubditorum pedibus
Sordidis conculcandum ſubdi, & tam
Nobilem gemmam ante porcos projici?
Te Angelis ſupparem, ratione præcellentem
Tantis nobilitatum dotibus beſtiarum
more vivere, comparatum jumentis
inſipientibus, & ſimilem illis
factum? *Pſal.* 48.
Creatus es.
Ex quo?
Formavit Dominus Deus de limo terræ. *Gen.* 2.
En
Caſtrum Gentilitium!
Imperatorum, Regum, Principum, Nobilium!
Cùm
Adam aratrum, Eva filum duxit,
Ubi erat Nobilis? Quid

Digitized by Google

Quid ſuperbis terra, & limus?
An lutum
Si per immundum rivum diutius fluit,
Purius fluit, & deſinit eſſe lutum?
Imò fluit impurius.
Per plures trahitur ſordes.
Creatus es
Ob quem finem?
Ut
Cognoſcas Deum, ames, laudes, verearis,
Ei ſervias, & tandem ſalvus fias.
Finis
Sanctiſſimus, Nobiliſſimus, Celſiſſimus,
Suaviſſimus, Facillimus, Neceſſarius.
Sanctiſſimus.
Cùm in ipſo Sancto Sanctorum, Ter Optimo
Numine reperiatur, qui ſibipſi Finis.
Cognoſcit ſe.
Amat ſe.
Celſiſſimus
Cùm idem ſit Nobiliſſimorum Spirituum,
Cæli incolarum.
Suaviſſimus
Quid gratius & honorificentius
Tanto Regi ſervire?
Quid dulcius,
Quàm obedire optatiſſima, & æquiſſima
imperanti?
Imperium, & lex amoris eſt.
Quid ſuavius,
Quàm amare amabiliſſimum?

Numquid
Amœniſſimum eſt amare Pulcherrimum?
Jucundiſſimum frui Dilectiſſimo?
Digniſſimum laudare eum, cui Seraphin, & Cherubin
Inceſſabili voce ſuum triſagion proclamant. *Apoc. 4.*
His jungi canentibus quantæ eſt beatitatis?
Facillimus.
Cui exequendo & obtinendo ſufficiunt omnes, Auxiliantur omnia.
Pauper es,
Cùm Jobo in fimo ſedente potes laudare, ac benedicere Dominum. *Job. 1.*
Æger es,
Cùm Lazaro lauda Deum. In animum Doloribus jus non eſt, niſi ſe his Ignavus mancipet.
Captivus es,
In vinculis animus liber eſt; nulla eum ligat catena, ſi nolit. Amor etiam in carceribus extra carceres agit, & in cælum evolat.
Auferatur carceris nomen, ſeceſſus vocetur.
Etſi corpus includatur, omnia patent Spiritui.
Nihil crus ſentit in nervo, cùm eſt animus in cælo.
Totum hominem animus circumfert, Et quo velis, transfert.

Ne-

Digitized by Google

Neceſſarius eſt,
Hoc fine ſi non potiare, ac devies;
Cælo
Aberras toto, damno non reparando,
Eheu
Sempiterno!

SENTENTIÆ.

UNiverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. *Proverb.* 16.

Omnis, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. *Iſa.* 41.

Propter me, propter me feci, & manus mea fundavit terram. *Iſa.* 48. Et gloriam meam alteri non dabo. *Ibidem.*

Ego ſum primus, & noviſſimus. *Apoc.* 1.

Ad quid in mundum veniſti? ad quem finem conditus es? cave ne excidas. *S. Aug.*

Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Idem Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 1.

Summum Bonum tuum quære, ô anima. Eſt enim bonum alteri, & omnes creaturæ habent aliquod bonum ſuum integritatis ſuæ, perfectionis ſuæ: intereſt quid cuicunque rei imperfectæ neceſſarium ſit, ut perficiatur. Quære tuum bonum. Nemo bonus, niſi unus Deus; Summum bonum hoc eſt bonum tuum. Quid ergò ei deeſt, cui Summum Bonum bonum eſt? erige ſpem tuam ad Bonum bonorum omnium. *Idem in Pſal.* 102.

Idem Deum in Soliloquiis alloquens Exteriora, inquit, pro corpore creâſti, corpus pro anima, animam pro te, ut tibi ſoli ſerviret, tibi ſoli vacaret poſſidens te ad ſolatium, cætera ad ſervitium.

Ut Deum contempleris, factus es, non ut humi repat vita tua; non ut pecudum ritu voluptate perfruaris. Verius ut ad normam, & inſtitutum cæleſtis vitæ tuam ipſius componas. *S. Baſilius hom.* 11. *in Hexameron.*

Nemo ſibi vivat, ſed ei, qui pro ſe mortuus eſt. Cui enim juſtius vivam, quàm ei, qui ſi non moreretur, ego non viverem? Cui comodius, quàm promittenti vitam æternam? cui magis ex neceſſitate, quàm flammas perpetuas minitanti? *S. Bern. ep.* 143.

Qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt: denique quid eſt homo, niſi quia innotuiſti ei? *Idem ſerm.* 2. *in Cantica.*

Magna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium; ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti ſemper ex eo ſumat, unde jugiter fluat. *Idem ſerm.* 83. *in Cant.*

Talis eſt quisque, qualis dilectio ejus. Terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? Deus es; ego dixi Dij eſtis. *S. Auguſtinus.*

Bonorum Summa Deus eſt nobis; Deus eſt nobis Summum bonum, nec infra manendum eſt, nec ultra quærendum; alterum eſt frivolum, alterum nullum. *Idem in Pſal.* 121.

Quære

Quære tuum bonum. Nemo bonus niſi unus
is, ſummum hoc eſt bonum tuum quære;
ori, quod bonum niſi complere ventrem, dor-
re, geſtire? tale tu bonum quæris? cohæres
hriſti quid gaudes, quia ſocius es pecorum?
. *Aug. in Pſal.* 102.

Fieri non poteſt, ut hic in terris, & illic in cæ-
lis ſis beatus, neceſſe eſt alterum perdere, ut al-
terum obtineas. *S. Hier. ep.* 14.

Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſu-
per terram. *Pſal.* 72.

Non tibi terram, ſed ſeipſum ſervat, qui fecit
cælum & terram. *S. Bernard. ſerm.* 89. *in Cant.*

Quid tibi ſufficit, ſi Deus non ſufficit? *S. Aug.
ſer.* 29 *de verb. Dom.*

Quid per multa vagaris homuncio quærendo
bona animæ tuæ, & corpori tuo? Ama unum
bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit: de-
ſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum,
& ſatis eſt. *Idem de ſpiritu & anima.*

HISTORIÆ.

Esther Regina vehementer afflicta ob ma-
chinationes Amani hoſtis capitaliſſimi, &
imminens populo Iſraelitico exitium veſtes de-
poſuit regias, & luctui apta indumenta ſuſcepit,
cinere, & ſtercore implevit caput, & corpus ſu-
um humiliavit jejuniis: denique ſe coram DEO
in preces abjiciens hoc etiam motivo ad averten-
dum malum uſa eſt. *Volunt delere hæreditatem*

 tuam,

tuam, & claudere ora laudantium te &c. ut aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent Regem carnalem in ſempiternum. Eſth. 14. Fuit nempe populus Iſraeliticus ille, de quo *Iſaiæ* 43. *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.*

Quintianus Siciliæ Prætor S. Agathæ probrum ipſis tormentis majus objectare ſe credebat, cùm illi dixit: *Nonne te pudet nobili genere natam humilem, & ſervilem Chriſtianorum vitam agere?* Cui ſapientiſſima virgo, *multò*, ait, *præſtantior eſt Chriſtiana humilitas, & ſervitus, Regum opibus, & ſuperbia.* Vita. Servire Deo, regnare eſt.

Fructus hujus Conſiderationis.

PRimus. *Agnoſce nobilitatem hujus finis.* De hac ſic ſcribit Nierenbergius lib. 4. de adorat. in ſpirit. & verit. cap. 12. *Æſtima te majorem tua voluntate & gaudio ad majora creatum. Non es creatus ad tuam gloriam, non ad tuam voluntatem, non ad tuam voluptatem, non ad tuam ſolùm ſalutem, non ad tuam opulentiam, non ad tuam fortunam, imò nec ad fruendum ſolum* DEO *in cælis. Majus aliud eſt tuus finis, factus es ad gloriam Dei, propter quam Deus omnia voluit & fecit. O magnum finem, quem etiam cùm pateris, conſequi potes! ſive in laboribus, ſive tormentis. Non tuus es, ſed Dei, non natus tibi es, ſed Deo; ſic non debes quærere in omnibus, niſi gloriam* DEI, *& placere illi magis, & quod in te fiat voluntas ejus.*

Secun-

Digitized by Google

Secundus. *Se conditori ſuo ſubdere.* Citatus
ctor hæc monet. *Permitte te Deo, ut regat te,*
ui creavit te ad gloriam ſuam, in hunc finem diſpo-
uit omnia, & absque dubio illuc te perducet, niſi tu
eſiſtas ordinationi ejus. Ne velis arbitrio tuo regi;
ui vehitur in navi, non vult regere navim juſſu, &
rbitrio ſuo, ſed munus integrum relinquit naucle-
ro. Anne imperitius ſciat Deus regere mundum ſu-
um, quàm nauclerus navim? cur quod cum homi-
ne faceres, ut te in terram, quo tendis, deponat, cum
DEO non facias, ut te in cælum ducat? Relinque
illi omnem curam, ipſe te portabit ad terram ſalutis.

Tertius. *DEUM finem ſuum ultimum in o-*
culis, corde, & votis uſque habere. Adeòque cla-
mare cum S. Davide: *Quemadmodum deſiderat*
cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea
ad te DEUS. Sitivit anima mea ad fontem vi-
vum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?
Pſal. 41. Et cum S. Auguſtino: *Videam Do-*
mine, ut diligam te, videam te lumen oculorum meo-
rum, diligam te vitam animæ meæ. Et cum illo
devotiſſimo S. Auguſtini alumno de Imitat. Chri-
ſti lib. 3. cap. 21. *O mi dilectiſſime Sponſe JE-*
SU Chriſte, ſplendor æternæ gloriæ, ſolamen pere-
grinantis animæ, non poteſt cor meum veraciter re-
quieſcere, nec totaliter contentari, niſi in te requie-
ſcat, & omnia dona omnémque creaturã tranſcendat.

Quartus. *DEO omnia noſtra offerre.* Cùm
enim ratione creationis, & plurium aliorum ti-
tulorum ſimus DEI, ejúsque poſſeſſio, ut ait
Sant-Jure in luce veritatis pag. 223. Et aliunde

ſi arbor fructus producit, producat eos Domino ſuo; & quicquid ex fundo aliquid enaſcitur, ſit ejus, qui legitimus eſt fundi poſſeſſor: ſequitur actiones omnes noſtras, omnémque gloriam, honorem, & laudem, quæ quacunque ratione ex nobis, operibúsque noſtris poſſent provenire, DEI eſſe, atque ad eum referri debere. Idcirco ſi gloriam noſtram præ Illius gloria ſectemur, noſtris potiùs quàm Illius comodis ſtudeamus, noſtræ voluntati obſequamur, adverſus ejus auctoritatem rebelles, injuriam illi facimus, & rem ad illum ſpectantem ſuffuramur, cùm id, quod debemus, non offerrimus. O quot hujuſmodi furta nunc admiſimus? majore impoſterum fide ejus bona tractemus, & nos ipſi, cùm totos debemus, totos offeramus, & devoveamus.

Quintus. *Unire nos noſtro fini.* Cùm enim ſimus creaturæ, & ſimus per conſequens entia participata, noſtrum eſſe eſt participatio Ipſius eſſe DEI. Unde ut ratiocinatur cit. Author, noſter intellectus eſt participatio intellectûs illius, noſtra voluntas ejus voluntatis, & quidquid boni poſſidemus, leves quædam ſunt communicationes, & extractiones perfectionis Ipſius. Atqui res particulares ſemper referuntur ad univerſales, & imperfectæ appetunt conjungi perfectioribus; ut ab iis compleantur, acquirántque ſuam perfectionem: omnibus viribus nobis connitendum eſt, ut inſeparabiliter uniamus noſtrum eſſe cum DEI eſſe per gratiam; noſtrum intel-

lectum

lectum cum ipſius Intellectu per ſubmiſſionem ad omnes illius veritates; & voluntatem noſtram cum ipſius voluntate obſequendo omnibus illius decretis, & diſpoſitionibus, atque noſtros amores, odia, affectúſque omnes ipſius affectibus conformando. Et in hoc ſita eſt noſtra perfectio.

Consideratio II.

Reliqua verò ſuper terram ſita creata ſunt hominis ipſius cauſa, ut eum ad finem creationis ſuæ proſequendum juvent. Unde ſequitur, utendum illis, vel abſtinendum eatenus eſſe, quatenus ad proſecutionem finis, vel conferunt, vel obſunt. Libellus Exercitiorum.

O mi DEUS!
Quàm benigna, quàm munifica eſt
In hominem providentia tua?
Creaſti eum.
Ut cognoſceret, amaret, laudaret te, ſerviret tibi, & tandem ſalvus fieret.
Hoc fine ut poſſet potiri;

Ape-

Digitized by Google

Aperuiſti ſuper eum manum tuam, & omni implevisti benedictione. *Pſal.* 144.

Tu

Cui ſerviunt omnia, mare & venti obediũt, *Pſ.* 118.
imperas, ut homini ad finem dictum, *Matth.* 8.
aſſequendum ſerviant omnia.

En!

Ipſæ ſupremæ mentes ſunt omnes *ad Heb.* 1.
adminiſtratorij ſpiritus,
Propter eos, qui hæreditatem capiunt Salutis.

Accendiſti duo luminaria magna in cælo, ut præeſſent diei, ac nocti, & dividerent lucem & tenebras. *Gen.* 1.

Præfeciſti hominem piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, univerſæq; terræ, omníq; reptili, quod movetur in terra. *Gen.* 1.

Ut nimirum ſint, in adjumentum,
eſcam, indumentum.

Nec his contentus
ad exornandum, recreandum
ſuggeris opes innumeras,
Gemmas pretioſiſſimas,
Flores pulcherrimos,
Veſtes ſubtiliſſimas,
Cibos ſapidiſſimos,
Et alias quamplurimas delicias.

Quare

O Conditor munificentiſſime!
O Pater benigniſſime!

Benedicant te omnia opera tua, laudent & ſuperexaltent te in ſæcula. *Dan.* 3.

Tu

Tu vero ô Homo
Quantum magnificatus es, & quantùm
appoſuit cor ſuum erga te? *Job.7.*
Quis obſecro es,
Cujus ſupremum Numen adeò memor eſt?
aut quis filius hominis, quoniam ſic
viſitat eum? *Pſal.8.*
An non clamabo uſque, & uſque?
Quid retribuam Domino, quæ retri-
buit mihi? *Pſal.115.*
At quid retribues?
Bonorum tuorum non indiget ditiſſimus. *Pſ.15.*
Scio quid facias?
Cognoſce Deum, lauda, reverere, ama,
& creaturis, uti juſſit, utere.
Has igitur imitare:
Ecce emittit Deus lumen ſuum in cuſtodiis ſuis,
& luxerunt ei cum jucunditate,
qui fecit illas. *Baruch.3.*
Imitare igitur iſtas, & ſervi Domino
in lætitia. *Pſal.99.*
Rurſum Eædem clamant,
Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur
alius adverſus eum. *Baruch.3.*
Neque tu aliud tibi finge Idolum;
Ne exacerbes eum, qui te fecit, nec Deum æter-
num obliviſcaris, qui nutrit te. *Baruch.5.*
Cave ſollicitus
Ne tibi omnis creatura fiat in muſcipulam.
Pedibus inſipientis. *Sap.14.*
Acci-

Accipe omnes creaturas ut Beneficium,
Redde Creatori earum Officium,
Càve abutens illis, ſupplicium. (nus,
Conceſſæ ſunt creaturæ, ut delectaret te Domi-
in factura ſua, & in operibus manuum
ejus exultares. *Pſal.* 91.
Tu verò impinguatus, incraſſatus, dilatatus,
derelinquésne Deum Factorem tuum,
& recedes à Deo ſalutari tuo? *Deut.* 32.
Non, non mi Deus!
Oblivioni detur dextera mea, ſi te per tua Bene-
ficia offendam. *Pſal.* 136.
Utar ijs, ut jubes.
Ut voles, & finis â te præfixus exiget.
Erit in uſum Gloriæ Tuæ, quicquid univerſi
ſinu viſibile, ac materiale continetur.
Divitiæ & paupertas, Honores & Contemptus,
voluptates, & dolores, ſanitas & ægritudo,
vita & mors media ſunt ad Finem,
viæ ſunt ad Finem.
Iniquum eſt in his, ut in termino, hærere
atque ut in fine conquieſcere.
Omne bonum, quod habent media, Finis
illis communicat, & largitur.
Omne malum ſunt, cum hæc Jura Finis involant.
Ergo
Dirige me Domine Deus meus in conſpe-
ctu tuo. *Pſal.* 5.
Dirige me in ſemitam rectam, ut non dominetur
mihi omnis injuſtitia. *Pſal.* 26. & 118.

Sit

Sit

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. *Pſal.* 107.

Ad faciendas juſtificationes tuas. *Pſ.* 118.

O mi JESU Finis meus

Primus, & noviſſimus. *Apoc.* 1.

Per infinitam Bonitatem tuam

Erga creata omnia afficiar, ſi convenientia ea ſint;

Si fini apta non ſint, rejiciam.

Electionem meam dirige, ut tuæ placeat ordinationi.

Optimis duntaxat utar, reliqua valeant.

SENTENTIÆ.

Conſtituit hominem ſuper omnia opera manuum ſuarum. *Pſal.* 8.

Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant. *Pſal.* 104.

Nihil in mundo amare, ſed in omnibus Deum reperire ſtudia ſunt bonæ mentis. *S. Dominicus.*

Circumſpice univerſam creaturam, utrum cupiditatis viſco alicubi tenearis ipſe, & à diligendo Deo impediaris, niſi ex te, quem creavit ipſe, quem negligis. Quare autem amas iſta, niſi quia ſunt pulchra? poſsúntne eſſe tam pulchra, quàm ille, à quo facta ſunt? Miraris hæc, quia illum non vides, ſed per ea, quæ miraris, ama, quem

quem non vides. Interroga Creaturam, ſi à ſe-ipſa eſt, remane in illa, ſi autem ab illo eſt, non ob aliud pernitioſa eſt Amatori ſuo, niſi quia præponitur Creatori. *S. Auguſtinus.*

Si delectat humanum affectum videre pulchritudinem florum, videre varietatem colorum, videre formoſitatem omnium picturarum, videre pulchritudinem facierum. Quantum delectabit videre pulchritudinem omnium ſæculorum Creatoris? Si ſic delectat pulchritudo creata, limitata, temporalis, tranſitoria: quid faciet increata, immenſa, permanens, & æterna? Ejus viſio tam jucunda eſt, ut ſi quis in inferno exiſteret, & Deum videret, nullum omnino dolorem ſentiret, quia dolorem magnum major delectatio abſorberet. *S. Bern. ſerm. 7. de comm. SS. Ap.*

A tua dignitate te dejicis nimis enormiter, & ignominiosè, ſi tranſitorias & inanes pulchritudines appetis. Mundus propter te factus eſt, ideo mundum non ames; quia mundus non eſt te dignus, cùm ſis longè eo dignior. *S. Bernard. opuſc. de charitate cap. 29.*

De nihilo nihil curo, de nihilo nihil volo. *S. Franciſcus Borgias.*

Quouſque hic erimus affixi? adhæſimus terræ tanquam vermes, in cæno volutamur, Corpus de terra nobis Deus contulit, ut ipſum in cælum retrahamus, non ut animam per ipſum in terram detrahamus. *S. Chryſoſt. hom. 55. ad populum Antiochenum.*

Capa-

Digitized by Google

Capacem Dei animam, quicquid Deo minus eſt, non implebit; cæteris rebus occupari poteſt, non repleri. *S. Bernardus in ſerm. Ecce nos reliquimus omnia.*

Nihil bonum ſine te vero, ſolo, & ſummo bono. Omnis copia, quæ non Deus meus, mihi egeſtas eſt. *S. Auguſtinus.*

Anima rationalis facta eſt capax Majeſtatis tuæ, ut à te ſolo, & nullo alio poſſit impleri. *Idem in Soliloq. cap. 30.*

Agnoſce ô anima dignitatem tuam, & Divinæ conſors naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Dilige, quod diligit Pater, & in nullo ab auctore ſuo diſſenti. Genus electum, & Regium regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati. *S. Leo ſerm. 1. de Nat. Dom.*

Ut tibi totus ſervirem, omnia quæcunque feciſti, in meum ſervitium tradidiſti. *S. Aug. Soloq. cap. 19.*

Unde meritò

Virtus ac ratio vivendi unum ſibi propoſitum habet, nempe Gloriam Dei. *S. Baſilius.*

Conſideres velim arbiter juſtus, æquúmne ſit diligere opus artifice neglecto, derelictóque omnium Creatore rerum in hujus rem Cupiditatibus ſuis paſſim, atque indifferenter incurrere: cùm utique Deum oportuiſſet allicere ad amorem ſui vel per hunc effectum ſuorum operum. *B. Eucherius de vera Sapientia.*

Qui curat aliquid niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Quid eſt homo, quia innotuiſti ei? propter temetipſum feciſti omnia; ergo qui eſſe vult ſibi, & non tibi; nihil eſſe incipit inter omnia. *S. Bern. ſerm.* 20. *in Cant.*

Hinc etiam maximè commendatur, quàm bonus ſit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene eſt: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, eſſe ſine dolorum timore non poſſunt. *S. Auguſtinus.*

Amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum, & ubi concupiſcimus, ibi hæremus. *Ibidem ſer.* 33. *de verb. Domini.*

Si delectat te mundus, ſemper vis eſſe immundus. *Idem tract.* 38. *in S. Ioan.*

Reverà illud verum, & ſolum gaudium eſt, quod non de creatura, ſed Creatore concipitur; cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror eſt; omnis amænitas dolor eſt. *S. Bern. in Epiſtolis.*

Reduc ad animum proſperitates temporum, dignitatum pompas, divitiarum abundantiam, attende hæc omnia, ubi vel quando hæc facta ſunt, & ex hoc penſa, quod nihil ſunt. Et quia qui iſta diligit, ſomnum vigilans videt. *S. Greg. lib.* 7. *Regiſt.*

HISTORIÆ.

REgiâ & rectâ intentione creaturis uſa eſt Eſther Regina, quando dixit: *Tu ſcis* (Deo loque-

loquebatur.) *quòd nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc translata ſum uſque in præſentem diem niſi in te Domine.* Eſther. 4.

S. Antonius M, in rerum creatarum contemplatione tanquam in libro ſtudens, citra aliarum ſcientiarum notitiam ſummam ſibi, quâ pollebat, adſcivit ſcientiam. Neſciebat litteras, ſed ſedebat in monte, & ſtudebat in libro creaturarum. S. Athanaſius in vita S. Antonij præclarè ſcripſit. S. Baſilius in Hexamero. *Univerſa hæc mundi moles perinde eſt, ac liber litteris exaratus paſſim conteſtans; & deprædicans gloriam DEI, illiúſque auguſtiſſimam Majeſtatem, arcanam alioquin, & inviſibilem tibi intellectuali creaturæ copiosè annuntians.*

S. Franciſcus ex omnibus excitabatur ad amorem Dei, contemplabatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia proſequebatur ubiq; dilectum: de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam aſcenderet ad apprehendendum Deum, qui eſt deſiderabilis totus. Inauditæ enim devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis tanquam in rivulis deguſtabat. *S. Bonav. in vita. cap.* 9.

De quodam prædivite Mercatore ſcribit P. Tallenaër *in Eccl. cap.* 2. *ſoc.* 3. *pag.* 91. Novi, inquit, in Belgio extitiſſe virum quendam copioſum, qui cum hortos cultiſſimos in urbis pomærio haberet; ſalute à medicis depoſitâ nihil de animi medico, de xizanijs & vepri-

bus peccatorum, quæ in immenſum excreverant, ſolicitus per hortum ſellâ geſtatoriâ ſe deferri curavit. Atque ubi ille & anemonas, & tulipas, & poma ſua punica, aurea, citrea natantibus in morte oculis contemplatus fuit, exclamavit: *Et eheu! crudele fatum, quod a tanta amænitate divellis? O Deus nunquam à te cælum petij, cur mihi terram invides?* ſed fruſtra voces illas blaſphemas jactavit: neque terram impetravit, an cælum obtinuerit, dubium ingens eſt.

Fructus hujus Meditationis.

PRimus. *Creaturæ reſpuendæ, quæ ad finem hominis non ducunt hominem.*

Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Pſalm. 4. *Vanum id, quod vacuum eſſe dicitur: quod nomen quidem habet, rem verò ipſam non habet.* S. Baſilius in Pſal. 4.

In eundem S. Auguſtinus. *Quæris aurum? quæris mendacium. Vis eſſe in ſæculo ſublimatus? quare quæris mendacium? & quicquid aliud quæris amando terram, quare non ceſſas quærendo mendacium? non vultis eſſe gravi corde, qui terreno mendacio oneratis cor veſtrum; fallit vos, quod quæritis; mendacium eſt, quod quæritis.*

Hæc eſt humana vita, *puerorum ludus in arena: arena eſt ambitio; arena eſt potentia; arena divitiæ; arena eſt, quicquid eſt. In omnibus inveni*

Digitized by Google

veni vanitatem. Ita S. Greg Nyſſen. in Cant.

Secundus. *Creaturæ media ſunt ad finem, non finis:* hinc primò non eſt ſperanda in ijs requies animorum noſtrorum. *Væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid meliùs habiturum. Verſa, & reverſa, & in terga, & in latera, & in ventrem; & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.* S. Auguſt. lib. 5. Confeſſ. cap. 15. *Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, deſine ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt.* S. Bern. Epiſtola 103.

O Mortalium lugenda conditio! *quæ cùm ſit exul à patria, exultat in via.* B. Laurent. Juſtinianus. 2. Creaturis uti debemus quaſi memorialibus, ut recordemur ex eis Divinæ potentiæ, & Magnitudinis. *Cùm enim flos exhalat odorem, quid eſt, niſi veſtigium ſuavitatis Creatoris? cùm arbor creſcit, ignis omnia conſumit, aqua vivificat aridam: totum eſt demonſtratio virtutis, & operum altiſſimi. Unde videntes quid naturaliter fiat in creaturis, ipſum intueri debemus in illis, ut ſubeat memoria, & admiratio ipſius operum, & ſignorum amoris, quo continuat opera ſua propter homines ingratos pro ſuis beneficiis.* S. Fran. Borgias de anima Chriſti. hebd. 2.

Tertius ex utroque præcedente naſcitur. Indifferentia illa ſummè neceſſaria, qua (ſi ſalvi eſſe velimus) utendum rebus eſt, prout conferunt gloriæ Divinæ. Et quia media ſolùm ſunt, & conſequenter non habent uſum pro-

B 3 pter

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pter ſe: nihil ex his ſumas, quod ad ſuum finem non dirigat, licèt pretioſum ſit, quia inutile erit: nihil relinquas, quod ad illum faciat, licèt acerbum ſit, quia pretioſum erit. Æger quærens ſanitatem non reijcit potionem, quia amara eſt; non ſumit poculum aquæ frigidæ, quia delectabile; ſed ſolùm attendit, an ſit ſalubre. Ideo ſumit, quod amarum eſt; reijcit, quod eſt ſuave. Viator cùm interrogat viam, ſive dirigatur dextrorſum, ſive ſiniſtrorſum, nihil pertinere ad ſe putat, dummodo dirigatur illuc, quò tendit. Ita nos indifferentes ſimus in vita, nec ad ſanitatem magis, quàm ægritudinem, nec ad abundantiam magis, quàm ad inopiam, nec ad honorem magis, quàm ad ignominiam inclinati. Te perdes, ſi quæres, quod non cedat in honorem Dei, finem tuum. Quare nihil aliud attendas, & hunc unum in omnibus rebus attendas, paratus propter unum hunc ad omnia.

CONSIDERATIO III.

DE PECCATO ANGELORUM.

Vidi Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem. Lucæ 10.

O Ca-

O Caſus.
Miſerabilis, graviſſimus, exitialiſſimus!
Facta eſt ruina Domus illius
Evangelicæ magna: *Luca 6.*
Luciferi maxima.
Cecidit Babylon civitas illa magna; *Apoc. 14.*
In mare ceu lapis ſubmerſa. *Jerem. 51.*
Cecidit Lucifer Princeps ille cæli magnus,
In mare Inferûm demerſus.
Mare igneum, ſulphureum, profundiſſimum;
Semper Naufragus,
Nunquam enataturus.
At
Hujus ruinæ tantæ quæ cauſa?
Eheu!
Unica ſuperba cogitatio.
Elevatum eſt cor tuum in decore tuo. *Ezech. 28.*
Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. *Idem.*
Et (*Idem.*
Productus eſt ignis in medio tui, qui comedit te.
Ergo unica cogitatio, quæ effectu
caruit, ſternat, evertat?
Signaculum ſimilitudinis Divinæ? *Ezech. 28.*
Plenum ſapientiâ, & decore? *Idem*
Delicias Paradiſi Dei? *Idem*
Illam pulchritudinem compuſſimam, cui omnis lapis pretioſus operimentum erat? *Idem.*
Deijciat in ſtagnum ignis, & ſulphuris
Cherub extentum, & protegentem, poſitum in
monte ſancto Dei? *Ezech. 28.*

Digitized by Google

Ambulantem in medio lapidum ignitorum?
Idem.

Perfectum in viis ſuis? *Idem.*

Principem, & Caput Principum cæleſtium,
aulæ Regis Regum, & Domini Domi-
nantium ſupremum moderato-
rem, & Miniſtrum?

O

Caſum obſtupeſcendum!

Omnes, qui vident te in gentibus, obſtupe-
ſcent ſuper te. *Ezech. 28.*

Inflatus

Crepuiſti, & periiſti.

Tantùm

Nocuit peccatum unicum Creaturarum
Apici!

Et

Parcat vel unum peccatum homuncioni?
viliſſimo capiti?

Limo terræ, ac pulveri? *Gen. 3.*

Filio putredinis? *Job. 17.*

Fratri Vermium? *Idem.*

Vaſi ſordium, & immunditiarum?

Concepto de immundo ſemine? *Job. 14.*

Quid obveniet

Homulo reo peccatorum innumerorum?

Qui bibit ſicut aquam iniquitatem;

Cuius iniquitates ſupergreſſæ ſunt. *Job. 15.*

Caput, & ſicut onus grave gravatæ ſunt;
Pſal. 37.

Cujus

Digitized by Google

Cujus juſtitiæ univerſæ quaſi pannus
menſtruatæ. *Iſa.* 64.
Non parcet Rex mancipio, qui punit
Principem.
Verùm
Utinam Draco hic magnus ſibi ſoli
nocuiſſet, ſibi ſoli venenum!
Proh dolor!
Traxit cauda ſua in caſum, & exitium
tertiam partem ſtellarum. *Apoc.* 12.
Erant hæ
Creaturæ nobiliſſimæ, perfectiſſimæ, ex-
cellentiſſimæ,
Factori ſuo amiciſſimæ,
Spiritus puriſſimi, coruſcantes,
arcaniſſimæ ſapientiæ, & ſcientiæ,
eximij gratiâ, & ſanctitate.
Erant
numero penè innumeri.
Et hos
Nec numerus, nec Nobilitas, nec decus
rariſſimum ſupplicio exemit.
Nihil datum Favori, Excellentiæ,
Gratiæ.
Non fuit habita ratio honorum, ob-
ſequiorum,
Quæ Deo æternùm detuliſſent.
Inſuper habitæ ſunt blaſphemiæ, damna
ingentia, mala graviſſima, quæ il-
lorum damnatio eſſet
allatura. De

Digitized by Google

De cœlo cecidère ſtellæ in puteum
abyſſi, *Apoc* 9.
Et in tenebras miſſæ exteriores. *Matth.* 22.
Exciſæ Cedri Libani, & abietes electæ.
Iſa. 14. & 37.
Datæ igni infernali.
Auri color optimus, quia mutatus,
in cænum abjectus eſt opprobrium
gentium. *Ezech.* 34.
Sed formam
Hæ ſtellæ rurſum orientur; recipientur arbores
in hortum voluptatis, & aurum igne
purgatum priſtinum ſplendorem,
& gratiam recipiet?
Spes veniæ nulla eſt;
Actum eſt.
Non amplius locus Eorum eſt in cœlo
inventus. *Apoc.* 12.
Effluxère ab hoc caſu miſerabili anni
ferè ſexies mille:
Non eſt amplius locus eorum in cœlo,
Effluent totidem & plures;
Imò plures, plures, imò milliones millionum,
millies millies mille, & hos totidem ſequentur,
geminabuntur, centuplicabuntur,
millecuplicabuntur.
Non erit amplius eorum locus in cœlo.
Ob
unicæ cogitationis inefficacis delictum
exulabunt, ardebunt
ÆTERNUM. O Pec-

O Peccator
ad hæc non contremiſcis?
Pereunt arbores plantatæ in Paradiſo;
Et tu
Terræ maledictæ, & malignæ germen, infelix
ſpina, & vepres non ardebis?
Exulant Regni Principes, Filij Regii
pelluntur.
Et tu
Caput obſcuriſſimum, filius ancillæ, *Exod* 11.
quæ eſt ad molam, ſperas
impunitatem:
Unicum peccatum ſuo carens effectu mox
plexit tot nobiliſſimos Spiritus.
Et tu gleba terræ toties nocentiſſima non
expaveſcis? non ingemiſcis?

SENTENTIÆ.

IN Angelis ſuis reperit pravitatem, *Job*. 4. His non pepercit Deus, ſed punivit.

Quantò magis his non parcet, qui habitent domos luteas; qui terrenum habent fundamentum; conſumentur velut à tinea. De manè uſque ad veſperam ſuccidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. *Job*. 4.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. *ad Heb*. 10.

Deus Angelis peccantibus pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit crucian-

Digitized by Google

cruciandos. 2. *Pet.* 2. Et parcet homini filio terræ?

Relicto eo, cui debuit inhærere principio, ſuum ſibi quodammodò appetijt eſſe principium. Relicto eo, qui illi verè ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit. Et tantò magis infra ſe cecidit, quantò magis ſe contra gloriam ſui Conditoris erexit. *S. Gregorius l.* 24 *mor. c.* 17.

Ei, à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit: ita enim Deus ſuper omnia eſt, ut ſub nullo ſit: Leviathan verò ejus Celſitudinis culmen aſpiciens jus perverſæ libertatis appetijt, ut & præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet. *Idem loc. cit.*

Nihil iſte fecit, nihil operatus, tantùm cogitavit ſuperbia, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus eſt. *S. Bern. Serm.* 1. *de adventu.*

Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit. *S. Judæ epiſt. v* 6.

Nemo fidelium dubitet, diabolum apoſtaſiæ ſuæ authorem non habere. Ipſe enim totius erroris eſt princeps, qui videns à DEO factum ſe non mediocris potentiæ, auſus eſt præſumere Divinitatem; ut quia cæteros vidit inferiores, ſe ipſum præferret ut Deum. *S. Aug. qq. Vet. & Nov. Teſt. q.* 90.

Ah cinis ſuperbe cur extolleris? Deus qui Luciferum damnavit, num tibi parcet? *S. Bernardus.* En

Deſæ-

Digitized by Google

Deſævijt omnipotentis indignatio, totâque Divinitatis dexterâ percuſſus eſt inimicus, & in perditionis barathrum eſt devolutus. *S. Petrus Damiani Serm. de S. Michaele.*

Lucifer indutus divinâ claritate & inter cæteras ſupernas virtutes Conditoris largitate præfulgens ſplendorem ſapientiæ, & virtutum pulchritudinem, quâ ornabatur gratiâ Creatoris, naturæ ſuæ potentiâ, non munificentiæ illius beneficio ſe credidit obtinere. Et ob hoc elatus tanquam, qui ad perſeverentiam puritatis hujus Divino non egeret auxilio, Deo ſe ſimilem judicavit; utpote qui nullius indigeret, quemadmodùm Deus: liberi ſcilicet arbitrij facultate confiſus per illam credens affluenter, omnia ſibimet ſuppeditari, quæ ad conſummationem virtutum vel perennitatem ſummæ beatitudinis pertinerent. Hæc ei ſola cogitatio facta prima ruina eſt, ob quam deſertus à Deo, quo ſe credidit non egere; inſtabilis repente, & nutabundus effectus, & infirmitatem propriæ naturæ perſenſit; & quia dilexit verba præcipitationis, quibus dixerat: *In cœlum conſcendam*, & linguam doloſam, quâ vel de ſe dixerat: *Ero ſimilis Altiſſimo*, Proptereà *Deus deſtruet eum in finem, evellet eum, & emigrabit de tabernaculo ſuo, & radicem ejus de terra viventium* &c. Caſſianus lib. 12. Inſtitut. cap. 4.

HI-

HISTORIÆ.

QUo die Antonius Fauſtinus adjutor è Societ. JESU fuit ſepulturæ mandandus; advenit Energumena, ex cujus ore nequam Spiritus magno ſtridore exclamavit indignatus hominem verendis templis deſtinatum illuc tandem advenisse, unde ille in perpetuum eſſet deturbatus: illúdque addidit ſe ab eo torqueri, cogíque dimittere quoſdam è ſocijs ſuis. Interrogaverunt quidam, cur ita perſtreperet ab obitu ejus hominis, cùm plurimis alijs defunctis, qui vita nihilominùs probata extitiſſent, nihil omninò dixiſſet? Reſpondit, *quia ita Deus jubet, qui me per hunc hominem, non per alios torquet, vúltque conſtare apud homines eum jam cœleſti gloriâ potiri.* Annal. Prov. Venet. Dom. Probat. Novellariæ. An. 1608.

Si Deus in Angelis peccatum inefficacis cogitationis punivit, quid mirum ſit, ſi etiam in homine plectat? De quadam domicella vidua ſcribit Joannes Raulinus, vir doctus, & gravis tragicum exemplum. Illa pietati admodùm, & miſericordiæ operibus dedita magni erat nominis apud ejus loci Epiſcopum, quô etiam conſcientiæ directore utebatur. Miſera vel ſemel unum è famulis ſuis fixiùs intuita, ſolâ voluntate in turpem conſenſit voluptatem; quam tamen quoniam opere ipſo non explevit, etſi ſæpè animo occurſantem negligendam putavit. Neglexit ergò, & ne inſtante quidem morte (cùm tamen

men maximè remorderet facti conſcientia) præ pudore auſa crimen fateri, extincta eſt, & in ipſo Epiſcopi ſacello pro virtutis opinione, & dignitate honorificè ſepulta. Sed ô mira Dei judicia! cùm proxima nocte Pius Præſul matutinas dicturus preces ſacellum ingreditur, ecce illi ardere videntur omnia. Quid agat? hæret, & horret: ſed brevi ipſe ſe colligens, & fidens Deo progreditur. in mulieris ſepulchro corpus ferreæ crati impoſitum conſpicit ſubijcientibus ignem dæmonibus, atque huc atque illuc ingentibus furcis corpus verſantibus. Epiſcopus cùm agnoviſſet hanc eſſe domicellam, quam pridiè iſtic condidiſſet, quî cum illa ageretur, quô ſtatu eſſet? rogavit. Reſpondit miſeranda mulier: *Hoc ſolo ſe æternis addictam pœnis, quòd peccatum unâ voluntate, & conſenſu deſignatum non auſa eſſet præ pudore Sacerdoti in ſacro conſcientiæ tribunali aperire.* Auctor citatus in itinerario paradyſi. Serm. 11. de Pœnitentia.

Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Pſal. 35. His verbis ipſi dæmones uſi ſunt in hiſtoria ſequenti, quam refert Lucas Wadingus Tomo 10. Annal. Ordinis Minorum ad annum Chriſti 1247. num. 5. Cùm Joannes Parmenſis Miniſter Generalis Ordinis viſitaret Ultramontanas Provincias; contigit brumali tempore, ut itineris errore per totum diem deviaret, atque in deſerto, medijsque in ſylvis ingruentem noctem ſuſtineret. Hic ſocii

ſocii eum de periculo, & labore admonuerunt, ſeu potiùs amicè interrogârunt, quid eſſet faciendum? Reſpondit ſecurus ad Divinum auxilium eſſe recurrendum, confiderent, Deum nunquam in ſe confidentibus deeſſe, implorandam eſſe Deiparam Virginem, ac B. Patrem Franciſcum. Cœpit is preces & ad illam, & ad hunc fundere. Quibus dictis audierunt pulſari campanam; cujus excitati ſonitu perrexerunt viâ lutulentâ, & difficili, donec ad vicinam pervenirent Abbatiam. Oſtiô pulſatô procurrunt obviam quaſi ex condicto expectantes Monachi complures, qui promptè receperunt hoſpites. Ducunt ad ignem, lavant pedes, exiccant veſtimenta, apponunt cœnam, ſternunt lectos, omnia miniſtrant neceſſaria, ut videbatur alacritate magnâ. Poſt primam vigiliam ſurrexit Generalis ad orationem, & audita campana, quà noctu ad laudes Divinas convocantur Monachi, ad chorum cum ipſis pergit relictis ſocijs, qui ſomno, & fatigatione opprimebantur. Officium inchoaturus Hebdomadarius nec conſueta uſus eſt cæremonia, nec ordine, nec verſiculo: *Domine labia mea aperies* &c. Sed abruptim, & cum turbatione incepit ab illo verſu Pſalmi 35. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, reſpondit Chorus, *expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* Tertio id ipſum repetitnm fuit, quod movit Generali ſuſpicionem. Præcepit igitur in virtute Paſſionis Chriſti, & SS. Nominis ejus, ut ocyus edicerent, qui-

quinam eſſent? reſpondit, qui Abbatis loco videbatur præeſſe, omnes eſſe Angelos tenebrarum, cælo pulſos, qui ex divino præcepto inviti miſſi ſint ad miniſtrandum ea nocte ipſi, & ſocijs, *precibus*, inquit, *Matris Dei, & illius vexilliferi Patris veſtri.* His dictis totum evanuit, quod ibi videbatur eſſe extructum Monaſterium. Ipſe verò nemoroſo in antro conſtitit. Generalis ſocios excitavit, & per reliquam noctem uſque ad auroram in divinis laudibus perſeveravit. Hæc Wadingus.

Fructus hujus Meditationis.

PRimus. *Timor Dei.* Sto attonitus, & conſidero, quia cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo. *Si in Angelis reperiſti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt ſtellæ de cœlo, & ego pulvis quid præſumo?* Thomas de Kemp. lib. 3. de Imit. Chriſti cap. 14.

Secundus. *Studium Humilitatis.* Quàm inimica Deo ſit ſuperbia, amica verò humilitas, docet comparatione S. Auguſtinus ſerm. 12. ad Fratres, dum ait: *O ſancta humilitas, quàm diſſimilis es ſuperbiæ? Ipſa ſuperbia, fratres mei, Luciferum cœlo ejecit: ſed humilitas Dei Filium incarnavit. Ipſa ſuperbia Adam Paradiſo expulit, ſed humilitas latronem in paradiſum introduxit. Superbia gigantum linguas diviſit, & confudit, ſed humilitas gentes congregavit diſperſas. Superbia Nabuchodonoſorem in beſtiam tranſmutavit, ſed humilitas*

litas Joſeph Principem Iſraël conſtituit. Superbia Pharaonem ſubmerſit, ſed humilitas Moſen exaltavit. Hæc Divus.

Tertius. *Odium ſuiipſius & punitio.* Optimè ratiocinatur Nierembergius lib.4. de Adorat. in Spir.& Verit. cap. 10. *Severius & fructuoſius te in temetipſum oporteret moveri, quàm erga perverſiorem dæmonem. Dæmon unum peccatum fecit cogitationis, ob quod damnatus fuit: tu innumera etiam operis. Ille peccavit in DEUM, cui minus obligatus erat: nec enim Angelus factus fuit Deus, nec tormenta pro Angelis eſt paſſus, nec illis aliquando pepercit; quemadmodum pro te homo factus ſanguinem ſuum effudit, & plùs quàm ſeptuagies ſepties pepercit tibi, & parcet. O anima per JEsum obteſtor, ut conſideres hæc, nec te ames inordinatè, ſi habes Zelum honoris divini, & exaltandi gloriam Dei.*

CONSIDERATIO IV.

DE PECCATO PRIMORUM PARENTUM.

Ex ligno, quod præceperam tibi, ne comederes, comediſti. Gen.3.

Adam ubi es?
Cur abſcondis te, & ad adventum Benigniſſimi Creatoris tui erubeſcis?

Timui,

Timui, eò quòd nudus eſſem. *Gen. 3.*
Itáne?
Quis indicavit tibi, quòd nudus eſſes,
niſi quod ex ligno vetito comediſti? *Gen. 3.*

Ergò peccatum
Quod nocentibus tenebras offundit,
tibi oculos aperuit?
Feliciſſimus,
Cùm eras cæcus.
Infeliciſſimus
Cùm vides.
Sed cur nudum te dicis?
Deſpoliaverunt te latrones veſte nobi-
liſſima, pulcherrima, beatiſſima
Innocentiæ: *Luca 10.*
Juſtitiæ originalis, & virtutum
Omnium.
At qui hi latrones?
Qui minimè eſſe debebant, & ſunt
frequentes.
Mulier, quam dediſti mihi ſociam, de-
dit mihi de ligno, & comedi. *Gen. 3.*
O verè
Inimici hominis domeſtici ejus!
Matth. 1.

Siccine ſocia
Et data in adjutorium ſit in exitium:
Hæc decepit te, ipſa decepta à ſerpente
Mendace, virulento.
Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicuti Dij.

Digitized by Google

ſcientes bonum, & malum. *Gen. 3.*
Obtulit
Malum aſpectu delectabile,
Intulit
Malum animabus exitiabile.
O infelix Adame,
Sciebas jam bonum, gaudebas omni bono;
Quid opus erat ſcire omne malum?
Scientia damnoſiſſima!
Cùm hæc non inter ſolam ſe contineat notitiam,
Sed infeliciſſimam ſecum trahat praxin, & experientiam.
Experiris Adame malum, pateris, doles malo tuo infeliciter doctus;
feliciſſimus
Si idiota permanſiſſes:
Experiris,
Quòd terra maledicta in opere tuo ſpinas & tribulos
Tibi Paradyſo ejecto germinet. *Gen. 3.*
Doles,
Dum in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Ibidem*
Pateris
Cùm reverteris in terram, de qua ſumptus es
& pulvis in pulverem reverteris. *Ibid.*
O
Scientia mali miſerrima!
Verùm

Num

Num his circumſcribitur malis?
Ah utinam!
At cum radice maledicitur arbor:
cum fonte fluvius inficitur.
In patre patitur omnis poſteritas.
Cum reo damnantur Nepotes.
Cum ejectis parentibus filij nondum nati
exulant,
In hos armatur omnis creatura.
Educuntur
agmina malorum, & his orbis inundat.
Tantum potuit unicum malum!
Ex pœna hujus peccati.
Tot milliones hominum naſcuntur immundi,
miſeri, obnoxij fami, ſiti, calori, frigori,
ærumnis ſexcentis, morbis, & ipſi
morti.
Tantum potuit unum malum!
Quot mortalium ſine baptiſmo originis macula
ſordidi inter Chriſtianos, Judæos, Turcas, Gentiles perpetua felicitate excluduntur?
Tantum nocuit unum malum!
Quanta committuntur ſcelera? idololatriæ, hæreſes, ſchiſmata, effuſiones ſanguinis innocentis,
veneficia, oppreſſiones pauperum, perfidiæ, flagitia carnis infanda, & alia innumera peccata?
Tantum obfuit unum malum!
Quid cœlum claudit? infernum aperit, &
ignem inflammat gehennalem?
Tantum excitavit incendium ſcintilla una,

unum malum!

O pomum! quantula res?

Unius hujus morſus ipſi DEO incarnato inflixit pœnas. Huic morſui nec Angeli, nec homines ſanctiſſimi, etſi univerſi, potuiſſent mederi.

opus fuit;

(O rem mirandam!)

Ipſo DEO patiente, & (proh dolor!) Crucifixo,

Ut malum à malo invectum tolleretur.

Diſce ô peccator

Ex præſentia Medici, & medicinæ qualitate

Mali gravitatem.

ô Domine

Confige timore tuo carnes meas, à Judicijs enim tuis timui. *Pſal.* 118.

SENTENTIÆ.

UBi magna inobedientiæ pœna eſt propoſita, & res à Creatore facilis imperata; quiſnam ſatis explicet, quantum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terreri ſupplicio? *S. Aug. lib.* 14. *de Civitate. cap.* 15.

Non potuit DEUS perfectius demonſtrare, quantum ſit bonum obedientiæ, niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi inobedientia invenit pœnã. *Idem in Pſal.* 70 *conc.* 2.

Peccando extra ſemetipſum pulſus jam illa cœleſtis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre non potuit. In paradiſo quippe aſſueverat

Digitized by Google

verat homo verbis DEI perfrui, Beatorum Angelorum ſpiritibus cordis munditiâ, & celſitudinis viſione intereſſe. Sed poſtquam cecidit, ab illo, quo implebatur, mentis lumine receſſit. *S. Greg. initio lib. 4. Dial.*

Nunquid dixit Adam: Peccavi? Superbia habet confuſionis deformitatem, & non habet confeſſionis humilitatem. *S. Auguſt. lib.* 11. *in Geneſ. cap.* 35.

Quid dixit Eva? Audiamus eundem Eccleſiæ Doctorem: Serpens decepit me, & comedi; nec iſta confitetur peccatum, ſed in alterum refert impari ſexu, pari faſtu. Quantò melius uterq; diceret: Ego dixi Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi!

Ad hoc ſiquidem teſte S. Gregorio lib. 2. Mor. cap. 13. requiſiti fuerant ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerant, confitendo delerent.

Quia homo primus voluit & peccavit; ob hoc meritò damnaretur in æternum, atque omnis ſtirps ejus in perpetuum cum Angelis prævaricatoribus puniretur; niſi gratia ſuperveniret per JEſum Chriſtum D.N. *S. Fulg. lib. de SS. Trinitate. cap.* 9.

Adam ubi es? id eſt non in quo, ſed in quibus? de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia in quam miſeriam incidiſti? Ubi ergò es: hoc eſt non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu? quò te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas? *S. Ambr. lib. de Parad cap.* 14.

Digitized by Google

Adam ubi es? ubi es Adam? Audivi vocem tuam, & abſcondi me. O abſcondite ubi es? quàm longè es, & quàm propè es? Quærit te DEUS tuus, ut tu ipſum invenias; & quæris te, ut & tu ipſum quæras, & dicas Domine ubi es? & tu ergò quid facis? nam ipſe perdidit, & tamen quærit. Si perdidit, non totum perdidit, quia videt, quod perdidit. Tu autem quid? Adam ubi es? tu totum perdidiſti, quia perdidiſti, ne habeas; & videre deſiiſti, ne requiras. O infidelis Adam! ubi eſt recordatio tua? dure, indurate, obdurate! non te emollire potuit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor dilectionis, ut liquefieres, & curreres poſt eam. *Hugo Victorin. in alleg.*

Hoc benignitas quærentis intendebat, ut is, qui quærebatur, ſeipſum inveniret, & ſciret, quid perdidiſſet. *S. Rup. in Geneſ. cap.* 3.

Unde cum S. Ambroſio in Pſal. 118. Clamemus. Quære me Domine, inveni me, ſuſcipe me, porta me. Potes invenire, quem tu requiris: dignare ſuſcipere, quem inveneris: impone humeris, quem ſuſceperis. Non ſit tibi pium onus faſtidio.

Fructus hujus Meditationis.

PRimus. *Inobedientia in rebus parvis non excuſat, ſed accuſat, atque eſt pernitioſa. Sicut Abrahæ*, ait S. Auguſtinus lib. 14. de civit. cap. 14. *non immeritò magna obedientia prædicatur, ita & in*

in Paradiſo tantò major inobedientia fuit, quantò id quod præceptum fuit, nullius difficultatis fuit. Benè S. Bonaventura in ſpec. Diſcip. ad Novit. in Prologo. *Minima neglecta eò turpius moribus maculam ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt. Quàm facilè primis parentibus fuiſſet unicam arborem vetitam miſſam facere, tot aliis arboribus, & fortè melioribus conceſſis: quàm turpe & indignum fuit in re tam exigua, & tamen adeò graviter, ac ſeriò prohibita non obtemperare ob modicum gulæ illicium?*

Secundus. *Mortificatio oculorum & gulæ: Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit:* Gen. 3. O Gula per malum omnis origo, & radix mali! Audiam S. Baſilium regula brev. 196. *Inſpectorem habeo Deum, ergò cibum ita ſumam, ut nullus offendatur, Dei gloria non minuatur; nolo ventris mei eſſe mancipium, ut ſolam hic voluptatem ſecter, neq; enim vivo, ut edam, ſed edam, ut vivam, & par ſim ferendis laboribus: verbo, qui refici vult ſine culpa, nunquam edat, aut bibat, quin hoc ipſum in Dei laudem faciat. Propter te Domine, propter te comedam, & bibam, te meum finem in omnibus quæram.* Hæc Sanctus.

Tertius. *Mulier grande malum repellendum.* Tertullianus de habitu muliebri Evam his alloquitur. *Tu es Diaboli janua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es Divinæ legis prima deſertrix; tu es, quæ eum ſtraviſti, quem Diabolus aggredi non voluit: tu imaginem Dei hominem tam facilè eliſiſti;*

propter tuum meritum id eſt mortem, etiam Filius Dei mori habuit: Aſſentitur S. Auguſtinus. *Reverà iter mali ad hominem mulier fuit ab initio, mortis porta, diſcipula ſerpentis, Diaboli conſiliaria, fur arboris, fons deceptionis, rubigo Sanctorum, vultu ſanctiſſimos eluſit, & homines jam penè Angelos ſactos facie periculoſa dejecit. Cujus latrocinia venerunt ad ſidera &c. quid aliud mulier quàm fornicum decipula, quàm perverſa, & amariſſima peſtis, quæ laqueo blando incautos ſemper eliſit, & veneno innumerabiles lethaliter cruciavit.* Ita S. Doctor.

Quartus. *Excuſationes fugiendæ.* Loquitur S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 9. *Interrogatus fuit homo, ubi eſſet, ut perpetratam culpam reſpiceret, & confitendo cognoſceret. Sed adhibere ſibi uterque defenſionis ſolatia, quàm confeſſionis elegit; cúmque excuſare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per ſerpentem; auxerunt culpam, quam tueri conati ſunt. Obliquè Adam Dominum tangens, quòd ipſe eorum peccati Author extiterit, qui mulierem fecit; & Eva culpam ad Dominum referens, qui ſerpentem in paradiſo poſuiſſet: qui enim ora Diaboli fallentis audierant, Eritis ſicut Dij, quia Deo in Divinitate ſimiles eſſe nequiverant, ad erroris cumulum Deum ſibi ſimilem facere in culpa conati ſunt. Sic ergò reatum ſuum dum defendere moliuntur, addiderunt, ut culpa eorum atrocior diſcuſſa fuerit, quàm fuerat perpetrata. Unde nunc quoque rami humani generis ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, ut dum de vitio ſuo quisque arguitur, ſub defenſionum verba quaſi ſub quædam arborum folia ſe abſcon-*

Digitized by Google

ſcondat, & velut ad excuſationis ſuæ opaca ſecreta faciem Conditoris fugiat, dum non vult cognoſci, quod fecit. Hæc Divus.

HISTORIÆ.

CUm lapſus Adami ob inobedientiam, & gulam non mortificatam fuerit unus unicus, & ideò aliæ non ſint ad manum hiſtoriæ: viſum fuit quaſdam poſt hanc conſiderationem referre, quæ vel non adeò abludant à primorũ parentum delicto, vel ab eo longè recedant; cùm gulam generosè vicerint, & fructus palmæ victricis decerpſerint ſvaviſſimos. Atque hâc ratione exercitans lectione pia, & (uti ſpero) utili non deſtituetur.

Pœnæ Gulæ non mortificatæ.

DUm Jacob Iſaaci filius pulticula ex lente domi veſcitur, ſupervenit Eſau frater natu major, & primogenitus oppidò laſſus de venatione, & ut fieri ſolet, Famelicus. Vix oculos in edulium conjecerat, cum dentibus etiam in cibum prurit, adeò ut cum ſaturandæ fami præfervidus poſtularet. Jacob eâ conditione pultem conceſſit, ſi ſibi prærogativam natalem cederet. Hic turbatus alter cupiditate gulæ addicit, quod poſcebatur, ſimúlque cum vili lenticula decoquit principatum familiæ, dignitatem ſacerdotalem, opimiorem hæreditatis partem, & quicquid bonorum cum fauſta Patris appreca-

tione conjungebatur. *Gen.* 25. Quam benè monet Eccleſiaſticus 37. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & ne effundas te ſuper omnem eſcam.* S. Auguſtinus in illud Rom. 14. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*, ait: *Non propter porcum, ſed propter pomum mortem invexit primus homo, & Eſau primatum ſuum non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit.* Nempe teſte S. Gregorio lib. 30. Moral. *Non cibus, ſed appetitus in vitio eſt.*

Numerorum capite undecimo vulgus promiſcuũ, quod aſcenderat cum eis, flagravit deſiderio ſedens, & flẽs, junctis ſibi pariter filijs Iſrael, & ait: *Quis dabit vobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in menſem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porcique, & cepæ, & alia: Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* En faſtiditur cibus cœlo delapſus, appetuntur cepæ & alia viliſſima; neque ſine ſeditione depoſcuntur. Iratus eſt ergò furor Domini valde, ſed & Moyſi (aliàs mitiſſimo) intoleranda res viſa eſt. Obedivit quodammodo Deus populo, ſed ad ejus malum; miniſterio venti immenſam coturnicum copiam latè per caſtra effudit: quæ volatu fatigatæ, fractæque nullo negotio converrebantur potiùs, quàm colligebantur in cumulum. E veſtigio gulam ſecuta eſt pœna, dum ingluvies ſaginatur pennatâ prædâ, mors cum cibo deglutitur. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum,*

num, & electos Iſraël impedivit. Pſal. 77. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis: multis mortalium millibus è vita exturbatis, quæ ibi habuerunt tumulum, ubi epulum, quem ne ignorarent poſteri, Epitaphium ſacer Hiſtoricus addidit *Sepulchra concupiſcentiæ.* Verè dixit Eccleſiaſticus cap. 18. *Si præſtes animæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Optimè S. Chryſoſtomus hom. 10. ad Philipp. *Ventrem accepiſti, ut nutrias, non ut diſtendas: ut illi domineris, non ut dominum habeas: ut tibi inſerviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi ſervias, ut fines tranſilias. Non tot malorum cauſa eſt mare fines tranſgreſſum, quot venter corpori, animæque noſtræ.*

S. Pachomius ad monaſterium ſuæ curæ creditum profectus illud viſitaturus vidit ibidem juvenes aliquot tirones ficum præcelſam ſcandentes, clam decerpturi & comeſturi ſine venia petitâ ejuſdem fructus. Ad quos cùm propiùs acceſſiſſet, conſpexit arboris vertici inſidentem cacodæmonem. Unde mox collegit hunc eſſe ingluviei, gulæque ſpiritum, qui quamvis omni, magis tamen teneræ, ætati inſidiatur. Quare accito hortulano venerabili, Sanctóque ſeni præcepit ficum illam ſucciderer, ne juvenibus eſſet occaſio tentationis. Hortulanus oravit Sanctum arborem ſervatam velit utpote Cœnobio admodùm fructuoſam. Tacuit Pachomius, ne

gravis

gravis eſſet optimo ſeni, qui quintum, & quinquageſimum annum religioſus exegerat, munere hortulani diutiſſimè magna ſedulitate, charitate, ac virtute functus, cùm in alios munificus hortenſes fructus ſoleret liberaliter fratribus elargiri, ipſe verò libaret nullum ſui victor egregius. Nihilominus tamen Sanctus ſe in preces dedit, & poſtero mane ficus adeò exaruit, ut neque radix, neque fructus, neque ullum viride folium amplius appareret. *Ribad: in Floribus SS. 14. Maij.*

Do verba S. Gregorij M. ex dial. libr. cap. 4. *Quadam die una DEI famula hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupivit, eámque ſigno S. Crucis benedicere oblita avidè momordit: ſed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cúmque veſceretur, Abbati Equiſio celeriter nuntiatum eſt, ut veniret concitus, & orando ſuccurreret. Móxque hortum ut idem Pater inggreſſus eſt, cæpit ex ejus ore, quaſi ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat, diabolus clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? ſedebam ibi ſuper lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum gravi indignatione vir DEI præcepit, ut diſcederet, & locum in Omnipotentis DEI famula non haberet. Qui protinus abſceſſit, nec eam ultra contingere prævaluit. Ita Sanctus Pontifex.*

Quidam comeſſator cùm quodam veſperi ſecundùm conſuetudinem ſuam, ut ſe ingurgitaret, cum ſocio menſæ accubuiſſet, vix quartum bolum ori admovit: cùm interclusis faucibus, intor-

tortiſque horrendùm oculis expiravit. *Cantiprat. lib. 2. Apum. Cap. 12 S. 5.*

Pugnæ Heroicæ, & Præmia Gulæ Victæ.

ABbas Hellen aliquo mellis comedendi appetitu tenebatur, aderátque opportunitas oblato mellis alueolo: ſed ſtudioſus mortificationis juſſit faceſſere improbam Cupiditatem, & ne contactu quidem mel libavit. Aliàs poſteaquam tres ſeptimanas jejunâſſet, gulâ tentatus fructibus abſtinuit, dein ab Angelo ad fontem ductus cibo, & potu ſuaviſſimis fuit recreatus. De quo infra Hebdomade ſecunda Conſiderat. nona.

S Maria Magdalena de Pazzis in ſummo æſtu nullo utebatur fructu refrigerativo. Quod adeò DEO placuit, ut poſt 24. annos ei revelaverit, propter hanc gulæ mortificationem præparatam ei eſſe in cælo menſam plenam exquiſitiſſimis cibis. *Vita.*

Adoleſcenti Mexicano quia fæmina impurum ſcelus perſuadere non poterat, ſaccaro temporatum venenum officij obtentu miſit. In dulcem illam eſcam jam jam involaturus juvenis meminit, ſe eâ die mortificationi ſtudere in DEIparæ honorem, adeóque jejunare conſuêſſe. Poſtero die dum illam promi jubet, compertum eſt, quid illa impudica ſuo officio intenderit, patuítque ma-

machinationis dolus bellarijs, illis ſeu ſaccaro vermibus fœdum in modum ſcaturiente, ac fœtente; deprehenſúmque, quòd ſi heri miſſum dulce venenum (uti vehementer in id ſumendum rapiebatur) ſumpſiſſet, eo fuiſſe extinguendum. Igitur Confeſſarium adijt, peccata ſua expiavit, SS. Epulo accubuit, & DEO, ejuſque Matri Soſpitiatrici ſuæ, pro vita ſervata gratias egit. *Nadaſi in Annal. Marian. an.* 1599. *num.* 361.

S. Sabbas adhuc juvenis colens hortum Monaſterij, victus aliquando ſpecie pendentis pomi ex arbore illud decerpſit eſurus: ſed memor lapſus primorum parentum & metuens inſidias diaboli erubuit infirmitatem ſuam, ſeipſum increpans pomum pedibus conculcavit, legémque ſibi tulit totâ vitâ pomum deinceps nullum comedere. *Cyrillus Monachus in vita S. Sabbæ.*

Cum ſeni Anachoretæ fratres ex charitate melopeponem, cujus eſum vehementer appetebat, miſiſſent; illum in cella repoſuit, ſæpius per diem aſpexit, & deoſculatus eſt: ſed ab edendo tam diu abſtinuit, donec putreſceret. Quod & Japonum in edulij carnei aſſervatione, ac dilatione feciſſe referunt *Annales Ordinis S. Franciſci.*

S. Dunſtanus alicujus edulij cupiditate Sacrificij tempore tentatus, ne vel ipſa tentatio ſi diutius inſiſteret, aliquid labeculæ aſpergeret, votum tota vita ab eo edulio abſtinendi è veſtigio emiſit. *Vita.*

S. Thomas Aquinas, cùm ipſi aliquando nauſea-

ſcabundo, & infirmo allatæ eſſent haleces, quas experierat, noluit eas in cibum ſumere. *Vita.*

Jonas S. Pachomij diſcipulus annis quamplurimis horti curam gerens, frugiferáſque plantans arbores nullum unquam ex ijs ad mortem uſque fructum guſtavit. *Metaph. ex vit. PP. cap.* 44.

Alphonſus Rodriquez è Soc. Jesu Adjutor per annos 30. ſalem non comedit, quia illi valde ſapiebat; uti refertur in proceſſu informativo pro ejus Canonizatione facto *teſte Lancicio opuſc.* 2.

P. Antonius Bellavia ex eadem Societate cùm inter docendum in ſcholis illum Poëtæ verſum explicaret:

Et quodcunque mihi pomum, novus educat annus,
Libatum agricola ponitur ante Deo.

magno verborum pondere ſuaſit auditoribus, ut aſſueſcerent primos anni fructus DEO offerre, geniúmque ſuum defraudare, atque hanc de gula victoriam ille Mortificationis negativæ nomine appellabat. Placet nempe, quando placiturum palato bolum tibi negas, ut te DEI amore pervincas. *Annua Braſil.* 1613.

Referebant nobis (ait libro Sent. Patrum S. I) de quodam fratre dicentes. *Hunc quodam tempore ita impugnabant dæmones, ut ſtatim hora diei prima tantam famem, & defectionem corpori ejus facerent, ut penitus ſuſtinere non poſſet. Verum tamen ille dicebat in corde ſuo: quia qualitercunque oportet me vel uſque ad tertiam expectare, & tunc Cibum ſumere, cúmque facta fuiſſet hora tertia,*

D *iterum*

iterum dicebat cogitationibus ſuis. Etiam & nun violenter oportet me ſuſtinere uſque ad horam ſextam Et cùm adveniſſet hora ſexta, infundebat panem in aqua dicens. Dum hic panis infunditur, oporte me expectare horam nonam. Qua præſente ſecundum conſuetudinem complebat omnes orationes, & pſalmodiam ſecundùm regulam, & ponebat panem ut comederet. Hoc ergo per plurimos dies factitavit. Quadam autem die ſimiliter ab hora prima cum ad horam nonam cibo abſtinuiſſet, vidit ſub eadem deſportella, in qua panis repoſitus erat, ſurgere fumum magnum, & egredi per feneſtram cellæ. Atque ab illo die neque eſurijt, neque defectionem corporis ſenſit ullam, potius ita corroboratus fuit, ut etiam poſt biduum jejunus cibum non appeteret. Tam felix DEI gratia auxiliante finis certamini fuit impoſitus.

Miles quidam (refero verba Cæſarij lib. 4. cap. 77.) multa ſcelera commiſerat, tandem ductus pænitentia venit ad ſacerdotem de commiſſis facta confeſſione pænitentiam ſuſcepit, ſed ſuſceptam ſervare non potuit. Cúmque hoc ſæpius actitaſſet, die quadem dixit illi Sacerdos: *Nihil ſic proficimus, dic ergo mihi. Eſtne aliquid, quod pro peccatis tuis poſſis cuſtodire?* Reſpondit ille. *Eſt pomus in poſſeſſione mea talis, cujus fructus peſſimus, & amarus eſt adeò, ut nunquam ullum comedere poſſim. Si videtur vobis bonum, pænitentia mea ſit ut quoad uſque vivam, de ejuſdem pomis non guſtem.* Sciens Sacerdos maximè poſt prohibitionem excitante carne, atque diabolo conſurgere

ſurgere tentationem reſpondit, *Pro omnibus peccatis tuis tibi injungo, ut nunquam de fructu ejuſdem arboris ſcienter comedas.* Abijt miles pænitentiam injunctam pro nihilo reputans. Sic ſita erat ipſa arbor, ut quoties ædibus ſuis egrederetur, vel eas ingrederetur, eam reſpicere poſſet. Reſpiciendo ſemper prohibitionis recordabatur, & recordando mox graviſſimè tentabatur. Die quadam ante arborem dictam tranſiens, & poma in ea conſiderans ab eo, qui primum hominem per lignum prohibitum tentavit, & proſtravit, tam validè tentatus eſt; ut arborem adierit, & ad pomum decerpendum nunc manum extendendo nunc extenſam retrahendo totum penè diem contrarijs niſibus exegerit. Tandem adjuvante gratia Divina triumphans in tantum concupiſcentiæ reſtitit, ut corde coanguſtato ſub arbore jacens Spiritum exhalerit, ita Cæſarius.

Pruritum & aviditatem gulæ piè repreſſit quidam Archiepiſcopus; huic cùm menſæ accumbenti appoſitæ fuiſſent ficus quarum naturâ erat appetentior; unam præ cupiditate cibi grati oblitus benedictionis, quam aliàs ſolitus fuerat præmittere, arripuit. Jamjam ori immiſſurus, & comeſturus advertit errorem ſuum, & eum corrigens dixit gulæ ſuæ: *Domina Gula nimium feſtinaſtis, & ideo facite hanc pænitentiam: hodie ficus non comedatis*: inſuper per integrum menſem ſibi apponi juſſit ficus, quas tamen nunquam attigit. CollectorSpeculi. Exemplorum.

 CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO V.

DE PECCATI MORTALIS GRAVITATE.

De hac S. Ignatius hebdom. I. Exercitio primo, puncto tertio ſic loquitur. *Memoria verſandum erit, quanta ſit peccati gravitas, & malitia DEUM omnium Conditorem, atque Dominum offendentis. Ex quibus conſtat S. Patrem* jn hoc puncto unius ſolùm meminiſſe cauſæ, ex qua peccati malitia cognoſci poſſit, *offenſi nempe DEI.* Hæc quoque conſideratio de illa ſolùm agat, ſequens aliam afferat rationem.

Tibi ſoli peccavi. Pſal. 50.

Quid canis
Sanctiſſime Pænitens, Rex, & Pſaltes?
Tùne DEO ſoli fuiſti injùrius?

Pec-

Peccaſti ſoli?
Nunquid animæ quoque tuæ nocuiſti?
Cur ergo triſtis eſt anima tua, & ad teipſum conturbata eſt? *Pſal.* 41.
Nunquid Betſabeam, dum perditè amaſti, perdidiſti?
Nunquid in Uriam Hethæum peccaſti?
Cujus uxorem violaſti, cujus ſanguinem fudiſti.
Nunquid Achitophelum offendiſti?
Cujus nepte turpiſſimè abuſus es?
Scandalo fuiſti palatinis tuis, ſubditis, totique regno,
Et blaſphemare feciſti inimicos Domini. 3. *Reg.* 12.
Et tu pænitens gemis?
Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.
Sed gemis prudentiſſimè, æquiſſimè:
DEUM Optimum
Tuis peccatis offendiſti, ei Soli peccaſti:
Quia hujus offenſio
Tanta eſt, ut ſola in gemitus jure veniat; aliæ omnes, etſi plurimæ, ab hac abſorbentur.
Huic collatæ nullæ, nullæ prorſus ſunt.
Præ ſole non videntur ſtellæ.
Num mari comparatæ guttulæ in aliquem veniunt numerum?
Muſca cum elephante, ſcintilla cum ſole, lutum cum auro, nullius ſunt conſiderationis.
Injuria homini illata, & Eadem DEUM

Digitized by Google

offendens quanti eſt diſcriminis?
Rex alapâ percuſſus, & vile percuſſum mancipium
Nequaquam ejuſdem ſunt reatus, & ſupplicij.
Offenſio hominis tibi paris levis eſt,
te nobilioris gravior,
Regiæ Majeſtatis graviſſima.
Quæ ergo erit?
Cùm ſuprema Regis Regum, & Domini Dominantium Majeſtas læditur, ſpernitur, & conculcatur?
Nunquid malitia peccati omnem attigit apicem iniquitatis, cùm ipſum Altiſſimum invaſit, crucifixit, & oſtentui habuit? *ad Heb. 6.*
Nunquid omnem exuis frontem peccator impudentiſſime,
Cùm Optimum Dominum, tui amantiſſimum, & ipſum amorem indigniſſimè tractas?
Nunquid meritò ingratiſſimus, & nequiſſimus audis:
Cùm tuum Conditorem, Redemptorem, Conſervatorem, in quo es, vivis, & moveris. *Act. 17.*
Cujus Bonitas ſolem oriri facit; ſexcenta arcet pericula; innumera momentis propè ſingulis in te profundit beneficia, improbiſſimus conſpuis?
Huic contemptui, impietati, & proterviæ expiandis unúsne ſufficit Infernus?

Odium

Digitized by Google

Odium Ipſius DEI, atque indignationem immenſam incurriſti, hoſtis Summi
Principis exoſiſſimus:
Quid verò
Execrabilius, & pernitioſius dici, excogitarive
poteſt, quàm eſſe inimicum DEI,
eſſe hoſtem Illius DEI:
Qui nihil odit niſi peccatum, omnibus præſens cooperatur præterquam peccato: nullâ re offenditur niſi peccato: adverſus aliud non
indignatur, infremit, rugit niſi
Peccatum? *Oſeæ* 11.
Num ad odium hoc extinguendum, & tantum
placandum Hoſtem Æternitas etiam in
inferno doloriſiſſima erit
ſufficiens?
Non erit.
Quamplurima millia damnatorum ardent, & æternùm ardebunt ob unum ſolum commiſſum
peccatum, in quo mors illos
occupavit.
His
Non proſunt vel integra lacrymarum effuſa maria, vel omnium Cælitum, & Angelorum intercesſiones; nec ipſe, Infiniti licèt
valoris, Sanguis in Cruce
effuſus.
Ardent, & ardebunt, quos peccatum
Orco ſubmiſit.
O Peccator!
Malum, & amarum eſt reliquiſſe te

Digitized by Google

Dominum DEUM tuum. *Jerem.* 2.

O Peccatum!

Malum maximum, teterrimum: & ſolum malum: pænæ dæmonum, & hominum malæ non ſunt, quia ab Eo infliguntur, qui malum facere non poteſt.

Cur ergo impius tibi peccavi? & peccabo?

O DEUS Summum Bonum meum!

Malo mori millies, malo infernum ſubire millies, quàm te offendere, & relinquere fontem aquæ vivæ. *Jerm.* 2.

Ignoſce infinita Bonitas propter Te, quod offenderim Te.

Concede Infinita Bonitas propter Te, Ut nunquam offendam Te.

SENTENTIÆ.

Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI, & oſtentui habentes. *ad Heb.* 6.

Qui Filium DEI conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti polluerit. *ibidem.*

Agnoſce, quàm gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari: ſi enim non eſſent ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius DEI moreretur. *S. Bern. ſerm.* 3. *de Nativit.*

Magis aggravant Chriſtum vulnera peccati noſtri, quàm vulnera corporis ſui. *S. Bern. ſerm.* 2. *de Paſch.*

Cur

Digitized by Google

Cur me graviore tuorum criminum cruce, quàm illa, in qua olim pependeram, afflixiſti? gravior apud me tuorum peccatorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui miſertus aſcendi. *S. Auguſtinus ſerm.* 181. *de temp.*

Vide peccator hominem, quem crucifixiſti: vide vel vulnera, quæ infixiſti, vide latus, quod transfixiſti: quoniam per te, & propter te apertum eſt, & intrare noluiſti. *Idem lib.* 2. *de ſymb. cap.* 8.

Doles Domine, & verè doles non tua vulnera, ſed noſtra ſcelera. *S. Ambroſ. in S. Lucam cap.* 10. Quia ſcilicet infinities magis DEUS odit unum peccatum, quàm omnia tormenta, quorum illud cauſa eſt. Hinc *S. Bonaventura* majorem habuit compaſſionem de peccatis noſtris, quàm tormentorum paſſionem.

In ipſum (horribile dictu) deſævit authorem. Nam quantum in ipſa eſt, ipſum perimit DEUM voluntas propria. *S. Bern. ſerm.* 3. *de Reſurrect.*

Vulnerarunt illi Chriſti jam mortui latus: nos contra voluntatem regnantis, & in æternitate viventis dum aliquid facimus, quid aliud, quàm ejus cor volneramus? id quod ipſe aliquando Paulo conqueſtus dicebat: *Saule Saule quid me perſequeris? S. Franc. Borgias tract.* 1.

Nomina Calamitatum philoſophantibus nomina tantùm ſunt, vera autem calamitas eſt DEUM Offendere. *S. Chryſoſt. homil.* 5. *ad pop.*

Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem

concitavit DEUM ſuum. *Oſea.* 14. Quantæ amaritudinis debet eſſe peccatum, quæ momento DEUM infinitæ, ac immenſæ dulcedinis oceanum reddit amariſſimum?

Sicut fremitus leonis, ita & regis ira. *Proverb.* 19. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis, qui provocat eum, peccat in animam ſuam. *Proverb.* 20. S. Baſilius *hom. 9. in Hexamer.* S. Ambroſius, & S Joannes Damaſcenus ſcribunt leonis rugitum tantam habere vim, & tantum incutere terrorem, ut pleraque animalia, quæ aliàs pedum pernicitate evaderent, rugitu perculſæ concidant, & prædæ fiant. Si ita Reges terreni terrent, quid ille aget offenſus, cujus iræ reſiſtere nemo poteſt, & ſub quo curvantur, qui portant orbem? *Iob.* 9. Cujus verbum faciunt ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum. *Pſal.* 138.

Penſa cujus ſit formidinis & horroris tuum atque omnium contempſiſſe Factorem, offendiſſe Dominum Majeſtatis. Majeſtatis eſt timeri, Domini eſt timeri, atque maximè hujus Majeſtatis, & hujus Domini. Nam ſi reum Regiæ Majeſtatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite ſancitum eſt, quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit? tangit montes, & fumigant, & tam tremendam Majeſtatem audet irritare vilis pulviſculus. Uno levi flatu mox diſpergendus, & minimè recolligendus. Ille, ille timendus eſt &c. Qui poſtquam occiderit corpus poteſtatem habet mittere in gehennam. *Ita S. Bern. ſerm. 16. in Cant.*

Ta-

Talem Patrem (DEUM) offendere quàm crudele. *S. Aug. de vera & falſa pænit. cap. 8.*

Quanam fronte attollo oculos ad vultum Patris tam boni tam malus filius? *S. Bern. ſerm. 16. ſuper Cant.* Deus noſter eſt Dominus. Summum nempe læſit Dominum, Patrem offendit amabiliſſimum, & neglecto ſuo Creatore vertit ſe ad creaturam, & ſuum finem in ea conſtituit, quod eſt idololatria. Creſcit hæc audacia qui hæc fecit præſente, & vidente Deo; ſic Chriſti adſtanti præfertur Barrabas. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. *Jerem. 2.*

Deus in tantum peccatum noſtrum abhorruit, ut potiùs mortem Filij quàm peccatum ſuſtineret; magis ſibi placuit Filium tradere cruci, quàm dedecus peccati ſuſtinere. *S. Bonaventura ſtimulo Divini amoris. cap. 7.*

Rationem hujus odij dat Leſſius *de div. Perf. lib. 8. cap. 4. Cùm Deus ſit ſumma, & ipſa ſanctitas, ſummè illi diſplicet omne peccatum: nam ſicut luci adverſantur tenebræ, & pulchritudini deformitas, & puritati contaminatio, & rectitudini obliquitas; ita ſanctitati repugnat, ac exoſum eſt omne peccatum.*

HI-

HISTORIÆ.

SAnctaBrigitta mane de cruciatibusChriſti audierat concionem: noctu ei Chriſtus apparuit ea ſpecie, qua crucifixus, & ait: *Intuere vulnera mea.* Ad quæ illa: *Heu Domine unde tibi tam recentia vulnera?* Cui ille, *ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores.* Surius in ejus vita.

Beatiſs. Virgo apparens S. Coletæ cum lance fruſtis carnis quaſi infantis recens occiſi plena ita querebatur de peccatore: *Quid? pro te intercedam? qui peccatis tuis filium meum, quantum quidem potuiſti, ita ut hic vides, in fruſta diſcerpis.* Surius in ejus vita cap. 29. *Ach mi IESU ego ſum tui plaga doloris, tua culpa occiſionis. O mirabilis cenſuræ conditio! peccat iniquus, & punitur juſtus.* S. Aug. medit. cap. 2.

S. Lutgardi Beatiſs. Virgo in veſte lugubri, ac vultu apparens dixit. *Ecce iterum ab hæreticis crucifigitur Filius meus.* (erant Albigenſes) præcepitque ei, ut ad avertendam DEI iram annis ſeptem jejunaret. *Thomus Cantipratanus.*

S. Beniaminus Diaconus ab Jadegarde Rege Perſarum ſollicitatus ad defectionem Regem interrogavit, quo ſupplicio transfugam perimeret? reſpondit hic, *crudeliſſimo. Qua ergò*, ſubijcit Sanctus, *morte dignus eſt, qui DEUM ſuum univerſorum Dominum audet negare, ac offendere, ne alicui Creaturæ diſpliceat?* Theodoret. lib. 15. cap. 38.

B. Poly-

Digitized by Google

B. Polycarpus ait Herodi Proconſuli Rogum minitanti: *octoginta & ſex annos ſervivi Chriſto, & in nullo me læſit unquam, quomodo ei maledicam? Eum lædam?* Euſeb. lib. 4. O peccator nemo rogum minitatur, guttula mellis duntaxat proponitur, & Deo tanto Benefactori maledicis: Audi S. Cyprianum de duplici Martyrio ad Fortunatum. *Tam vili mercedula ſolicitatus ſponte deficis ad eum, à cujus tyrannide te Chriſtus ſuo ſanguine redemit? cujus jam totus factus es? cujus Sacramentis initiatus es?*

Deus aliquando S. Catharinæ Genuenſi ex ſingulari gratia aliquam peccati turpitudinem tantùm per tranſennam, & in momento ob mentis oculos poſuerat, cùm illa ita toto corpore inhorruit, ut nihil abeſſet, quo deſtitueret eam animus. Exin virgo tantùm in peccatum concepit odium, ut ejus vel umbra (niſi Deus ſervaret) eam interimeret, atque ſimilem peccati cognitionem; & omnibus hominibus tanto optabat deſiderio, ut illud ſi conſequeretur, parata eſſet quicquid tormentorum ſubire, ac pati. *Author vitæ cap. 4.*

S. Ludovicus Rex filio ſuo Philippo nihil voluit eſſe commendatius, quàm ut peccatum fugeret; etſi omnia mundi tormenta illi ſubeunda forent. *Surius in vita 25. Aug.*

Sanctus quidam Eremita miraculis clarus, & in dæmones potens, ne vana gloria elatus Deum offenderet; ab eodē poſtulavit, impetravitq; , ut ipſe à dæmone poſſideretur. Ita viro ſancto peccatum erat ipſo dæmone formidabilius. *Surius 8. Januarij.*

Con-

CONSIDERATIO VI.

DE GRAVITATE PECCATI MORTALIS EX DAMNIS, ET POENIS.

Qui diligit Iniquitatem, odit Animam ſuam. Pſal. 10.

Audio Paradoxa duo.
Odiſſe animam ſuam, & ſe ipſum quis poſſit?
Cùm charitas incipiat à ſe ipſo?
Iniquitatem diligere, & habere in delicijs
quis poſſit?
Monſtrum horrendum, informe, ingens.
Obſtupeſcite cœli ſuper hæc,
Et portæ ejus deſolamini vehementer. *Jerem.* 2
Diligunt homines tenebras magis, quàm
lucem. *Joan.* 3.
Mortem magis, quàm vitam eligunt. *Jerem.* 8.
Homicidam animæ ſuæ proponunt Chriſto,
voluptatulam peſtilentem delicijs cœli,
Felicitati, ſaluti, gloriæ, æterno bono
Peſtem, perditionem, confuſionem, æternum
Malum.
Filij hominum
uſquequo gravi corde? uſquequo diligitis
vanitatem, & quæritis mendacium? *Pſ.* 4.
At ſanctiſſime Vates

Ut

Ut quid diligunt iniquitatem non vanam modò, & mendacem?

Sed exitialem, ſtipendium mortis ſempiternæ? *Ad Rom. 6.*

Inimicam omnis Boni, ſummi Boni Juratiſſimam.

Immanis hæc Bellua

Principium viarum Domini, plenum ſapientia, *Job. 40.*

Et perfectum decore projecit in terram, cænum, ſordes: ob ſuperbiam detractus eſt ad inferos, & concidit cadaver ejus fædiſſimum, fætentiſſimum.

Ubi ille decor? ſeu potius perfectio decoris?

Nunc ipſa eſt

Deformitas, & quidem deterrima;

Ea videlicet,

Quàm ſancti nonnulli vel momento intuiti maluêre uſque ad diem orbis ſupremum ardere, quàm iteratò hujus monſtri aſpectu vel momento cruciari.

Huic Draconi magno, & Angelis ejus *Apoc. 12.*

Immundiſſimis, atterrimis, monſtroſiſſimis iniquitas animam efficit ſimillimam.

Olim ſimilitudinem, & imaginem Dei, *Gen. 1.*

Speculum divinitatis nitidiſſimum.

Et iniquitas

Hujus cauſa turpitudinis diligatur?

Et

Et qui diligit eam, nunquid odit animam
ſuam?
Graſſatur ulterius hæc peſtis.
Dentes Leonis, dentes ejus interficientes
animas hominum. *Eccleſ.* 21.
Quaſi romphæa acuta omnis iniquitas,
plagæ illius non eſt ſanitas. *Ibid.*
Adam vulneratus eſt, mortuus eſt. In
Adamo omnes moriuntur: per peccatũ. 1. *Cor.* 15.
mors in omnes homines pertranſit. *ad Rom.* 5.
O Iniquitas crudelis!
Quæ nondum natos jugulavit,
nondum ortos extinxit,
nondum exiſtentes interfecit.
Verè
Plagæ illius non eſt ſanitas.
In diluvio illi orbis naufragus perijt: *Gen.* 7.
Non fuit illius plagæ ſanitas.
Arſit igne, ac ſulphure Pentapolis: *Gen.* 19.
Non fuit illius plagæ ſanitas.
Pharao, & omnis armata Ægyptus
merguntur: *Exod.* 14.
Non fuit illius plagæ ſanitas.
Annis quadraginta per deſertum ſublata fuere
ſexcenta millia, ſolùm virorum ad pugnam
aptorum, qui voci Domini non
obedierunt:
Non fuit Illius plagæ ſanitas.
Nihil referam de innumeris, fortunarum, famæ, bonorum, ſanitatis corporum
plagis.

Et

Et iniquitas

Horum malorum parens, ſeu potius noverca virulenta diligatur?

Quid dicam de anima?

Quantùm odit is, qui diligit iniquitatem?

Per hanc ſpoliatur omnibus bonis.

Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech.* 38.

Et tum

Nihil peccatore pauperius: quia qui in uno peccavit, multa bona perdet. *Eccl.* 9.

Imò omnia,

Inde ululatus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum. *Zach.* 11.

Inde luctus Jeremiæ, Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. *Thren.* 4.

Si quis

Huic Draconi blandienti portas aperit, bonis ſpoliabitur cunctis; etſi opes infinitæ, & infinita adeſſent merita; diripientur omnia. Nec racemus derelinquetur. *Abdias v.* 5.

O pernitioſum animæ odium!

Quod dat ærugini fructus tot annorum fertilium, & labores eorum ſanctos locuſtæ. *Pſal.* 77.

O amor peccati inſipiens!

Qui ſpoliatus ſe divitem credit, & neſcit! quia

miſer eſt, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Apoc. 3.*

Nec hic ſtat rabies Latronis.

Animam pauperculam, & egentiſſimam Peſſimis habet modis.

Facies eius denigrata eſt ſuper carbones. *Thren. 4.*

Egreſſus eſt à Filia Sion omnis decor eius. *Ibidem.*

Quæ antea fuerat candidior nive propter ſanctitatem, & innocentiam, nitidior lacte propter ſuavitatem bonæ conſcientiæ, rubicundior ebore antiquo per fervorem charitatis, Saphino pulchrior per vitam cæleſtem;

Nunc mutatus eſt color optimus, nunc horror cæli, odium Angelorum, abominatio cælitum, dæmonum ectypon, & ludibrium. *Thren. 4.*

Sed quomodo Iniquitas Amica dilecta ſuos amaſios in morte, & poſt mortem tractat?

Abſalonem ſuſpendit in quercu, & tribus transfigit lanceis. Achitophelum, Aman, Judam laqueo enecat. Zambri cum ſcorto in lupanari obtruncat. Acham ſacrilegum, ſenes adulteros lapidibus obruit. Chore, & Dathan vivos ſepelit. Baltaſarem in convivio mactat, Delatores, & invidos gloriæ Danielis leonibus pro pabulo obijcit.

Mors

Mors peccatorum peſſima. *Pſal.* 33.
Poſt mortem
Epulonem ſepelivit in inferno, & cum filio iniquitatis, eiuſdem amicum flammis
cruciat ſempiternis.
Tu peccator lignum aridum,
Niſi converſus fueris à vijs tuis peſſimis, & feceris fructus dignos pænitentiæ, *Ezech.* 33.
Exſcinderis, in ignem mitteris, *Matth.* 3.
Et ardes *Joan.* 15.
Æternum.

SENTENTIÆ.

Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Exercituum. *Jerem.* 2.

Peius eſt peccare, quàm à Dæmone obſeſſum eſſe. *S. Chryſoſt. hom.* 13. *ad pop.* Cauſam reddit S. Baſilius *in Exhortatione ad ſacrum Baptiſmum*, in qua ait peccatorem deteriorem eſſe Energumeno; quia, qui dæmonium patitur, miſericordiam invenit; qui autem peccat, odium ſibi contrahit.

Peccatum dæmone peius eijciamus. Dæmon ſiquidem non omnino ſpoliat Regno cælorum; ſed ſubinde fit, ut proſit modeſto, & vigilanti: peccatum verò omninò excludit. Voluntarius quippe dæmon eſt peccatum, ſpontaneâque inſania. *S. Chryſoſt. hom.* 28.

Digitized by Google

Si hinc peccati pudorem, & illinc Inferni cernerem horrorem, & neceſſariò haberem uni illorum immergi; prius me in Infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus, & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere. *S. Anſelmus de ſimilitud. cap.* 190.

Sicut putredo aufert pomo decorem, odorem, valorem, ac ſaporem; ſic peccatum aufert animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ. *S. Bonaventura in diæta ſalutis. cap.* 2.

Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Joan.* 8.

Tradentur enim hi in manibus inimicorum ſuorum, iniquorum, & peſſimorum, prævaricatorúmque, & Regi injuſto & peſſimo ultra omnem terram. *Dan.* 3.

Vide miſer peccator, cui Domino te ſubjeceris. Peccatum eſt malum, privatio, & defectio, informitas, inconvenientia, atque fruſtratum pulchritudine, vita, ſenſu, ratione, perfectione privatum, infæcundum, otioſum, imbecillum, inordinatnm, diſſimile, infinitum, tenebroſum, caréníque ſubſtantia, & ipſum nullo modo nuſquam, & nihil exiſtens. *S. Dionyſius Areopagita de Div. Nom. cap.* 4.

Per peccatum fit homo alienus à Deo, interemptor ſui, gehennæ filius, confuſionis domus, diaboli ſervus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor,

illuſor, gloriæque cæleſtis contemptor. *B. Laurentius Juſtinianus lib. de perf. grad. cap.* 1.

Angeli quoque Cuſtodis cura excidit. Velut fumus apes fugat, & fædus odor columbas expellit; ſic angelum vitæ noſtræ Cuſtodem abigit, multa lacrymarum aſpergine dignum, ac graveolens peccatum. *S. Baſilius in Pſal.* 33.

Omnis qui peccaverit mihi, delebo eum de libro vitæ. *Exodi.* 38.

Relinquentur ſimul avibus montium, & beſtijs terræ, & æſtate perpetuâ erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hyemabunt. *Iſaia* 18. S. Hieronymus hoc loco nomine eorum, qui relinquentur intelligit palmites à vita reciſos, id eſt, peccatores, ſecundùm illum omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. *Joan.* 13.

Quid enim eſt peccatum niſi mors? hinc ſcriptum eſt, non eſt in morte, qui memor ſit tui. Mors námque eſt, quæ animam à Deo ſeparat, ſenſuum internorum intercludit officia, Divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem. *S. Gregorius in* 7. *Pſal. pænit.*

An aliud mors corporis eſt, quàm cùm ſenſu privatur, & vitâ? Peccatum, quod mors animæ eſt, nec compunctionis ſenſum, nec confeſſionis mihi reliquerat vocem, & eram mortuus. Venit is, qui peccata dimittit, & utrumque reſtituit, & dicit animæ meæ, Salus tua ego ſum. *S. Bern. ſerm.* 15. *in Cant.*

Pugnabit cum illo orbis terrarum contra

inſenſatos. *Sap.* 6. hinc benè *S. Bonaventura in ſtimulo Divini amoris cap.* 7. ſuo modo clamat, & dicit terra: Quare tam nequiſſimum ſuſtineo? Dicit aër, quare non deficio? Ignis autem, quare eum non comburo? Lapis, quare eum non lapido? Infernus, quare eum non devoro, & crucio? Ita Sanctus.

Peccator factus eſt malo dignus æterno, quia in ſe peremit bonum, quod poſſit eſſe æternum. *S. Auguſt. lib.* 21. *de civitat. cap.* 12.

Aperi igitur oculos anima miſera, & vide quid fuiſti olim, & quid nunc es: quo loco fuiſti tunc, & nunc es. Eras Sponſa Altiſſimi, eras templum Dei vivi, eras vas electionis, eras thalamus æterni Regis, eras thronus veri Salomonis, eras ſedes Sapientiæ, eras ſoror Angelorum, eras hæres cælorum. Ecce, cùm omnia hæc fueris, quæ dixi, quoties dico eras, eras, toties tibi lacrymandum eſt; dum ſubitam tuam cogitas mutationem. Sponſa Dei facta es adultera diaboli; templum Spiritus S. mutatum eſt in ſpeluncam latronum; vas electionis in vas corruptionis; Thalamus Chriſti in volutabrum porcorum, ſedes Dei in cathedram peſtilentiæ; ſoror angelorum in ſociam dæmonum; & quæ inſtar columbæ volabat per cælum, nunc tanquam ſerpens reptat in terra. Plange itáque ſuper te, ô anima miſera, plange, quia te plangunt angeli; quia te plangunt ſancti; te plangunt guttæ ſanguineæ Chriſti Domini, quia peccaſti, & mali illius, quod comiſiſti,

ſti, pænitentiam non egiſti. *S. Anſelmus de ſimilitud. cap.* 190.

Eundem in ſenſum alloquitur *S. Ambroſius* virginem lapſam *cap.* 2. Incedebas, *inquit*, tanquã illa columba, de qua ſcriptum eſt, Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora ejus in pallore auri, *Pſal.* 60. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum ſincera conſcientia procedebas; eras tanquam ſtella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimeſcebas. Quæ illa ſubitò converſio? quæ iſta repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio Satanæ; de Sponſa Chriſti ſcortum execrabile; de templo Dei fanum immunditiæ; de habitaculo Spiritus ſancti tuguriolum diaboli: quæ incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris ut ſtellio; quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior es facta luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris, quæ fueras ſtella radians in manu Domini, velut de alto ruens cælo lumen tuum extinctum eſt, & converſa eſt in carbonem. Omnis, qui facit peccatum, ex diabolo eſt. 1. *Joan.* 3.

Unuſquiſque peccando animam ſuam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. *S. Aug. in Expoſ. Ep. ad Rom.*

Eiusdem fit membrum, ita *S. Thomas* 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 7. Quo incitante

Impij quaſi mare fervent, quod quieſcere

non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum. *Iſaiæ.* 57. ut qui nimirum in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc. *Apoc.* 22. Quare

Peccatum una duntaxat res eſt, gravis & pertimeſcenda, reliqua omnia mera fabula. *S. Chryſoſt. Ep.* 1. *ad Olympiadem.*

Quæcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos: iratus ſum, ira mihi Deus eſt; vidi mulierem, & concupivi, libido mihi Deus eſt; unuſquiſque enim quod concupiſcit, & veneratur, hoc illi Deus eſt. *S. Hieron. in Pſal.* 180.

Unius peccati conſenſu immenſas animæ, ac corporis homo ſpiritualis amittit divitias. *B. Laurentius Juſtinianus ſerm. de S. Joanne Evangel.*

HISTORIAE.

SAnctum quendam ſtylitam Edeſſenum ferunt ſolitum cernere homines ſuis ſtipatos angelis tutelaribus, ſed non omnes eodem modo. In gratia enim conſtitutis adſtabant ſancti Genij, qui tanquam fidei eorum duces face lætabundi prælucebant; mortali verò peccato obſtrictos, & circumſtantium dæmonum conſtrictos vinculis eminus ſequebantur illacrymantes. *Raderus in virid. SS. part.* 2. *cap.* 5.

Petrus Cæſarauguſtanus vir nobilis, & dives, ſed ſceleratus cùm templum intraret auditurus concionem ex ſola curioſitate: vidit S. Domini-

Dominicus miſerum à tot dæmonibus catenatum raptari, quot ſcelerum genera commiſiſſet. Cùm ſecundò rediret, precibus ad Deum fuſis Sanctus impetravit, hoc ipſum ut videret etiam populus; & mox plurimi præſentium viderunt cacodæmones mille, Petri animam captivam, ferróque vinctam trahentes. Ingens protinus ortus tumultus fugientium, horrentium, clamantium, & belluam adeò trucem averſantium. Ipſi fugêre famuli, ipſa uxor fugit. Territus Petrus S. Dominici pedibus ſupplex accidit, peccata ſua confeſſus reſipuit, & dirâ Tyranni ſæviſſimi exemptus eſt ſervitute. *Joannns Montanus, & Ferdinandus Caſtilla to. 1. de rebus S. Dominici lib. 1. cap. 45.*

Quidam è Teutonia miles intempeſtæ noctis ſilentio de latere conjugis exurgens completo in aliena flagitio domum lucente luna redibat; cujus intrantis faciem per feneſtram eminus contemplata uxor clamavit horrificè. Ad ejus clamores familia omnis concurrens, mox ad contuitum Domini pariter vociferata eſt, quaſi conſpecto dæmone perterrefacta. Quod ut vidit miles, advertit faciem ſuam à propria forma receſſiſſe, & Divino judicio pro enormitate peccati deformitatem induiſſe. Delituit igitur uſque manè, & prima luce ad Eccleſiam properavit, ut confeſſus ſacerdoti vultum proprium reciperet. Occurrerunt eunti ad templum vaccæ, & pecudes ad paſcua procedentes, quæ veluti monſtro territæ diros mugitus

Digitized by Google

lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitámque egit puriorem. *Annuæ Provinc. Peruanæ Collegij Chuiquiſacani.*

Parmæ quidam cum muliere maritum ſuum eſſe in tenebris opinante adulterium commiſerat: fraude cognita innocens in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Protaſij Martyrum coram populo frequente vindictam de adulterio petijt, atque ſtatim eſt exaudita. Nam ſceleſtus à dæmone correptus in dictam Eccleſiam proſiluit, fremuit, rugijt, ſéque ipſum dentibus crudeliter lacerans, nunc quodammodo volans in altum ſe extulit, nunc impetu graviſſimo in terram dejecit, modo caput parieti validè alliſit, modò in ſolum, ac pavimentum vi proſternens ſe omnia ſua viſcera miſerrimè conquaſſavit, demùm infelicem Spiritum infeliciſſimus ejecit. *S. Damianus in Ep. ad Deſiderium.*

Peccatum fætendiſſimum eſt; interroga conſcientiam peccatoris, nónne gravius fætet omnibus ſepulchris? *S. Ambroſ. lib.* 1. *offic. c.* 12.

S. Euthymio à viro quodam obvio, qui ſolâ cogitatione turpe quid agitabat, tantus fætor afflatus eſt, ut ſe à Dæmone obſeſſum putaret. *Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij.*

S. Philippus Nereus maximum fætorem, cui alium comparare non poterat, ſentiebat ex ore libidinoſorum. *Ejus vita. l.* 1.

S. Ca-

S. Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit graveolentiam, ut nonniſi obduratis auribus colloquium abſolvere poſſet. *Raymundus in vita.*

S. Franciſca Romana cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant; adeò vehementer tetro fætore percellebatur, ut penè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. *Vita lib. c.* 11.

Consideratio VII.

De peccati mortalis gravitate

Ex conditione, ac vilitate Peccatoris, juxta 2. Exercit. 1. hebdom. Libelli Exercit. S. Ignat.

Numquid DEO poteſt comparari Homo? Job. 22.

Facilis reſponſio.
Comparari non poteſt.
Finiti ad infinitum non eſt proportio;
Pone annorum
Mille millium myriadum millenarum millia:
Numerus finitus eſt.
Cogitari poteſt, exprimi poteſt, effluere poteſt; dici aliquando poterit, Fuêre

lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitámque egit puriorem. *Annuæ Provinc. Peruanæ Collegij Chuiquiſacani.*

Parmæ quidam cum muliere maritum ſuum eſſe in tenebris opinante adulterium commiſerat: fraude cognita innocens in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Protaſij Martyrum coram populo frequente vindictam de adulterio petijt, atque ſtatim eſt exaudita. Nam ſceleſtus à dæmone correptus in dictam Eccleſiam proſiluit, fremuit, rugijt, ſéque ipſum dentibus crudeliter lacerans, nunc quodammodo volans in altum ſe extulit, nunc impetu graviſſimo in terram dejecit, modo caput parieti validè alliſit, modò in ſolum, ac pavimentum vi proſternens ſe omnia ſua viſcera miſerrimè conquaſſavit, demùm infelicem Spiritum infeliciſſimus ejecit. *S. Damianus in Ep. ad Deſiderium.*

Peccatum fætendiſſimum eſt; interroga conſcientiam peccatoris, nónne gravius fætet omnibus ſepulchris? *S. Ambroſ. lib.* 1. *offic. c.* 12.

S. Euthymio à viro quodam obvio, qui ſolâ cogitatione turpe quid agitabat, tantus fætor afflatus eſt, ut ſe à Dæmone obſeſſum putaret. *Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij.*

S. Philippus Nereus maximum fætorem, cui alium comparare non poterat, ſentiebat ex ore libidinoſorum. *Ejus vita. l.* 1.

S. Ca-

S. Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit graveolentiam, ut nonniſi obduratis auribus colloquium abſolvere poſſet. *Raymundus in vita.*

S. Franciſca Romana cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant; adeò vehementer tetro fætore percellebatur, ut penè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. *Vita lib. c.* 11.

Consideratio VII.

De peccati mortalis gravitate

Ex conditione, ac vilitate Peccatoris, juxta 2. Exercit. 1. hebdom. Libelli Exercit. S. Ignat.

Numquid DEO poteſt comparari Homo? *Job.* 22.

Facilis reſponſio.
Comparari non poteſt.
Finiti ad infinitum non eſt proportio;
Pone annorum
Mille millium myriadum millenarum millia:
Numerus finitus eſt.
Cogitari poteſt, exprimi poteſt, effluere poteſt; dici aliquando poterit, Fuêre

lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitámque egit puriorem. *Annuæ Provinc. Peruanæ Collegij Chuiquiſacani.*

Parmæ quidam cum muliere maritum ſuum eſſe in tenebris opinante adulterium commiſerat: fraude cognita innocens in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Protaſij Martyrum coram populo frequente vindictam de adulterio petijt, atque ſtatim eſt exaudita. Nam ſceleſtus à dæmone correptus in dictam Eccleſiam proſiluit, fremuit, rugijt, ſéque ipſum dentibus crudeliter lacerans, nunc quodammodo volans in altum ſe extulit, nunc impetu graviſſimo in terram dejecit, modo caput parieti validè alliſit, modò in ſolum, ac pavimentum vi proſternens ſe omnia ſua viſcera miſerrimè conquaſſavit, demùm infelicem Spiritum infeliciſſimus ejecit. *S. Damianus in Ep. ad Deſiderium.*

Peccatum fætendiſſimum eſt; interroga conſcientiam peccatoris, nónne gravius fætet omnibus ſepulchris? *S. Ambroſ. lib.* 1. *offic. c.* 12.

S. Euthymio à viro quodam obvio, qui ſolâ cogitatione turpe quid agitabat, tantus fætor afflatus eſt, ut ſe à Dæmone obſeſſum putaret. *Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij.*

S. Philippus Nereus maximum fætorem, cui alium comparare non poterat, ſentiebat ex ore libidinoſorum. *Ejus vita. l.* 1.

S. Ca-

S. Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit graveolentiam, ut nonniſi obduratis auribus colloquium abſolvere poſſet. *Raymundus in vita.*

S. Franciſca Romana cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant; adeò vehementer tetro fætore percellebatur, ut penè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. *Vita lib. c. 11.*

Consideratio VII.

De peccati mortalis gravitate

Ex conditione, ac vilitate Peccatoris, juxta 2. Exercit. 1. hebdom. Libelli Exercit. S. Ignat.

Numquid DEO poteſt comparari Homo? *Job. 22.*

Facilis reſponſio.

Comparari non poteſt.

Finiti ad infinitum non eſt proportio;

Pone annorum

Mille millium myriadum millenarum millia:

Numerus finitus eſt.

Cogitari poteſt, exprimi poteſt, effluere poteſt; dici aliquando poterit, Fuêre

lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitámque egit puriorem. *Annuæ Provinc. Peruanæ Collegij Chuiquiſacani.*

Parmæ quidam cum muliere maritum ſuum eſſe in tenebris opinante adulterium commiſerat: fraude cognita innocens in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Protaſij Martyrum coram populo frequente vindictam de adulterio petijt, atque ſtatim eſt exaudita. Nam ſceleſtus à dæmone correptus in dictam Eccleſiam proſiluit, fremuit, rugijt, ſéque ipſum dentibus crudeliter lacerans, nunc quodammodo volans in altum ſe extulit, nunc impetu graviſſimo in terram dejecit, modo caput parieti validè alliſit, modò in ſolum, ac pavimentum vi proſternens ſe omnia ſua viſcera miſerrimè conquaſſavit, demùm infelicem Spiritum infeliciſſimus ejecit. *S. Damianus in Ep. ad Deſiderium.*

Peccatum fætendiſſimum eſt; interroga conſcientiam peccatoris, nónne gravius fætet omnibus ſepulchris? *S. Ambroſ. lib. 1. offic. c. 12.*

S. Euthymio à viro quodam obvio, qui ſolâ cogitatione turpe quid agitabat, tantus fætor afflatus eſt, ut ſe à Dæmone obſeſſum putaret. *Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij.*

S. Philippus Nereus maximum fætorem, cui alium comparare non poterat, ſentiebat ex ore libidinoſorum. *Ejus vita. l. 1.*

S. Ca-

Digitized by Google

S. Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit graveolentiam, ut nonniſi obduratis auribus colloquium abſolvere poſſet. *Raymundus in vita.*

S. Franciſca Romana cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant; adeò vehementer tetro fætore percellebatur, ut penè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. *Vita lib. c. 11.*

Consideratio VII.

De Peccati Mortalis Gravitate

Ex conditione, ac vilitate Peccatoris, juxta 2. Exercit. 1, hebdom. Libelli Exercit. S. Ignat.

Numquid DEO poteſt comparari Homo? Job. 22.

Facilis reſponſio.
Comparari non poteſt.
Finiti ad infinitum non eſt proportio;
Pone annorum
Mille millium myriadum millenarum millia:
Numerus finitus eſt.
Cogitari poteſt, exprimi poteſt, effluere poteſt; dici aliquando poterit, Fuêre

non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum. *Iſaiæ.* 57. ut qui nimirum in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc. *Apoc.* 22. Quare

Peccatum una duntaxat res eſt, gravis & pertimeſcenda, reliqua omnia mera fabula. *S. Chryſoſt. Ep.* 1. *ad Olympiadem.*

Quæcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos: iratus ſum, ira mihi Deus eſt; vidi mulierem, & concupivi, libido mihi Deus eſt; unuſquiſque enim quod concupiſcit, & veneratur, hoc illi Deus eſt. *S. Hieron. in Pſal.* 180.

Unius peccati conſenſu immenſas animæ, ac corporis homo ſpiritualis amittit divitias. *B. Laurentius Juſtinianus ſerm. de S. Joanne Evangel.*

HISTORIAE.

SAnctum quendam ſtylitam Edeſſenum ferunt ſolitum cernere homines ſuis ſtipatos angelis tutelaribus, ſed non omnes eodem modo. In gratia enim conſtitutis adſtabant ſancti Genij, qui tanquam fidei eorum duces face lætabundi prælucebant; mortali verò peccato obſtrictos, & circumſtantium dæmonum conſtrictos vinculis eminus ſequebantur illacrymantes. *Raderus in virid. SS. part.* 2. *cap.* 5.

Petrus Cæſaraugustanus vir nobilis, & dives, ſed ſceleratus cùm templum intraret auditurus concionem ex ſola curioſitate: vidit S.

Domini-

Dominicus miſerum à tot dæmonibus catenatum raptari, quot ſcelerum genera commiſiſſet. Cùm ſecundò rediret, precibus ad Deum fuſis Sanctus impetravit, hoc ipſum ut videret etiam populus; & mox plurimi præſentium viderunt cacodæmones mille, Petri animam captivam, ferróque vinctam trahentes. Ingens protinus ortus tumultus fugientium, horrentium, clamantium, & belluam adeò trucem averſantium. Ipſi fugêre famuli, ipſa uxor fugit. Territus Petrus S. Dominici pedibus ſupplex accidit, peccata ſua confeſſus reſipuit, & dirâ Tyranni ſæviſſimi exemptus eſt ſervitute. *Joannns Montanus, & Ferdinandus Caſtilla to. 1. de rebus S. Dominici lib. 1. cap. 45.*

Quidam è Teutonia miles intempeſtæ noctis ſilentio de latere conjugis exurgens completo in aliena flagitio domum lucente luna redibat; cujus intrantis faciem per feneſtram eminus contemplata uxor clamavit horrificè. Ad ejus clamores familia omnis concurrens, mox ad contuitum Domini pariter vociferata eſt, quaſi conſpecto dæmone perterrefacta. Quod ut vidit miles, advertit faciem ſuam à propria forma receſſiſſe, & Divino judicio pro enormitate peccati deformitatem induiſſe. Delituit igitur uſque manè, & prima luce ad Eccleſiam properavit, ut confeſſus ſacerdoti vultum proprium reciperet. Occurrerunt eunti ad templum vaccæ, & pecudes ad paſcua procedentes, quæ veluti monſtro territæ diros mugitus

edere cæperunt, atque cum paſtoribus, atque alijs obvijs diffugere. Sacerdos in oſtio Eccleſiæ ad dicendas Horas reſidens mox ut illum vidit, ſe ſancta ſignavit Cruce, & templum ingreſſus oſtium poſt ſe clauſit. Tunc miles ante fores ſe proſternens, *miſerere*, ingeminat, *miſerere ſancte Pater, miſerere, miſeremini peccatoris, non enim ſum ille, qui videor, ſed hoc mihi peccatis exigentibus accidit, ut in me monſtrum videatur. Verùm pænitenti injunge, quod vis, ego de me, quod Deus voluerit, exſpectabo.* Nec mora, ubi eum rara contritione ac lacrymis eſt confeſſus, continuò larvalis illa confuſio deterſa eſt, & vultus priſtinus receptus. *Cantipratanus lib. 2. apum. cap. 30.*

Chuiquiſacæ in agro Peruano vir conjugatus decem totos annos confeſſionis officium intermiſerat pellici turpiter addictus. Cuius hominis ſtatum Sacerdos è Soc. JESU cùm reſciviſſet, eum ad confeſſionem invitavit, & hujus obeundæ diem dixit. At adulter promiſſi pænitens tempus deſtinatum non obſervavit, quin tota urbe otioſus cùm ad defatigationem vagatus eſſet, domum redijt, cui occurrunt repente ſex ſimij teterrimo aſpectu, ac minaci, quos pone ſequens agebat ſquallidus homo, facie horrenda, oculis ardentibus, meram ſpirans crudelitatem. Eveſtigio juſſit ſimios pallentem, ac pavore contabeſcentem hominem vinculis conſtringere, adſtrictóque acerba verbera infligere; quod liberalius etiam fecerunt, quàm juſſi eſſe videbantur, peſſiméque

que affectum pro deſperato reliquêre. Fortè uxor domo abſuerat, quæ reverſa maritum humi jacentem, imò emorientem offendit, mox confeſſarium evocat: qui protinus advolans defectum ſenſibus cùm reperiſſet, exſpectavit, dum ſe via oſtenderet, quâ juvari poſſet miſer. Redit ſenſus, at linguæ intumeſcenti, atræque vis loquendi defuit: oculis tantùm omnia tacitus arbitratur, atque attonito ſimilis, ubi eſſet ignarus, ac ſimiorum iterato aſpectu perculſus, quo ſe verteret infelix, non habebat. Conſilium erat beſtiarum infernalium tantum terroris, ac deſperationis incutere homini, ut eo ſtatu animam inquinatiſſimam rectâ in Tartarum abripiendam emitteret. Quare ſi quando oculos in crucem attolleret, circumſtantia monſtra atrociſſima quæque miſero minitabantur. Sacerdos interim identidem luſtrali aqua cubiculum aſperſit, & tandem cùm Simij uſque infeſtarent ægrum, depromptis S. Ignatij Reliquijs eius os ita attigit, ut linguam contingeret, poſtulantibus interim Divi ſuffragium circumſtantibus. Secundum has preces flatum æger vehementem pectore emiſit, cujus graveolentia omni mephiti tetrior omnes procul abegit. Spiritus hic fætens ſecum eduxerat vim animum occupantis ſtygij tyranni, ſed non univerſam: detumuerat lingua, vox redierat, rigebant tamen livida immodicis plagis brachia, ut nec erigi, nec colligi ad Crucis ſignum efformandum poſſent. Verùm ea ijs admota S. Patris

lipſana

Digitized by Google

lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitámque egit puriorem. *Annuæ Provinc. Peruanæ Collegij Chuiquiſacani.*

Parmæ quidam cum muliere maritum ſuum eſſe in tenebris opinante adulterium commiſerat: fraude cognita innocens in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Protaſij Martyrum coram populo frequente vindictam de adulterio petijt, atque ſtatim eſt exaudita. Nam ſceleſtus à dæmone correptus in dictam Eccleſiam proſiluit, fremuit, rugijt, ſéque ipſum dentibus crudeliter lacerans, nunc quodammodo volans in altum ſe extulit, nunc impetu graviſſimo in terram dejecit, modo caput parieti validè alliſit, modò in ſolum, ac pavimentum vi proſternens ſe omnia ſua viſcera miſerrimè conquaſſavit, demùm infelicem Spiritum infeliciſſimus ejecit. *S. Damianus in Ep. ad Deſiderium.*

Peccatum fætendiſſimum eſt; interroga conſcientiam peccatoris, nónne gravius fætet omnibus ſepulchris? *S. Ambroſ. lib.* 1. *offic. c.* 12.

S. Euthymio à viro quodam obvio, qui ſolâ cogitatione turpe quid agitabat, tantus fætor afflatus eſt, ut ſe à Dæmone obſeſſum putaret. *Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij.*

S. Philippus Nereus maximum fætorem, cui alium comparare non poterat, ſentiebat ex ore libidinoſorum. *Ejus vita. l.* 1.

S. Ca-

Digitized by Google

S. Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit graveolentiam, ut nonniſi obduratis auribus colloquium abſolvere poſſet. *Raymundus in vita.*

S. Franciſca Romana cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant; adeò vehementer tetro fætore percellebatur, ut penè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. *Vita lib. c. 11.*

Consideratio VII.

De Peccati Mortalis Gravitate

Ex conditione, ac vilitate Peccatoris, juxta 2. Exercit. 1. hebdom. Libelli Exercit. S. Ignat.

Numquid DEO poteſt comparari Homo? *Job. 22.*

Facilis reſponſio.
Comparari non poteſt.
Finiti ad infinitum non eſt proportio;
Pone annorum
Mille millium myriadum millenarum millia:
Numerus finitus eſt.
Cogitari poteſt, exprimi poteſt, effluere poteſt; dici aliquando poterit, Fuêre

Fuêre hi anni, abierunt, effluxerunt,
tranſierunt.
Finiti ſunt anni. 4. *Eſd.* 3.
Finiti ergò Finem
Excipit infinitum.
Quòd ſi priora finita multiplicentur, abſorbebit omnia, & durabit infinitum.
Breves dies Hominis ſunt, numerus
menſium ejus apud te eſt. *Job.* 14.
Numquid ergò tibi comparari poteſt
homo?
Deo antiquorum dierum, æterno? *Dan* 7.
Homo natus de muliere brevi vivens tempore,
qui quaſi flos egreditur, & conteritur velut umbra. *Job.* 14.
Et hic floſculus unius diei
ſe oppoſuerit Regi ſæculorum immortali?
1. *ad Timoth.*
Qui manè ſicut herba tranſit, manè floret &
tranſit, veſperi decidit, indurat &
areſcit. *Pſal.* 89.
Quid de dignitate Divina, Gloria, &
Majeſtate dicam?
Verè
Finiti ad infinitum non eſt proportio,
Oſtendat Tentator omnia regni mundi, &
gloriam eorum. *Matth.* 4.
Prodeant, & circumſpiciant pavones ſuperbi,
admirentur, jactitent ſe Thraſones, Nabuchodonoſores, Alexandri, Auguſti, &
quidquid purpura veſtit,

Diade-

Digitized by Google

Diadema coronat,
orbis adorat.
Quid hi compoſiti Deo?
Pulvis, Cinis, Favilla, nihilo.
Omnis caro fænum, & cecidit flos, quia
Spiritus Domini ſufflavit in eo *Iſa.* 40.
Sufflavit ſolum, & gloria omnis difflata
eſt.
Lapillus parvulus dejecit ſtatuam grandem, &
cùm ea regna omnia redegit in favillam,
æſtivæ areæ, quæ rapta eſt vento,
nullúsque locus inventus
eſt. *Dan.* 2.
Et hic pulviſculus, hæc favilla, hoc nihilum inſultarit ſupremæ
Majeſtati?
Quanta peccatoris eſt impudentia?
audacia?
De alijs ſummi Numinis perfectionibus
quid dicam?
Eas, quia effari nequeo, taceo.
Eas, quia laceſſere ſum auſus,
obſtupeſco, contremiſco.
Quare deſcendo, & me dimitto.
Homo homines contemplabor, & meis
me conferam cognatis.
Quis ego ſum omnibus collatus gentibus,
tribubus, populis, ac linguis?
Unus quid inter tantos?
Unus numerum non facit, numerari
quî potero?

Dein

Dein ſtilla
Omnes gentes quaſi ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt;
Ecce Inſulæ quaſi pulvis exiguus. *Eſa.* 4.
Quid ergò ſit peccator, homo unus gentibus & inſulis comparatus?

Ecce
Omnes gentes ſunt coram Deo, quaſi non ſint,
Et quaſi nihilum, & inane reputatæ. *Eſa.* 40.
Quot ſunt igitur homines ſuper univerſam ſuperficiem terræ; in tot particulas
dividatur hæc ſtilla, *Gen.* 2.
hic pulvis exiguus, hoc nihil: quid ſibi vendicabit peccator inter tot unus homuncio? atomus?
Et hoc tantillum, hoc indiviſibile ſe inflaverit, & contra Omnipotentem intumuerit?
Hoc nihilum in tot millia (ſi fieri potuit) ſectum Eum impugnaverit qui eſt omnia?

O proterviam abominandam!

ſed
Hominem angelicæ conferemus nobilitati, ſublimitati, multitudini.
Terra ſcilicet cum aſtris, & ſcintillula cum Sole in certamen veniet.
Et ego minimus, imò hoc nomine indigniſſimus,
Et, ut verè loquar, nihilum.
Angelorum tot, & tantorum Principum cœleſtium

Digitized by Google

leſtium Dominum auſus fuerim irritare? exacerbare? 4. *Reg.* 17.
Pſal. 10.

Si Scarabæus Aquilam, Lepuſculus Leonem,
Formica ad duellum provocaret
Rhinocerotem,
Ridiculum foret, & temeritatem ſuam
grandi luerent ſuo malo.
Ego his omnibus minor,
Si Angelis comparer. Et nihilo minus,
ſi ſupremo Enti;
Tamen
Improbiſſimus Deo me oppoſuerim perfidus, & rebellis?
O caput mille dignum inferis!
Cur terra tam diu ſceleratum pondus
portas tanti patiens flagitij?
Cur non aër pro Conditore tuo contra tam
inſenſatum mille pugnas fulminibus?
Cur mare non mille concitas tempeſtates in
me Jonâ multò nocentiorem? *Jon. c.* 1.
Cur non omnis creatura in me armata peccatorem adeò impudentem in Orcum
præcipitat?
Sed mi DEUS,
Qui cùm ſis maximus, etiam es optimus:
Tu bonitas infinita
Manus has ultrices continuiſti, fulmina extinxiſti.
Regi ergò ſæculorum immortali. 1. *ad Tim.* 1.

F Deo

Deo Sabbaoth, & Domino Exercituum.

Iſa. 19.

Fortiſſimo, Potentiſſimo, Clementiſſimo,
Sit laus, gloria, & honor Maximus.

1. *ad Tim.* 1.

Qui me adjuvit, ut non habitaret in inferno anima mea. *Pſal.* 93.

Deum offenſum reus timeo.

Supplico Patri ergo benigno, ac miſericordi. *Joel.* 2.

Pater

Peccavi in cœlum, & coram Te. *Luc.* 15.

Miſerere,

Ut miſericordias tuas in æternùm cantem. *Pſal.* 88.

SENTENTIÆ.

SEmei maledicenti Regi Davidi, cùm Abſalonem fugeret, dixit Abiſai filius Sarviæ Regi: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus*, 2. *Reg.* 16. Res indigniſſima eſt ſubditum Regi ſuo maledicere! Sed quid illud? Homuncionem, pulviſculum terræ, imò nihilum maledicere Regi Regum, Deo altiſſimo? nunquid clamet omnis creatura: *Amputabo caput ejus.* Sed inhibuit David, inhibet Deus, qui miſeretur omnium diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11.

Quis eſt, qui peccavit? homo repletus multis miſerijs, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, &c

tur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. *Job.* 14. Væ, qui contradicis Factori tuo teſta de ſamijs terræ! *Iſa.* 45.

Quis eſt, qui peccavit? univerſa vanitas omnis homo vivens. *Pſal.* 38. & hæc vanitas te infeſtet, qui terribilis es, & quis reſiſtet tibi? *Pſal.* 75. In cujus manu ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt. *Pſal.* 94. huic bellum indicit homo vermiculus terræ? quanta dementia? indignitas?

Quid infirmius homine, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa ludit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, ſenectus frangit? *S. Petrus Chryſologus ſerm.* 45. Et hic auſit laceſſere, offendere Regem Gloriæ, fortem, & potentem in prælio? *Pſal.* 23.

In quadam meditatione P. Bernardini Realini Martii 28. hæc leguntur. Cognovi cœlitùs, me nihilum eſſe, & quod hinc ſequitur, quantus quantus eſſem, peccatum eſſe, quod nihil eſt; pejor nihilo ſum, nec enim id cum Deo pugnat, cùm ex nihilo omnia condiderit, ego verò toties peccavi, ſic ſum vilior terra, luto. *Vita c.* 33.

Quis eſt, qui peccavit? imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, mutationis imago, invidiæ, & calamitatis trutina, cætera pituita, & bilis. *Ariſtoteles apud Stob. ſerm.* 96.

Quis eſt homo, ſi cum Divina natura comparetur, cujusnam Sanctorum proferam vocem, ex-

plicem ſenſum, per quem genus humanum extenuatur? ſecundùm Abraham eſt terra & cinis; ſecundùm Iſaiam fænum; ſecundùm Davidem ne fænum quidem, ſed fæno ſimilis; ſecundùm Eccleſiaſten vanitas; ſecundùm Paulum miſeria. Deus autem quid eſt? cujus nec videndi quidem, nec auribus percipiendi, nec corde comprehendendi poteſtas eſt. Huic tamen tali, ac tantæ rei quàm neque intueri, neque audire, neque ratione perpendere licet, is, qui pro nihilo in rebus reputatus eſt homo, qui cinis, qui fænum, qui vanitas, ut ait S. *Gregorius Nyſſenus Orat. 7. de Beatitud.* audet ſe opponere, hoſtem ejusdem ſe profiteri, & agere? S. *Bernardus in ſuis meditationibus* his hominem deſcribit: Nihil aliud eſt caro, niſi ſpuma caro facta, fragili veſtita decore; ſed erit, quod erit, cadaver miſerum & putridum, & cibus vermium; nihil aliud eſt homo, quàm ſperma fætidum, ſaccus ſtercorum, & cibus vermium. Poſt hominem vermis, poſt vermen fætor & horror, ſic in non hominem vertitur omnis homo. Cur ergo ſuperbis cinis, cujus conceptus culpa, naſci miſeria, vivere pœna, mori anguſtia. *Hæc Divus.* Et tamen hic vermis Omnipotentem auſit offendere?

HISTO-

HISTORIÆ.

Fructus & affectus præcedentium Meditationum.

Primus fructus. Odium Peccati.

QVomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? exclamat Joſeph ſolicitatus ad adulterium, & relicto in manu ſceleratæ pallio fugit, & egreſſus eſt foras. *Gen.* 39.

Exclamat quoque Suſanna *Danielis cap.* 13. *Anguſtiæ ſunt mihi undique: Si enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

Eleazarus ſenex volebat potiùs præmitti in infernum, quàm legem violare, 2. *Machab.* 6.

Unus ex fratribus Machabæis his Tyranum alloquitur: *Quid quæris, & quid vis? parati ſumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari.* 2. *Machab.* 7.

S. Ludovicus Rex Galliarum Blancâ matre Magiſtrâ maluit vitâ exui, quàm fædari peccato mortali. *Surius* 25. *Aug.*

S. Edmundus Epiſcopus ajebat malle ſe in fornacem ardentiſſimam, quàm in peccatum mortale præcipitari. *Surius in ejus vita.* 16. *Novembr.*

Ruffino ſpem de Ambroſio flectendo danti reſpondit

ſpondit Theodoſius Imperator, *Novi conſtantiam Ambroſij, nullo Regiæ Maieſtatis terrore Dei legem transgreditur.*

De S. Chryſoſtomo quidam ad Eudoxiam dixit: *Fruſtra hominem terremus, nihil niſi peccatum timet.*

De S. Anſelmo mentio facta Conſideratione ſextâ.

F. Bonaventura à Monte Regali dein Capuccinus adhuc puer ajebat, ſibi tolerabiliorem eſſe pœnam inferni, quàm peccatum. Hæc indoles ei potiſſimùm per matris prudentiam fuit indita. Nam quotieſcunque vidit eum in aliquod vitium impegiſſe, mox ut accenſum ignis carbonem manu geſtaret, cogebat. *Annal. PP. Capuccinorum A.* 1557. *num.* 22.

S. Ignatius S. Marthæ cænobio extructo pro meretricibus converſis cùm ſedulam operam locaret, & ipſemet vir tantus eas per forum in cœnobium duceret: multi ei objecêre, operam in his malè locari, cùm facilè ad ingenium, & ſordes redeant. *Minimè ſanè*, reſpondit Sanctus, *ſed omnibus vitæ meæ curis atque laboribus ſi id poſſim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam præterire iſtarum aliqua velit; omnes eò nervos intendam, ut vel illo exiguo tempore Deus ac Dominus noſter non offendatur; etſi ſciam illam ſtatim ad ingenium redituram.* Ribad. *in vita lib.* 3. *c.* 9.

Philippus III. Rex Hiſpaniarum affirmabat, ſe ſummoperè obſtupeſcere, quomodo quis in

ſtatu

ſtatu peccati mortalis ſomnum capere poſſit. *Beierlink. in Orat. funebri Regis.*

S. Thomæ Aquinati mirum etiam videbatur poſſe hominem alicujus peccati mortalis conſcium in eo damnationis æternæ periculo ridere unquam, & lætari. *Ribad. in ejus vita 7. Martij.*

S. Catharina Genuenſis non valens ullo pacto offenſam Dei videre, dixit Domino: *Non detrecto, quin omnia dæmonia cum univerſis illorum terroribus, & ſupplicijs mihi commonſtres: nihili enim illa facio cum intuitu offenſæ tuæ licèt minimæ compoſitæ: quæ tamen non poteſt eſſe minima, eo quòd tua celſiſſima Majeſtas offendatur. Vita c.* 20.

S. Magdalena de Pazzis tantò de peccati mortalis turpitudine horrore perculſa eſt; ut ad illius nomen auditum propemodùm mortua concideret; non ſatis capiens, quòd tale monſtrum Deo tam exoſum inter mortales locum reperiret. *Vita.*

Cùm aliquando B. Mariæ de Victoria gravia à quopiam perpetrata narrarentur, *abrumpe*, inquiebat, *ſermonem iſtum, quia dolore conficior:* addiditque ſe noſſe nonneminem, cui ſi Deus multitudinem peccatorum, quæ in ipſum committuntur, oſtenderet, præ doloris magnitudine mortua concideret.

Alter fructus. Vera & tempeſtiva ob peccatum commiſſum Pœnitentia.

QUi verus pœnitens amat audire, dicat cum S. Auguſtino vero pœnitente in Soliq. *Eripuiſti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxiſti, totus eram in morte, totum me reſuſcitaſti, tuum igitur ſit totum id, quod vivo, & totus totum me offero. totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea tibi vivat, vita mea dulcis, quoniam totum me liberaſti, ut totum me poſſideres; totum me feciſti, ut totum me haberes &c. Diligam ergo te ô vita mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, ut vivat jam non mihi, ſed tibi vita mea, quæ perierat in miſeria mea, & reſuſcitata eſt in miſericordia tua.* Ita Divus, & utinam cum eo omnis pænitens!

Si vis agere pænitentiam tum, quando peccare non potes, peccata dimiſerunt te, non tu illa. *Idem hom.* 41.

Pænitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo, ne & ipſa moriatur. *Idem ſer.* 57. *de temp.*

S. Baſilius de pænitent. art. 4. quærit: *Quid exſpectas, ut te febris ad pænitentiam vocet? cùm neque ſalutaria verba amplius proloqui, nec quidquam auribus percipere, non amplius manus ad cælum attollere, non genu flectere, non certò confiteri, non renunciare inimicitiis, & fortaſſis neque intelli-*

intelligentiâ, neque animo comprehendere Divina Myſteria poteris? quis tum pœnitentiæ te, ex turbatione mente captum, & ſtupidum commonefaciat?

Si dixerit mihi JESUS, dimittuntur tibi peccata tua, niſi ego peccare deſiero; quid proderit? & ſi pedes, quos laveram, inquinavero, quid lavare proficiat? *S. Bern.*

Pœnitentiam agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Quid enim prodeſt, ſi quis peccata luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? *S. Greg. hom. 34. in Evang.*

Perfectè convertitur, qui cùm ſemel, quod pravè egerat, plangit, quod rurſum plangat, ultra non reperit *Idem in lib. 29. c 7.*

Qui pectus ſuum tundit, nec ſe corrigit, peccata ſolidat, non tollit. *S. Aug. de liber. arb.*

Veræ ergò pœnitentiæ indicium eſt opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis. *S. Bern.*

Vir turpiſſimus ſui corporis libidinibus diu aſſvetus cum Parocho ſuo ad Thomam à Cantiprato Epiſcopi Cameracenſis Suffraganeum venerat delicti veniam impetraturus. Quam etſi denegaret primò Præſul, quòd eâdem ille aliàs quoque impetratâ in idem crimen fuiſſet relapſus; utrique tamen & reo, & Parocho importunè cum multa emendationis ſpe, ac promiſſione obteſtantibus dixit, *vindicem Dei manum non abſuturam, ſi ad ingenium & turpitudinem ſuam rediret*, abiit ergò lætus, ſed non propoſiti tenax homo. Nam altero Paſchali feſto die miſer ſui,

nimis impotens ad antiquas reverſus libidines ſenſit illicò Dei manum, & lamentabilem hanc vocem ingeminans: *Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me.* infelicem animam Judici Deo ſtitit. *Cantipratanus lib.* 2. *Apum. c.* 30 §. 9.

Cùm Canonicus quidam ægrotaret ad S. Franciſcum, qui tum etiam decumbebat, deportatus à Viro ſancto ſanitati reſtitutus fuit; ſeriò tamen admonitus, pravam deinceps vitam emendaret. Convaluit, ad ingenium, & turpes amores rediiit; ſed non impunè. Cùm enim apud alium quendam Canonicum lætus cænam ſumit; ſubitâ collabantis domûs ruinâ ille unus, & ſolus ex omnibus oppreſſus interiit. *S. Bonaventura in vita S. Franciſ. c.* 33.

Tertius fructus. Reſtitutio ablatorum.

NOn dimittitur furtum, niſi reſtituatur ablatum. S. Aug. Epiſt. 54. ad Macedonianum.

B. Mariæ Ogniacenſi apparuit poſt mortem mater, tetrum, & horribile monſtrum, juxta aram in templo conſiſtens, quæ ajebat, *ſe æternis ignibus addictam eſſe ob uſuras, & injuſta lucra, quæ reſtituere neglexiſſet. Vita.* Benè S. Auguſtinus ſerm. 215. de temp. *Nemo habet injuſtum lucrum ſine juſto damno, ubi lucrum, & damnum; lucrum in arca, damnum in conſcientia. Sed quod dolendum eſt, lucrum iniquum in arca, damnum ſempi-*

ternum

ternum in gehenna; tranſit illud cum tempore, durat hoc in æternitate. Ita Sanctus.

Puerulus quidam annorum ferè novem mortuus matri ſuæ ſe ſpectabilem obtulit lamentatus; quòd in purgatorio eô æſtuaret ardore, cui non æquaretur ille, qui ex omnibus carbonibus per annos mille collectus efferveſceret. Ob hæc mater mœſtiſſima ingemiſcere, flere, atque tanti ſupplicij cauſam quærere, cùm in tam tenera ætate, eâque innocentiſſimè actâ obierit: ſubjecit filiolus: *Punior tam graviter; quia negligentior fui, & non reſtitui ea, quæ mutua acceperam ad quædam puerilia coemenda; unde ſi mater optima filio tuo faves, creditores meos convoca, atque his ſatisfac, Deo quoque pro me ſupplica, ut pœnis atrociſſimis eripiar.* Mater promptiſſima annuit, & imperata ſtatim peregit: cui rurſum filius ſed glorioſus ſe ſtitit, atque gratias egit. *Roa in purgatorio cap. 19.*

Uſurarius ad extrema deductus Sacerdotem, cui peccata ritè confiteretur, evocavit: negavit is ſe daturum abſolutionem, niſi iniquè parta reſtitueret. Renuit hic etſi à liberis quoque rogatus, qui aiebant, *ſe ſalutem paternam omnibus opibus præferre.* Obijt igitur & perijt. Alter è filijs ſcelus patris averſatus ea, quæ ipſi ex paterna hæreditate obtigerant, reſtituit, & ſacræ familiæ ſe junxit. Alter ſana fratris conſilia inſuper habens malè parta malè retinuit, & ijs ſuo indulgens genio abuſus paulò pòſt extinctus eſt. Religioſus tum de patris, tum de

fratris

fratris ſalute ſolicitus Deo frequenter, & ferventer ſupplicavit, dignaretur ſibi utriuſque ſtatum ſignificare. Exauditus vidit quodam die magno hiatu terram diſcedentem, & in flammis infernalibus miſerandum patrem torqueri, eidémque filium in ijſdem imminentem. Ad quem parens: *O millies execranda, & deteſtabilis hora, quâ te genui ſoboles deteſtanda! cujus causâ, & ne eſſes egens, ac miſer, iniquo fœnore in egeſtatem, & miſeriam rui ſempiternam.* Excepit patrem filius. *O verè innominata hora, quâ me in lucem edidiſti infelix genitor! eheu quam malo tuo exemplo doctus malè à te partam, nec à me, ut par erat, ſuis reſtitutam dominis hæreditatem aſſervavi? Eapropter crucior in hac flamma, & eheu æternùm cruciabor*; quo ſpectaculo tam horrendo vehementiſſimè motus ſuperſtes filius æternas Deo optimo gratias egit, cujus beneficio tanto ſe periculo fuiſſe liberatum gratus agnoſcebat. *S. Antonius part. 3. tit. 1. item part. 4. tit. 4. cap. 5. §. 3.*

Quidam frater è familia Minorum valde religioſus in quadam extaſi vidit aliquem in medio flammarum proſtratum, è cujus ventre arbor alta proceſſit. In cujus ramis homines diverſi maſculi, atque fœminæ ſurſum pedibus, & capite deorſum penduli erant, atque flamma ab imo prorumpente acerrimè torquebantur. Ille verò, qui jacebat, omnium maximè cruciabatur. Frater ex Angelo quæſivit quinam hi eſſent? reſpondit is: *Ille, qui jacet, pater fuit,*

fuit, & principium generationis iſtorum omnium; fuit pauper, atque per uſuras ditatus eminuit. Alij autem ſunt hujus filij, & nepotes imitati paternum ſcelus, & per uſuras acquiſita non reſtituerunt. Ideò cum eo dant pœnas; graviſſimè verò pater videns eos, qui per ipſum in iſta tromenta devenêre: ex quo pœna ei pro his omnibus augetur, ac intenditur. Guilielmus Pictavienſis Miniſter Ordinis FF. Minorum.

Principum quiſquam jamjam moriturus mandarat, ut poſt mortem ipſius magna pecuniarum ſumma pauperibus diſtribueretur. Hæc tamen liberalitas illi non profuit, ut ipſe cuidam ſuorum amico poſt obitum apparens non ſine gemitu fuit faſſus. Siquidem ea pecunia abſque jure, & contra fas fuerat collecta. Quare rogavit, alia, quæ bona fide obvenit, egenis daretur. Hæc ubi erogata fuit, princeps pœnis exemptus eſt. *S. Antonius part.* 4. *tit.* 5. *cap.* 5. §. 3.

Quartus fructus. Hoſti ignoſcere, & cum eo redire in gratiam.

D*Imitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matth. 6.

Sapricius à Nicephoro fuit offenſus, & licèt rogatus ſæpiùs, ut ignoſceret, voluerat nunquam. Ira pertinax ſederat animo, Nicephoro nec quidquam veniam petente, & ſupplice. Hæc

Hæc illi Martyris glorioſam palmam abſtulit: cùm enim pro Chriſti fide multa toleràſſet, & ob eam mortem gloriosè oppetiturus duceretur; Nicephorus verò diverſis urbis plateis occurſans ab eo ignoſci flagitaret, negavit ſemper: tandem in ſupplicij locum deveniens, cùm jamjam Martyrij coronam eſſet prehenſurus, ea jure indignus habitus eſt, qui debita noluit dimittere quantumvis obſecranti. Factus ergò fidei deſertor (qui erat charitatis) ad Idolorum cultum tranſijt infeliciſſimus. Quod videns dolénſque Nicephorus è turba proſiluit, & Chriſti Cultorem ſe palam profeſſus impij apoſtatæ immortalis gloriæ coronam abſtulit capite plexus. *Surius 9. Janu. in vita S. Nicephori. Baron. an. 360.*

Graves Cordubæ in Hiſpania inimicitiæ inter duos è prima nobilitate viros non exiguâ urbis offenſione intercedebant; cùm illorum alter in morbum lapſus Sacerdotem è Soc. Jeſu evocat ſua peccata confeſſurus. Hic publicæ memor offenſionis negat poſſe ſe, niſi palam adverſario conciliaretur, pænitentiæ Sacramentum impertiri. Æger paratum ſe ait ad omnia. Convenitur adverſarius, qui & ipſe ſe ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergò convocatis teſtibus odia ponuntur, amicitia utrinque firmatur, æger abſolvitur, SS. Chriſti Epulo adhibetur, & paulò poſt vivere deſinit, quis non credidiſſet, virum felici fine vitam clauſiſſe, & inter beatos aſſumptum eſſe? Ve-

ſe? Verùm Eheu! alia ſunt Dei judicia, alia hominum. Nocte quæ proxima fuit ab elato funere; adſunt ſub ipſius noctis medium cum facibus adoleſcentes duo, Collegij fores pulſant, Patrem, qui defuncto fuerat à Confeſſionibus, evocant, eſſe rem magni momenti, quam communicatam illi velint. Sine mora præſto fuit Pater, & à duobus illis rectà ad templum, ubi viri corpus conditum erat, ducitur; datíſque ab altero templi clavibus bono animo eſſe jubetur, aperire oſtium, ad aram principem accedere, & ex tabernaculo pixidem, in qua SS. Chriſti Corpus aſſervaretur, educere, & cum ea ſequi. Fecit omnia, ut jubebatur Pater pendens animi, quem tandem res eſſet finem habitura. Deducunt ad defuncti nobilis ſepulchrum adoleſcentes, & his affantur: *Eſt hîc, mi Pater, nobilis iſtius N. ſepulchrum, qui viſus fuit cùm adverſario poſitis inimicitiis in gratiam redire. Sed fecit fictè omnia, mortale intus odium fovens. Hoc ſtatu infelicem animam ex mortali vita ad æternis ſupplicijs immortalem tranſmiſit. Sacra Hoſtia nihil dum læſa hæret in cadaveris faucibus, eam inde ablatam in theca repones, & altari reſtitues.* Ita fati ſepulchrum pede pulſatum momento aperiunt, erecto cadaveri os quoque aperiunt: Sacerdos inde ſacram Hoſtiam, ut juſſus erat, integram educit, & thecæ imponit. Sub hæc deturbatum magna vi in foſſam cadaver videri deſijt, eò arreptum, ut eſt credibile à dæmonibus, ubi jam anima tor-

torquebatur, quò ante SS. Corporis præſentia aufferri prohibuerat. Igitur compoſito iterum ſepulchro, cùm Pater recondidiſſet ſacram pyxidem, ad Collegium reducitur, ijsdem continuò præeuntibus ad Collegij uſque fores; quæ apertè ut primùm Patrem receperant, duo illi ex oculis Patris curiosè quà redirent obſervantis ſubitò evanuerunt. *Pædogogus Chriſtianus part. 2. cap. 15. §. 2.* Quàm verè Tertullianus lib. de Orat. cap. 5. *Homo cùm caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit à Deo. Quid eſt enim ad pacem Dei accedere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem.*

Quintus fructus. Fuga occaſionum, periculorum peccandi.

Q*Vi amat periculum, peribit in illo.* Eccleſ. 3.

Nulla eſt ſecuritas vicino ſerpente dormire; poteſt fieri, ut non mordeat, tamen poteſt fieri, ut aliquando mordeat. S. Hieronym. Epiſt. 10. ad Furiam.

Studioſus quidam Trajectenſis Zuolis in Diœceſi Trajectenſi aderat Sodalibus ludentibus eô pactô, ut victori quævis jubenti omnes obedirent. Vicit quidam, qui ſtatim cunctis imperavit, ut ſe ad Lupanar euntem ſequerentur. Paruerunt nefarij omnes, & iſte ipſe adoleſcens non abnuit ſe cæteris jungere. Feciſſet jacturam pudoris, niſi intus Dei timore tactus ſeipſum ſuperâſſet,

per âſſet, atque infami domo ſe ſubduxiſſet. Domum per noctis tenebras revertenti cùm periculum, quod evaſerat, ſecum tacitus perpenderet; occurrit eximiâ formâ, & radiante vultu adoleſcens, qui colaphum ei ea vi, ut humi affligeretur, infringens, *diſce*, inquit, *prava fugere conſortia*. Adoleſcens ad ſe reverſus ſurgit humo tremebundus, & cùm circumſpiciens neminem videret, eam S. Angeli caſtigationem interpretatus huic, atque Deo gratias egit, & domum ſe recepit futurus deinceps cautior. Ne verò fortè vanum haberetur figmentum, genam ab Angelo percuſſam pluribus diebus lividam, tumentémque circumtulit. *Franciſcus Albertinus de Angelo Cuſtode. cap. 7.*

Cùm S. Ignatius poſt quintum exercitium primæ hebdomadæ det facultatem alias meditationes aſſignandi his verbis. *Si viſum fuerit ei, qui tradit exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adjicere, ut de morte, ac aliјs peccati pœnis, de judicio &c. non ſe putet prohiberi, licèt his non adſcribantur.* Subdo meditationes aliquas, quæ ad hanc viam purgativam, & primam Exercitiorum hebdomadam faciunt.

CONSIDERATIO VIII.

DE PECCATORUM VENIALIUM DAMNIS.

Beatus, qui inventus eſt ſine macula. Eccleſ. 31.

O verè Beati
Immaculati, qui ambulant in via Domini! *Pſ.* 118.
Beata ſponſa
Quæ tota pulchra eſt, & macula non eſt
in ea! *Cant.* 4.
O dilecta & glorioſa,
Non habens maculam, aut rugam, aut aliquid
hujuſmodi, ſed ſancta eſt, & immaculata!
ad Epheſ 5.
At me miſerum!
Qui in immunditia mea Deo ſum execrabilis,
Ezech. 24.
Cum Maria ſorore Moſis appareo
coram Domino candens lepra. *Num.* 10.
Non eſt ſanitas in carne mea, & pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. *Pſ.* 37.
Hinc ſpecies mea immutata
eſt. *Dan.* 10.
Et nullus animæ meæ decor.
Quid enim eſt peccatum veniale?

Eſt

Eſt ulcus fætidum, & horrendum in facie
venuſta.
Eſt tumor in genis fædiſſimus.
Scabies in fronte turpiſſima.
Carcinoma corrumpens pulcherrimam Dei
imaginem,
& nitidiſſimum ſpeculum SS. Trinitatis.
Deformitas omnem excedens deformitatem,
quam Angeli, & cœlites horrent: quam
ſpecioſus forma præ filijs hominum ab-
jicit in locum horroris, & ignis, *Pſ.* 44. *Deut.* 32.
Quid eſt Peccatum etiam minimum?
Sed erro, nullum eſt minimum, nullum eſt
parvum.
Fallaci opinione peccata venialia putantur
levia, & mendaci voce dicuntur
parva, & modica.
Num id habeatur leve, ac exiguum,
propterea quòd ſolùm ſupra ſe habeat
aliud *Maximum*?
Sitne parva culpa venialis, quia dun-
taxat minor eſt mortali peccato, peſte
peſtilentiſſima?
Imò verò hoc ipſo culpa cenſenda eſt magnum
quid, quia ſupra ſe ſolùm habet, quo
non eſt *Majus*.
Opponitur veniale Bono infinito, &
habeatur pro levi, & modico?
Verè ingens Malum!
Quod ſummo tantùm malo eſt minus.
Quo cæteracuncta mala ſunt minora.

Digitized by Google

Quo majus aut æquale Deus mihi immittere
nequit, etſi omnia mundi mala, omnes
damnatorum pœnas in me ag-
gereret.

Præſtat omnes homines mori, annihi-
lari Angelos, & mundum perire univerſum,
quàm unico peccato veniali,
verbo aliquo otioſo, ſupremam offendi
Majeſtatem.

Mallent Beati pænis addici æternis, cæ-
lóque privari, atque in nihilum redigi, quàm
unum veniale peccatum admittere.

Quia malum tale eſt, quod ſolum adver-
ſatur
Deo Optimo, Sanctiſſimo, Juſtiſſimo.
Quia malum tale eſt, quod & ipſe Deus
ſolum averſatur.

O mi Deus!
Summum, & amabiliſſimum Bonum,
ſtultè nimis egi. 2. *Reg*. 24.
Peccavi ſuper numerum arenæ maris,
Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, *Pſal*. 39.
Et ſicut onus grave gravatæ ſunt
ſuper me. *Pſal*. 37.
At hæc venialia ſunt ſolùm,
Non ſunt mortalia, non adeò gravia,
arenæ ſunt, guttæ ſunt.

Uerùm quid intereſt, utrum monte obruar,
vel opprimar lapillis, & arenulis; ſi mul-
tiplicentur, agglomerentur, & de-
mum mole ſua enecent?

Quid

Digitized by Google

Quid intereſt, ſi ſubſidat navis guttulis ſubeuntibus, & confluentibus; vel decumano mergatur fluctu?

Vulnuſcula plura mortem tandem inferunt.

S. Caſſianum Martyrem peremerunt puerorum puncturæ.

Guttulæ cavant lapidem. Ex guttulis pluviarum inundatio magnarum fit urbium.

Nivium flocculi agglomerati nocent grandibus arboribus.

Ranæ, & ſciniphes fatigârunt Regem Ægypti. *Exod.* 4.

Venialia peccata

Iterata viam ad peccatum mortale ſternunt,
Et vulpes parvulæ demoliuntur vineam, *Cant.* 2.
Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, *Pſal.* 63.

eò periculoſiores, quia non curantur, & negliguntur.

Quos alios fructus veniale peccatum fert arbor mala? *Matth.* 7.

Ah ficus malas, malas valde! *Jerem.* 24.

Inprimis venialis noxa amori divino repugnat.

Nam qualis erit illi amor Dei, qui parvi facit *diſplicere Deo*?

Qui in parvo diſplicet, jam diſplicet: qui diſplicet, jam contra legem ardentem amoris facit.

Qualis eſſet ſponſa, quæ fidem, & amorem
ſolum ſervaret ; quatenus non provocaret, ut
eam ſponſus rejiceret, vel etiam
occideret; in reliquis diſplicere non
curaret?

Venialis culpa minuit fervorem, ſuavitatem.
Muſcæ morientes exterminant ſuavitatem
unguenti. *Eccl.* 19.

Aquæ guttulæ uſque & uſque in ignem
decidentes ejus aciem, & calorem
retundunt.

Ideò favores divinos, & auxilia actualia
impedit:

Pluviam nempe voluntariam, quam ſegregat
Deus *Pſal.* 67.

Hæreditati ſuæ, ſed fideli, ſed amanti.

Quantum malum, quod impedit tanta dona
Dei? etiam in hac vita reſiſtens poten-
tiſſimæ liberalitati tanti Principis?

Quantum malum, quæ dum impedit tanta ſubſi-
dia, nos inermes hoſti objicit, & in ex-
trema conjicit mala, & pericula?

Tanta lues

Num cum vita peccatoris finitur?

Minimè.

Poſt obitum reum ſuum

Severiſſimo Divinæ Juſtitiæ ſiſtit tribunali, &
quæ in vitaeffecerat nocentem,
nunc agit accuſatorem,

Et in flammis purgantibus carnificem.

O quales flammæ!

Magni-

Magnitudinem morbi, & delicti ex magnitudine curationis conjice.

Siquis cerneret filium à parente (aliàs amantiſſimo) plecti graviſſimè; graviſſimè à filio peccatum ſuſpicaretur.

Si quis ſponſus ſuam ſponſam traderet tortoribus ferro, flammâque atrociter cruciandam: crederet eam fuiſſe in ſponſum perfidam, & nocentiſſimam.

Certè aut pater, aut ſponſus furunt; vel culpa utriſque nimium diſplicet.

Deus miſericors, & hominum amantiſſimus animas ſibi gratas, filias, ſponſas, cohæredes regni ſui ignibus purgatorij immergit ardentiſſimis per dies, per menſes, per annos (ſæpè plurimos) torquendas: nec harum lacrymis, gemitibus, clamoribus, doloribus movetur.

Certè aut DEUS injuſtiſſimus, & atrociſſimus eſt, aut culpa venialis horribile, ac ſtupendum eſt malum.

O Domine amantiſſime,

Miſericordia tua ſuper omnia opera tua eſt.

Minori potiùs gauderes punire ſupplicio, cui proprium eſt miſereri, & parcere.

Sed ne juſtitia tua violetur, in peccatum tam ſeverè cogeris animadvertere.

Ergò hujus malitia ſtupenda eſt nimis, & enormis.

Et tamen

Punitio in purgatorio, etſi terribiliſſima

non excedit meritum peccati venialis,
quin hoc eſt inferior, cùm Deus miſeri-
cors ſemper culpam puniat citra
condignum.
Quis igitur
Dabit capiti meo aquam, & oculis meis
fontem lacrymarum?
& plorabo die ac noctu. *Jerem.* 1.
Sed reus, & immundus jure timeo illud,
quod Judæis dictum eſt. *Malach.* 2.
Operiebatis lacrymis & fletu Altare
Domini: non reſpiciam ultra ad ſacrifi-
cium, nec accipiam placabile quid de
manu veſtra.
Juſtus es Domine, & rectum Judicium
tuum. *Pſal.* 118.
In manibus noſtris iniquitates ſunt, *Pſal.* 25.
Lacrymæ ſunt nocentes, non dignæ, quæ de-
leant iniquitatem meam.
Sordes non abluunt ſordes.
Tu ergò fons de domo domini egreſſus, *Joël.* 3.
amplius lava me ſanguine tuo ab iniqui-
tate mea,
& à peccato meo munda me. *Pſal.* 50.

SENTENTIÆ.

DEus Pater S. Catharinæ Senenſi Dialogo tertio dixit ſequentia. *Omnes pœnæ; quas animа ſuſtinet, vel ſuſtinere poteſt, in præſenti ſæculo, nullo modo condignæ ſunt ad culpam etiam minimam punien-*

puniendam. Quoniam offenſa, quæ mihi ſit, qui ſum Bonum infinitum, procul dubio ſatisfactionem exigit infinitam.

Eorum quoque delictorum, quæ videntur eſſe levia, terribiles tunc pœnas expendemus. *S. Chryſoſtomus adverſus vituperat. vitæ Monaſt.* Quia ſine peccato viri etiam electi eſſe non poſſunt; quid reſtat, niſi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, evacuare quotidie conentur. Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit; etſi minima ſint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò aufferunt fructum internæ ſuavitatis, vel ſaturitatis. *S. Gregor. in* 1. *Reg. in illa verba; Famelici ſaturati ſunt.*

Hoc agit ſentina latenter excreſcens, quod patenter procella ſæviens: & minuta ſunt, quæ erumpunt in membris per ſcabiem vulnera; ſed cùm multitudo illorum innumerabiliter occupat, ſic vitam corporis, ſicut unum grave vulnus inflictum pectori enecat. *Idem in Paſtoral. part.* 3. Aſſentitur *S. Auguſtinus ſerm.* 244. *de tempore.*

Qui in illa verba *Pſal.* 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem, multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei*, ſic ſcribit. Quis numeret capillos capitis ſui? multò minùs peccata, quæ excedunt numerum capillorum: minuta videntur, ſed multa ſunt: magna præcaviſti, projeciſti molem, vide ne arena, hoc eſt minutis iſtis peccatis obruaris.

Quid intereſt ad naufragium, utrum grandi

Digitized by Google

fluctu maris operiatur, & obruatur; an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navem, atque ſubmergat? *Idem epiſtola* 104. *ad Seleucianum.*

Si dicas non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimíſque peccatis; hæc eſt dilectiſſimi impænitentia, hæc eſt blaſphemia in Spiritum Sanctum irremiſſibilis. *S. Bern: ſerm.* 2. *de converſione S. Pauli.*

Mens DEO dicata cavet minora peccata, ut majora. *Idem de ordin. vitæ ad Fratres.* Imò mirabile quid, atque inauditum dicere audeo. Videntur mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna peccata vitanda eſſe, quanto parva, & vilia. Ab illis enim natura ipſa avertitur; hæc autem hac ipſa re, quia parva ſunt, deſides reddunt. Unde citò ex parvis magna fiunt. *S. Chryſoſt. hom.* 87. *in S. Matth.* Idem effantur *S. Gregorius part.* 3 *Paſtoral admonitione* 35. *S. Ignatius Loiola apud Lancicium Opuſc.* 1. *cap.* 12.

Difficile eſt, ut cadere in gravia non permittatur, qui minùs gravia non veretur. *S. Hilarius de initio Quadrag.*

Prodeſt ad cautionem etiam minima pro maximis cavere. Nam non citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. *S. Hieron. ad Celant. epiſt.* 14.

Dein

Tunc leve dixeris, quo offenditur Chriſtus? unde ad DEI tribunal pertrahi debes? cùm horren-

horrendum ſit incidere in manus DEI viventis *S. Bern. ſerm.* 29. *in Cant.* 1.

Non conſiderandum eſt, quid feceris, ſed quem offenderis, quàm bonus, quàm benignus, quàm prius &c. Talem patrem offendere, contra ejus voluntatem aliquid committere quàm eſt crudele? *S. Aug. lib. de vera & falſa pœnit. cap.* 8.

Noli peccata contemnere, quia minora ſunt, ſed time, quia plura ſunt. Attendite fratres mei, minuta ſunt, non magna. Non eſt beſtia quaſi leo, ut uno morſu guttur frangat; ſed beſtiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projjcicitur quiſquam in locum pulicibus plenum, nunquid moritur ibi. Si arena amplius in navim mittatur, mergit illam ut pereat, quàm minutæ ſunt guttæ pluviæ, nónne flumina implent, & domos deijciunt, *Idem ſerm.* 242. *de temp.*

Sanè neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod juſſum ſit, quàm illum, qui juſſerit, nec quantum imperij ſed imperantis cogitat dignitatem. *S. Hieron. Epiſt. ad Celant.*

Hinc S. Tereſia ajebat, mallem millies torqueri, quàm levi peccato DEUM meum offendere.

S. Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap.* 199 dicebat, mallem purus à peccato & innocens gehen-

nam

nam intrare, quàm peccati ſorde pollutus regnum cælorum tenere.

Dictum quoque olim à S. Catharina Genuenſi, quòd ſi homo cognoſceret, quanto dignum odio, fugâque eſſet peccatum vel unicum, exiſtere mallet in ardenti fornace, ibique vivus abſumi, quàm illud admittere; & ſi totum mare foret igneum, potius in illud uſque ad fundum ſe demitteret, néque unquam enataret, ſi crederet ſibi emerſuro obvium fore peccatum, eóque ſe contaminandum. *Solitud. Hagioph. 2. die in Conſid.*

S. Juſtinus ſcribit Chriſtianos ſui temporis maluiſſe mori, quàm mentiri.

Longè melius eſt, & corpus tuum, & omnia corporis perire membra, quàm lædi animam in re etiam minima. *S. Dorotheus.*

HISTORIÆ.

UXor Loth, quòd contra mandatum Angeli vertiſſet oculos ad videndam Sodomam, ubi rem familiarum notóſque reliquerat, in ſtatuam ſalis commutatur. *Gen.* 19.

Moſes intimus DEI amicus ob peccatum veniale diffidentiæ in percuſſione petræ commiſſum privatur ingreſſu terræ promiſſæ, pæna ſine dubio illi acerbiſſima. *Num.* 20.

Oza quòd imprudenter, & minore, quàm par erat, reverentiâ manum Arcæ caſum minanti admoviſſet; illicò morte ſubita punitur, etſi actio

actio de ſe laudabilis, & religionis plena videretur. 2. *Reg.* 6.

Betſamitarum quinquaginta millia cum ſeptuaginta principibus populi, quòd curioſius eandem arcam aſpexiſſent, morte etiam è veſtigio plectuntur. 1. *Reg.* 6.

David Rex quòd ſubditorum numerum ex aliquo vanitatis affectu inijſſet, punitur atrociſſima peſte, quæ dierum trium Spatio ſeptuaginta hominum millia ſuſtulit. 2. *Reg.* 24.

Abbas Moſes ob unicam impatientiam, uti *Caſſianus collat.* 7. *cap.* 27. Alius Monachus ob avidiorem aquæ potionem, *uti S. Greg. lib.* 1. *Dial. cap.* 4. Alius ob voluntariam diſtractionem, uti refert *vita S. Bernardi lib.* 2. *cap.* 1. à dæmone ſunt obſeſſi.

Gebhardus Monachus, quia manus ſuas per miraculum à S. Wilhelmo Abbate ſanatas fratris uxori reverentiæ ergò dedit oſculandas, mox punitus eſt, atque morbus redijt. *Trithemius.*

Ob unum peccatum veniale ſoror S. Petri Damiani annis omnino ſedecim ſcrupulos & deſolationes fuit perpeſſa. *Suquet. lib.* 1.

S. Catharina Senenſis divinæ viſioni intenta tranſeunte ipſius Germano fratre oculos pauliſper convertit, ut videret quis eſſet, & celerrimè ad Divinam viſionem redijt. Mox ob tantillam diſtractionem à Beatiſs. Virgine, atque S. Paulo ita fuit reprehenſa, ut ſtatim in acerbiſſimum fletum proruperit, dein dixerit, tam acrem fuiſſe reprehenſionem, ut potiùs eligeret coram

ram univerſo mundo ignominioſiſſimè confundi, quàm denuò reprehendi. *Vita 29. Aprilis.*

Euſebius Monachus, quia inter piam lectionem Ruſticum arantem aſpexit, & ob id aliquid neglexit, ſe per annos omnino quadraginta depreſſis gravi pondere cervicibus, & ad cingulum fune attractis ſe punivit, ne oculos altiùs attolleret. *Sophronius in prato Spirituali.*

Zacchæus Monachus leviſſimum peccatum annuo caſtigavit jejunio. *Surius in vita S. Pachomij.*

S. Franciſca Romana ob exiguum temporis inutiliter deperditum ab Angelo validam alapam accepit.

Socius S. Vincentij Ferrerij, dum curioſitati Regis Aragoniæ obſequitur, admittendo illum ad videndum cubiculum, Sancti mira luce conſpicuum, ſeptem omnino annos continua febri divexatus eſt.

Fructus.

PRimus, *Odium peccati venialis.* Exclamat Nierembergius de Adorat in Spiritu, & Veritate l. 2. cap. 13. *O veritas! O bonitas immenſa! precor per merita Chriſti, ut tollas velum mentis meæ, quo poſſim noſcere, quàm ſtupendum malum ſit in minima culpa malitia. Pretioſioris rei pejor corruptio eſt, & ejus, quæ rectiſſima debet eſſe, magis offendit obliquitas: quid pretioſius mente, & arbitrio, quod ſuper omnem aliam creaturam eſt; quare minimum ejus vitium deformiſſimum eſt; nec eſt mens humana, & Angelica, quæ adæquatè malum noſcat, quod in*

anima cauſat. Hæc ille. Unde optimè S. Dorotheus: *Longè melius eſt & corpus tuum, & omnia corporea perire, quàm lædi animam in re etiam minima.* Inde horror peccati venialis in SS. Anſelmo, Tereſia, Catharina Genuenſi citatis & alijs Sanctis. Paula Romana tot lacrymis minimam noxam expiavit, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. *S. Hieron. Epiſt. ad Euſtoch.* S. Bernardus ſe acum non accepiſſe, ſed deſideràſſe deploravit. *Apud Theod. cap.* 4.

Secundus. *Confeſſio horum peccatorum accurata & doloroſa.* Quæ etſi de præcepto non ſit, eſt tamen de conſilio, & ad animæ purgationem, & pænam tollendam plurimùm facit, atque plurium fructuum Spiritualium eſt feraciſſima: *Ego dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Pſalm.* 31. Mortuus erat prope Neapolim Religioſus quiſpiam, qui dein apparuit cuidam intimo amico dicens, *ſe in purgatorio graviter cruciatum fuiſſe, quòd olim in Sacro aliquantulum fuiſſent confabulati nec id confeſſi: proin is confiteretur.* Annuæ Neapolitanæ anno 1605. Beatiſs. Virgo F. Henrico de Caſtro Dominicano apparens, cùm ei conceſſit notitiam Scripturarum, ajebat: *Vade, & confitere, quod peccatum eſſe tu non reputas, eſt tamen; quòd nimis diu ſtetiſti ad portam fabulando, & poſt tepidè confeſſus dixiſti Miſſam cum modico fervore. Choquetius in ſanctis Ord. Prædicatorum, & Ballinghem* 18. *Octob.* Imitemur Sanctos. S. Bernardus quotidianorum lapſuũ maculas quotidiana

tidiana confeſſione abluebat. Idem fecerunt S. Catharina Sueca, B. Rogerius, S. Franciſcus Borgias, & alij plures. B. Joannes de Sahagura eo momento, quo levem aliquem nævum contraxerat, ſi in clauſtro religioſum quendam Sacerdotem obvium habuit, ad ejus pedes ſe dejecit, & pectus tundens, confiténſque veniam, & abſolutionem delicti poſtulavit. *Penneq. Iſagog. part. 3. cap.* 16.

Tertius. *Agere pœnitentiam ob peccata venialia commiſſa.* Exemplo ſancto præivit Euſebius Monachus, qui (ut paulò ante relatum) exiguam curioſitatem annorum 40. pænitentia punivit. DEUS æquiſſimus, ſimul atque clementiſſimus peccata venialia etiam in hac vita punivit, uti recenſitæ hiſtoriæ docent. Verè S. Auguſtinus in Pſal. 58. *Omnis iniquitas parva, magnáve ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab homine pœnitente, aut à DEO vindicante: prorſus aut punis, aut punit; vis, non puniat, puni tu: nam & illud feciſti, quod impunitum eſſe non poteſt.* Hinc monet Tertullianus. *In quantum non peperceris tibi, DEUS tibi parcet.* Carmelitarum Fundatrix Tereſia ita peccata ſua licèt minutiſſima ſolebat exaggerare, ut crederetur quis ea fuiſſe maxima. Si in choro tantillum in lectione horarum Canonicarum erraſſet, ſubitò in chori medio humi proſternebatur. Quòd ſæpe aliarum Virginum animos ita perculit, ut interrupto cantu in lacrymas ſolverentur. *Vita.* Quàm benè S. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 18. *Quid*

jam

jam peccatores de magnis ſceleribus agere debent, quando etiam perfecti levia quoque delicta quaſi graviſſima lugent?

Consideratio IX.

De Morte Prima.

Circumdabunt te inimici tui, & coanguſtabunt te, & in terram proſternent te. Lucæ 19.

O Funeſta
Obſeſſio, & Coanguſtatio!
Arctiſſima, violentiſſima, damnoſiſſima;
Exitialiſſima.
O Quàm impar conditio
Obſeſſi, & obſidentium!
Oppugnatur æger debiliſſimus, timidiſſimus, unicus.
Obſidentes ſunt
Fortiſſimi, truculentiſſimi, exercitatiſſimi, plurimi.
Ipſe hoſtis intra muros eſt.
Ipſe obſeſſus ſeipſum obſidet, & coanguſtat
Foris pugnæ, intus timores. *2. Cor. 4.*
Omnia
In moribundi exitium conjurant;
Omnia

Moribundum deſtituunt ſubſidia,
Quid dicam de corpore?
Ejus robore, pulchritudine, ſenſuum vigore;
ætate etiam florentiſſima?
Robur emarcuit ut arbor eſtœta;
Forma decidit, ut flos agri exuſtus, & favilla;
Senſuum vigor defecit, elanguit;
ætas quæcunque præterijt non reditura.
Ubi nunc ocelli rutilantes?
Gemina vultus ſidera, blandæ faces,
& molles in amore Duces.
Obſcurant ea tenebræ, & umbra mortis occupat,
Et caligo, & involuuntur amaritudine.
ubi Auditus? *Job.* 3.
Ille Sirenum amicus, ſuaviter ludentium theatrum, & delicium
mollia loquentium, adulantium &c.
Amor, & gaudium?
Obſurdeſcunt omnes filiæ carminis. *Eccle.* 12.
Ceſſavit gaudium tympanorum, quievit lætantium ſonitus,
Conticuit dulcedo citharæ. *Iſaiæ* 24.
Ubi Odoratus?
Cui Arabia felix ſervijt, cui vaporârunt odores,
Suaviſſimi
Exhalârunt; jam phlegma ſibi nares vendicat fætens, & putridum.

Dignum

Dignum hoc hoſpite domicilium.

Erit pro ſuavi odore fætor. *Iſa.* 3.

Ubi Guſtus?

Cui vix orbis uterque penu ſuo ſufficit, cui aër, aquæ, ſylvæ, horti ſuas delicias ſubmiſerunt, & dapes.

Nauſeat ſtomachus, cibos horret; culina, & focus frigent, ſilent.

Otioſæ erunt molentes in minuto numero. *Eccl.* 12.

Ubi cæteræ corporis deliciæ?

Illæ; pro quibus anima diabolo vendebatur:

præ quibus Summum bonum inſuper habebatur.

Relinquentes Eum averterunt dorſum ſuum. 2. *Paralip.* 29.

Derelinquent in maledictione memoriam ejus, & delictum illius non delebitur. *Eccle.* 29.

Omnia ergò hæc fuêre vanitas vanitatum.

At ob has vanitates

Nunquid vanis æger concutitur terroribus?

Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni invenerunt me. *Pſal.* 17.

Quanti ſunt dolores mortis?

Quibus corpus omne oppletur, frigus lethale omnia membra occupat; æger pondus terræ inutile jacet, & victima mortis telum trepidans exſpectat.

Digitized by Google

Quanti ſunt mortis dolores?
Quibus anima obruitur. Siccine ſeparas amara
Mors? 1. *Reg.* 15.
O Mors, quàm amara eſt memoria tua homini
habenti pacem in ſubſtantijs
ſuis? *Eccl*, 41.
Æger
Conſcientiam ſuam tum maximè fodicantem
ſentiens quantis affligitur angoribus? ſiſtunt
ſe miſerrimo omnia ſcelera vitæ peſſimè
actæ. Heu quot? quàm enormia?
Non potuit, ut videret
Pſal. 39.
Nec minima aberunt delicta, ſed ſuam ipſa quo-
que agent perſonam: neque tunc appare-
bunt minima, cùm Maximum
offenderint.
Verùm forſitan
Opera piè facta in ſcenam, & ſolatium ali-
quòd prodibunt?
Ah! quàm pauca? quàm immunda, &
ſordida?
Juſtitiæ noſtræ quaſi pannus Menſtruatæ.
Iſaiæ 30.
Inſuper
Quot neglectæ Inſpirationes Divinæ?
Quot monita Sancta ſpreta?
Quot occaſiones DEO ſerviendi præteritæ?
Quàm exigua talentorum à DEO conceſſorum,
Temporis pretioſiſſimi,
Conſiliorum piorum,

Ex-

Exemplorum bonorum,
admonitionum, correctionum cura?
Hæc omnia coanguſtabunt undique moribundum;
cùm pleno agmine irruent, & impugnabunt.
At alij quoque aderunt hoſtes,
Et in terram proſternent moribundum.
Videbit miſer, etſi oculis caligantibus,
Hoſtes in altero orbe, quò tendit, infeſtos:
Cernit DEUM (quàm tremendum?) jamjam fulmen terribile vibrantem.
Angelum ſuum Cuſtodem cauſæ tam afflictæ nullo modo patronum futurum, ſed accuſatorem
Acerrimum:
Cælum omne ſibi infenſiſſimum, pænas debitas expetens.
Diabolos jam paratos, ut catulos leonum rugientes, & præparatos ad eſcam. *Eccl.* 51.

Nunquid ægro anguſtiæ ſunt undique? *Dan.* 13.
Nunquid Judex æquiſſime induxiſti fluctus tuos ſuper nocentem? *Pſal.* 87.
Heu fluctus tumentes! *Iob.* 31.
fluctus feri! *Sap.* 14.
fluctus feri maris! *Zach.* 10.
Gemit cum Antiocho Rege impio: 1. *Mach.* 6.
In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui jucundus eram?
Regredi vellet infeliciſſimus; ſed non poteſt.

Digitized by Google

Progredi timet, hæret, refugit; ſed cogitur;
Inducias inclamat ſaltem uſque ad mane;
Sed non exauditur.
Coanguſtant eum inimici undique, & in terram proſternunt gementem.
O quis hos motus animi afflictiſſimi, has cordis anguſtias explicare poſſit?
Quibus miſer deſertus ab omnibus, inviſus omnibus inter hæc duo extrema luctatur.
O Homo
Sit nunc tibi viventi mortis memoria amariſſima;
Ut morienti ſit dulciſſima.
Si vis, ut moriatur anima tua morte Juſtorum, *Num.* 23.
Stude vivere vitam Juſtorum.

SENTENTIÆ.

STatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. *ad Heb.* 9.

Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ. *Eccl.* 12.

Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. *Matth.* 5.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te *Eccl.* 5.

Quoniam igitur te mors ubique exſpectat, tu quoque ſi ſapiens fueris, ubique eam exſpectabis, *S. Bernad. medit. cap.* 3.

Latet

Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies. *S. Aug. lib.* 50. *Homiliarum homil.* 13.

Quando homo fit non homo, hoc eſt, quando ægréſcit, ægrotando ægritudo creſcit, peccator expaveſcit, cor contremiſcit, caput obſtupeſcit, ſenſus evaneſcit, virtus exareſcit, vultus palleſcit, facies nigreſcit, oculus tenebreſcit, auris ſurdeſcit, naſus putreſcit, lingua fatiſcit & obmuteſcit, caro marceſcit. Tunc carnis pulchritudo fœtor efficitur, & putredo tunc ſolvitur in cinerem, & vertitur in vermem. *Speculum peccat. in tomo* 9. *S. Auguſt.*

Eheu horreo vermem mendacem, & mortem vivacem; horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. *S. Bernard. lib.* 5. *de conſid. ad Eugenium Papam.*

Non poteſt malè mori, qui benè vixerit. *S. Auguſt. de Diſcipl. Chriſtiana cap.* 12. Et vix benè moritur, qui malè vixerit. *Ibidem.*

Pænitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Vivens, vivens ò Domine ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie. *S. Aug. ſer.* 55. *de tempore.*

Non ſecurus hinc exit, qui malè ſecurus hic vivit. *S. Bernardus ſer.* 108.

Quia venturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus, ſupereſt, ut ante mortem tempori indulta rapiamus; ſic enim mors ipſa, cùm venerit, vincetur, ſi priusquam veniat, ſemper timeatur, *S. Greg. hom.* 33. *in Evang.*

Fruſtra parantur remedia, cùm mortis imminent pericula. Miſer homo quare omni hora te non diſponis? cogita te jam mortuum, quem ſcis neceſſitate moriturum *S. Bernard.*

S. Franciſcus Xaverius ajebat nihil ſe difficilius expertum eſſe, quàm in ſpem ſalutis moriturum adducere, qui ſpe ſalutis adulatus ſibi eſſet ad licentiam peccandi *Bartol. lib. 2. num. 52.*

HISTORIÆ,

De morte peccatorum peſſima.

DE infelici morte Chryſorij verba do S. Gregorij lib. 4. Dial. cap. 38. Chryſorius vir in hoc mundo valde idoneus fuit, ſed tantùm plenus vitijs, quantùm ſuperbiæ tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, in requirendis rebus avaritiæ facibus inceuſus. Sed cùm tot malis Dominus finem imponere decreviſſet; corporalis hunc moleſtia percuſſit. Qui ad extrema perveniens eadem hora, qua de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros & nigerrimos Spiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, ut ad inferni clauſtra eum raperent. Cæpit tremere, palleſcere, ſudare & magnis vocibus inducias petere, filiúmque ſuum nomine Maximum nimijs, & turbatis vocibus vocare dicens: *Maxime curre, nunquid. mali quid feci? in fidem tuam me recipe.* Turbatus mox Maximus adfuit lugens, & perſtrepens familia.

convenit. Eos autem, quos ille aſſiſtentes ſibi graviter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant, ſed eorum præſentiam in confuſione, pallore, & tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pavore autem tetræ illius imaginis huc illúcque vertebatur in lecto, jacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibi quoque aderant; cúmque conſtrictus nimis relaxari ſe jam poſſe deſperaret, cæpit magnis vocibus clamare, *Inducias uſque mane, inducias uſque mane.* Sed cùm hæc clamaret, in ipſis vocibus de habitaculo ſuæ carnis evulſus eſt. *Ita magnus Eccleſiæ Doctor.*

Apud caſtrum Liziniacum in agro Pictavienſi ſitum Presbyter quidam turpibus ardens amoribus ut ſus immundus multo tempore in cœno luxuriæ fuerat volutatus, frequenter interim SS. Sacramentis abutens. Territus conſcientiæ obluctantis malo (ſicut aliquando & mali ad horam compunguntur) familiaritatem quorundam virorum piorum experijt, ſéque in amicitiam Abbatis Bonevallis, & fratrum ejusdem Monaſterij inſinuavit. Admonuêre illum hi de vita emendanda, ſed effecerunt nihil præter vanam quandam ſpem, cùm ea, quæ dicebantur, ſe libenter audire finxit, & de amicitia Sanctorum gloriatus eſt: Incidit in morbum infelix, cui Prior inviſens cùm aſſideret, voce terribili clamare cæpit, *Succurre, ſuccurre; ecce duo fortiſſimi leones in me hiante ore ruunt, totum diſcerpturi, deprecare citò Dominum, ut horum faucibus eripiar.*

Prior terrore perculſus ad preces ſe contulit, ſub quibus æger, *benè*, inquit, *benè per orationes tuas ultra non apparent crudeles beſtiæ.* Dein de quavis alia re loqui cæpit, donec poſt horæ unius ſpatium longè terribilius clamans, *en*, inquit, *en ignis de cœlo, ut torrens exundans ſuper lectum meum deſcendit, & me jam jam in favillam rediget, feſtina, adjuva, ora, ſi fortè & ab hac morte eripi valeam*, & hæc dicens opertoria lecti manu ſublevans ea velut imminentibus ignibus oppoſuit. Prior iterum ſe precibus dedit, & rurſum æger, *quieſce jam*, ait, *jam ab igne tutus ſum, quæſo ne à me diſcedas, quouſque quis horum ſit futurus finis cognoſcas.* Ergò ſurgens ab oratione Prior cùm anxium ſolaretur, & ut prius colloquerentur ſubitò ægrotus obmutuit, & poſt multum temporis ad ſe reverſus, ac miſerabiliter ingemiſcens, *ad judicium*, inquit, *æternum raptus ſum, & eheu miſer æterna morte damnatus, & jam traditus horrendis tortoribus igne inextinguibili cruciandus; ecce ecce ignita ſartago, bullienti plena adipe, quam tormentorum miniſtri uſque ſuccedentes ad me frigendum attulerunt.* Et cùm Prior, uti ante, ſe precibus daret, *ceſſa*, ait ille, *ceſſa pro me orare, pro quo non exaudieris.* Ad quem religioſus: *Ad cor redi, mi frater, & à Deo miſericordiam, dum vivis exquiret*, reſpondit ille, *fruſtra eſt, & ut ſcias, me hæc nequaquam turbatione quadam dicere, ſicut hæc veſtis* (Prioris cucullum manu apprehendit) *cucullum eſt, & ſicut hoc, quod mihi ſubſtratum eſt, palea eſt, ita quod coram cerno, ſartago eſt.* Atque eo hæc loquente gut-

ta

ta ignis inviſibili de ſartagine in manum ejus Prioræ vidente incidit, & protinus cutem, ac carnem uſque ad oſſa conſumpſit; tum ille acri cum gemitu, *en*, inquit, *in dubia re probatio, ſic confeſtim me totum ignea vorago abſumet. Et ecce jam infernales miniſtri ſartaginem propius admovent, manúſque protendunt, ut me injiciant*: Et paulò pòſt: *Eheu ecce jam linteum, in quo jacco, undique corripiunt, & in ſartaginem æternum arſuram injiciunt.* Mox Priori & adſtantibus dicto vale ſubtracta voce, & reflexa cervice torquendum ſpiritibus damnatis ſpiritum tradidit. Tantus verò terror omnes invaſit, ut illicò auffugerint univerſi, nec remanſerit vel unus in domo; in qua cadaver jacuit uſque mane, quando terræ mandatum fuit. *Baronius tomo* 12. *anno* 1100. *ex Petro Cluniacenſi lib. mirac. cap.* 25.

HISTORIÆ.

Etiam Mors Piorum Anguſtias patitur, & Timores.

MOrtem ſuaviſſimam mellifluus Doctor Bernardus obivit, hic tamen in meditatione ultimæ horæ exclamavit: *Anima mea quid ages, cùm in lectulo poſito corpore exitura eris ex hac vita? quis erit tunc ſocius itineris, per quod non apparet veſtigium hominis? quis ad Judicem deducet? quæ ſors tua erit bonáve an mala? quis te defendet? quis te liberabit? conſiderabam ad dexteram,*

ram, & non erat qui cognoſceret me. Periit fu… a me, quid miſero reliquum? Clamavi ad te Domin… dixi tu es ſpes mea.

S. Simeon Salus moriturus Joannem Diaco… num his inter cætera eſt allocutus. *Deus ſcit,… quanto metu, in quantis ſim anguſtiis: dum anim… ex hoc carcere productus mutem, ut ſpero, ſententia… à Judice accipiat. Hic reverà malus eſt dies &… Quare age, ambulemus dum tempus eſt, & anim… noſtras commendemus in benefactis. Poſt tres di… Decretum æternitatis audiam.* Elapſo triduo a… Chriſtum Judicem, & Muneratorem migravit… *Surius* 1. *Julij.*

S. Arſenius, cùm moreretur, cæpit flere, & cùm fratres cauſam requirerent dicentes: *Quid fles Pater? nunquid & tu times?* reſpondit, *In veritate timeo, & iſte timor, qui nunc mecum eſt, ſemper in me fuit, ex quo factus ſum Monachus.* Cùm autem videret eum obijſſe Abbas Pæmen dixit, *Beatus es Abba Arſeni, quòd tantoperè in hac vita planxeris; qui enim hîc non planxerit, ibi ſed ſero lugebit.* Surius 27. Julij.

S. Hilarion in mornte animam ſuam his eſt allocutus: *Egredere ô anima mea, quid times? ſeptuaginta annis ſervijſti Deo, & adhuc mori times?* Vita.

Joannes Taulerus vir laborioſæ virtutis, Theologus, & Eccleſiaſtes Religioſiſſimus, qui tam inſignes in ſubmiſſione animi progreſſus fecit, ut nihil nec ſuum quidem poſt obitum ſuo nomine in lucem dari voluerit: hic ipſe gravi, ac diu-

turna

turna invaletudine, multísque doloribus exhauſtus jam proximus ibat divino tribunali. Cùm ecce moribundus ſubitò geſtus horribiles, ac pavendos edere, impatienter luctari, fremere, velle fugere, nec poſſe, huc illuc manus jactare, oculos fædùm intorquere, aſpectu eſſe formidabili. Hæc res præſentes non parum ſolicitos habuit, nec ad ſe redijt, dum vitam clauderet. Adfuit inter cæteros Taulero familiarior quidam, qui amici morte tam horribili territus aliò ſmigrare inſtituit. Tertio itineris die poſt cænam ſumptam media nocte evigilans vocem exilem audijt, ſed neminem vidit. Ita terrore mutus jacuit, ſed attentiſſimè vigilavit, cui vox, *Ne metue, ego ſum amicus tuus ante triduum mortuus.* Alter terroris plenus hoc unum tamen interrogare eſt auſus, quo nunc loco eſſet morte tam horribili defunctus? Huic vox iterum: *Ita Judex in me clementiſſimus fieri decrevit, ut ad beatitudinem tantò expeditius tranſirem; quantò in morte difficilius pugnarem: & reverà cacodæmones in eas anguſtias me adduxerunt, ut mihi viderer deſperationi eſſe proximus; & niſi mors imminens intercluſiſſet vocem, tetros edidiſſem clamores, qui ſummos angores facilè teſtari potuiſſent.* Tomo ſingulari operum Tauleri circa initium.

Vir Religioſus familiæ Ciſtercienſis nocte inſequenti, quâ extremum diem obierat, Prælato ſuo ſe miro lumine circumfuſum ſtitit: à quo rogatus, quid accidiſſet, ut citra ullam purgatorij pœnam, & in ijs moram rectà cœlum conſcendiſſet?

diſſet? hanc cauſam ſubjecit. *Peracerbi dolore immanes cruciatus, graveſque terrores, quibus morte vehementer admodum ſui afflictatus, expiant mihi flammæ in purgatorio vicem ſubiêre.* Cæſari *lib.* 12. *cap* 151. Quare rectè monet Enge grave in cœlo Empyreo Feſto tertio Paſchæ, hominem probum non damnandum tanquam Deo deſertum, & inferis devotum caput, ſi qui videat moribundum magnis doloribus excruciati, gravémque in morte luctam pati: ſed potiu miſericordem Dei manum agnoſcat, quæ hic punit, ne in altera vita ſeveriſſimè tangat.

Refert Surius 27. Sept. de S. Elzeario, qu virginitatem ſuam cum conjuge Delphina illibatam ſervavit, eũ in exitu graviſſimas animi anguſtias, & tentationes expertum: in agone poſitum vultum prætuliſſe valde terribilem. Unde colligi licuerit eum in magno verſari labore ob quædam illi objecta, atque ſub ejuſmodi conflictu exclamâſſe: *Magna eſt vis dæmonũ, ſed eam penitus enervarunt virtus, & merita Sacroſanctæ Incarnationis, & Paſſionis JEſu Chriſti.* Poſt paululum rurſum exclamâſſe: *Plane vici.* Poſt aliquantulum temporis cum ingenti clamore dixiſſe, *totum me Divino judicio committo.* Atque his dictis reparatum eſſe vultum ejus; & quodam ſplendore, atque multa elegantia perfuſum reddidiſſe ſpiritum.

Fru-

Digitized by Google

Fructus Meditationis de Mortis Anguſtijs.

PRimus. *Timor mortis ſalutaris.* Ipſe *ad ſepulchra ducetur, & hinc congerie mortuorum evigilabit.* Job. 21. Excitatus nempe è ſomno periculoſo ob aſpectum cadaverum, quibus brevi ſimilis ſit futurus, timore ſalutari percelletur ad dignos fructus pœnitentiæ faciendos. Occurret meditanti mors, quæ *tam moleſta eſt; ut nec ulla explicari locutione poſſit, nec ulla ratione vitari.* S. Auguſtinus de Civitate lib. 3. cap. 11. Hinc S. Bernardus ſerm. de obitu Humberti exclamat: *O beſtia crudelis! ô amaritudo amariſſima! fœtor & horror filiorum Adam!* Idem ſerm. de villico iniquitatis his eam deſcribit. *Mors eſt crux horribilis, ad quam quotidie feſtinas, & non attendis: crura diſtenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langueſcit, oculi obſtupeſcunt, vultus horreſcit, facies exſudat, & morte tacta palleſcit. Et hæc utique quæ videmus deforis, & quæ ſentimus levia ſunt, at quam gravia, quæ intus animus miſerabilis jam prægustat!* Sic Sanctus. Verè gravia præ doloribus corporis, & quis mortem non timeat? *Caſum naturæ valde horribilem, plenúmque omni calamitate, ac miſeria,* ut ait doctus Idiota lib. 5. contemplat.

Secundus fructus ex priori naſcitur, ex timore ſalutari mortis *Ejuſdem memoria ſalutaris. In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in*

ater

æternam non peccabis Eccl. 7. *Beatus* ergò, *qui horam mortis ſemper ante occulos habet, & ad moriendum ſe quotidie diſponit.* Tomas de Kempis lib. 1. cap. 23. Siquidem mors *omnium vitiorum eſt peremptoria*, teſtibus S. Auguſtino ſerm. 3. de SS. Innoc. & Caſſiano coll. 16. cap. 6. Ipſemet Chriſtus mandavit S. Brigittæ feretrum in ſuo monaſterio cui modicum terræ ſuperimpoſitum ſit, ante ingreſſum Eccleſiæ jugiter collocatum haberet ad mortis memoriam ingredientibus jugiter habendam *In fine Revelat. S. Brig. in reg. S. Servatoris cap. 23.* Mandatum verè divinum; nam ut ait S. Gregorius in cap. 7. Job. *Qui conſiderat, qualis erit in morte, nihil quod tranſeat, appetit; cunctis deſiderijs vitæ præteritis contradicit, & penè mortuum ſe credit, quia moiturum minimè ignorat.* S. Franciſcus Borgias aiebat, boni Religioſi negotium eſſe in ſingulas horas mortis eſſe memorem, & quotidie quater, & vicies mortis meminiſſe. Et certè erit harum horarum una, quâ morieris. Idem quotidie adibat Crucifixum, & ſub cruce matrem, ut per eos, quos ſenſiſſet dolores, noſtram mortem Deo Patri acceptam redderet propter mortem Filij. *Vita.* Adoleſcenti cuidam vaniſſimo, & diu nullam rei piæ mentionem admittenti vir quidam religioſus hanc ſententiam ingeſſit. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Quibus verbis ita motus eſt, ut cùm tota nocte nihil aliud occurſaret, mundum faſtidire cæperit, & die altero ad religionis portum confugerit. *Platus lib. 3. de bono ſtatus Religioſi. cap. 38.* Ter-

Tertius fructus eſt. *Mors ſemper ſuſpecta*, quia ſemper inſidiatur telo, & arcu minax. Eremita Turnonenſis in Vivareto alieno malo doctus ſemper è ſpecula mortem proſpiciens, tandem eam paratus excepit. Cùm enim quodam die monitus fuiſſet, ſe pararet ad excipiendum Comitem, qui die poſtero ad eum viſendum venturus eſſet; dixit nuntio, *refer comiti tuo, hodie, ſi quid me velit, jubeat, nullus enim mihi craſtinus eſt dies.* Hæc ſanus dixit, quem altero die comes adiens mortuum reperit. *Franciſcus Arnux Canonicus Rienſis in prato ſpirituali capite. 5. Eſtote ergò parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Lucæ 12. Audivit ille, *ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te*; qui ſibi perſuadebat, *ſe habere multa bona, poſita in annos plurimos, & voluit requieſcere, comedere, bibere, epulari. Ibidem.* Quendam teſte Barri in ſolitud. Hagioph. die quarto dum ocreas inducit amicum aditurus, mors ita adorta eſt, ut intra ſemihoram confecerit, nec adfuit tempori Confeſſarius. Plura referuntur paſſim exempla, quæ verè docent, verè *latere ultimum diem*, ut monente S. Auguſtino *obſerventur omnes dies.* Quare ſic *te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quaſi hodie eſſes moriturus.* Thomas de Kempis lib. 1. cap. 23.

Nemo certè mortem ſatis cavet, niſi qui ſemper cavet. Nimis ille temerarius eſt, qui cum lethali peccato it cubitum, & in plumas ſe abijcit, & toto proflat de pectore ſomnum.

Digitized by Google

Ah quanta eſt humanæ mentis & cæcitas, & temeritas? cùm ſciat, quàm frequens ſit & crebra mors repentina. *Non tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem, ſubito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Eccl. 5.

Quartum fructum ſuggerit S. Xaverius in libro 4. novarum Epiſtolarum, dum epiſtola nona his Joannem III. Regem Luſitaniæ alloquitur. Vehementer etiam atque etiam obſecro te Domine, ne pigreris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorij momenti, quicquid expediri modo, ac præverti poteſt. Morbus enim ſupremus, & mortis ingruentis vicinia ita mentem languentis in angorum, dolorúmque, qui plurimi, acerbiſſimíque tunc ſæviunt, præſenti ſenſu miſeram defigit, ut illi nequaquam vacet alijs curis, aut cogitationibus attendere, quam quas illi horribilis ſcena rerum animo ſeſe tum primùm obijciens triſtiſſimas, & inutiliter cruciantes incutit, quarum informare ſpeciem nemo poteſt, niſi qui eſt expertus.

TESTAMENTUM.

Præ cæteris memorandum, ac utile, quod P. Antonius Sucquet è Soc. JESU ſibi conſcripſit.

Subijcio id, cùm ſuadeat Author, ut id in tentatione, oratione, & in omni negotio præ oculis habea-

habeatur ; & ad oratorium , lectum , ſacrum , imò & ad ſepulchrum deferatur , rogatis amicis , ut mortuus cum fueris , tuis inſeratur manibus , & in vita , ut quot menſibus legatur. Ex eo pauca excerpo : Amice lector ſi placuerit , poteris pro tuo lubitu , & tempore commodo legere ipſum Teſtamentum Antuerpiæ an. 1625. in forma libelli editum.

Quoties in omni vita nomen tuum O Jesv pronuntiabo , ea intentione ex nunc id facere volo , veluti extremo illo vitæ meæ momento , à quo in ictu oculi paſſu uno tranſibo à tempore in æternitatem.

Volo amare te , omniúmque ſanctorum æternitates depoſco , & laudes ; eáſque tibi repræſento ſinceriſſimo amore. Amore feror , & ferar ad te finem , & centrum meum cum omni affectu militantis , & triumphantis Eccleſiæ , quíque ullius creaturæ eſſe poteſt. Quod ſi poſſem omnes arenas , atomos , guttas in choros , & cælos te laudantium convertere , facerem certè ; & quamvis nihil eſſe deberem , ut tu eſſes , vellem.

Præteritos dies , horas , & momenta cuperem pro maxima gloria tua impenſa eſſe , & ſervijſſe me tibi ex corde perfecto.

Omnia , quæ ago , cupio gratia tua factus ea facere cum omni deſiderio , & amore militantis & triumphantis Eccleſiæ in unione amoris tui ô amantiſſime Jesu ; & tui ô dulciſſima

MARIA Mater mea; & veſtri Patroni mei N. N. & omnes ſancti DEI.

Vtinam! utinam univerſo vitæ meæ tempore laudaſſem te, & gratias egiſſem! laudate obſecro pro me Dominum ô vos omnes beati Spiritus, & ſancti omnes.

Dulciſſima Mater rogo te, ut pro ingrato ſervulo tuo gratias agas Patri miſericordiarum, & filio tuo in æternum. Ne vero contingat me corpore exutum morari, donec ſatisfaciam tibi Deus; indulgentias omnes lucrari opto, quaſcunque poſſum operibus meis. Peto verò à vobis omnibus amicis, notis meis, ut mox, atque me mortuum audieritis, iiſdem me piè adjuvare dignemini.

Deus meus éſtne, quod ultra poſſim? ſcilicet, ut æternos luctus, & tormenta, ignem devorantem, & ardores ſempiternos, ac mortem evadam ſempiternam? éſtne ultrò; quod facere poſſim? per gratiam tuam volo.

Et poſt plura ſic ſubſcripſit. Hæc ſignavi manu propria, gratia Dei mei, teſte ipſo, & Curia illius: & ſigno, ſi ei placet, morte, ut æternùm illi vivam. Anno. Menſe. Die. Hora.

Digitized by Google

CONSIDERATIO X.

DE MORTE ULTIMA RERUM OMNIUM LINEA.

Mortuus autem eſt & dives.
Lucæ 16.

Obijt:
Ergo ille, qui induebatur purpura, & byſſo,
& epulabatur quotidie ſplendidè?
Ubi
Nunc ille veſtium ſplendor? illa gloria?
Procedet tinea, quæ comedet eum. *Eccl.* 42.
Et ſicut lanam devorabit eum. *Iſaiæ* 50.
& 51.
Ubi
Nunc ciborum exquiſitorum deliciæ?
Quia
Propter eſcam deſtruxit opus Dei animam
ſuam. *Ad Rom.* 14.
Deſtruxit illum Deus.
Eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem &
hunc, & has deſtruet. 1. *Cor.* 6.
Saginatus Epulonis adeps, & incraſſatus
Lautum vermibus dabit epulum.
Ubi
Reliquæ hujus Divitis beatitates?
Evanuere.

Ut vapor ad modicum parens. *Iacobi* 4.
Nuntius percurrens. *Sap.* 5.
Tanquam umbra. *Ibidem.*
Navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam. *Ibidem.*
Somnium viſionis nocturnæ. *Ibidem.*
Avis, quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris. *Ibidem.*
Omnes hujus Epulonis dies quaſi maris guttæ, deputati ſunt ſicut calculus arenæ. *Eccl.* 18.
Verè guttæ maris, quæ poſt ſe relinquunt ſalſedinem ingratiſſimam,
In omnem æternitatem:
Hinc illa ſitis, qua lingua ipſius in flamma gehennali exareſcit, & exareſcet
ÆTERNUM.
Ubi
Divitiæ ac opes?
Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes
Viri divitiarum in manibus ſuis. *Pſal.* 75.
In alienam venerunt manum, ac poteſtatem.
Num ea
Futura eſt grata, ac memor benefactoris?
Frequentiſſimè
Ingrata, oblivioſa, ac non raro maledica:
Cùm hæreditas relicta ſpe minor eſt, & corvum hiantem non ſatiat.
Quid miſerius?
Quando nec apud illum, cui quis laboravit, gratiam derelinquit. *S. Greg. Nyſſ.*

Ubi

Ubi demùm
Gloria & Honores?
Cùm interierit, non deſcendet cum eo gloria ejus. *Pſal.* 48.
Aufertur gloria Moab ſuper omni populo multo. *Iſa.* 16.
In quo nempe voluit eminere, & adorari.
Gloriam eorum in ignominiam commutavit Deus. *Oſeæ.* 4.
Ipſi fatentur impij:
Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia, quid profuit nobis? *Sap.* 5.
Umbræ tranſitus fuit tempus noſtrum; nemo memoriam habebit operum noſtrorum. *Sap.* 2.
Cur inhiemus umbræ?
Cur laboremus in vanum, & ad oblivionem operum noſtrorum obtinendam?
Dic mihi,
Ubi memoria Regum Aſſyriorum, quorum imperium duravit annis omnino 1304 Horum octo vel novem nomina extant, & quidem in confuſionem. Reliquorum, acſi non fuiſſent, in tenebris, & ſilentio ſunt ſepulta.
Ubi gloria Romanorum Imperatorum, quorum quinquaginta ſui, aut alieni ferri, aut veneni victimæ fuêre. Quot in exilium pulſi? in monaſteria detruſi? ad ſummas redacti miſerias?

Scribanius in prodigo adoleſcente.

Digitized by Google

SENTENTIÆ.

QUid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia ſicut umbra.

Quid prodeſt hodie auro & gemmis contegi, ſi cras contingat nudum & reum ad ſupplicia inferni pertrahi? Quid juvat, ſi quis hodie facit tremere terram ſub pedibus ſuis, ſi cras mendicus & pauper de hoc mundo compellatur exire? *S. Damianus lib. 7. ep. 15.*

Sic eſt vita noſtra quaſi homo in domo aliena, neſciens, quâ horâ vel die Dominus domus dicat, *vade foras, quia non eſt domus tua, in qua es.* O ſæculum vanum? quid tantum nobis promittis, dum decipis? *Author ſermonum ad fratres in Eremo.*

Dies mei ſicut fumus tranſierunt. Pſal. 121. unde *S. Chryſoſt. hom. 2. in Matth.* Nonne vides etiam corporis oculos, cùm in fumo remorantur, lacrymas ſemper profundere?

Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur *Job. 7.*

Cùm noſtri finis dies advenerit, ubi erit, quod modo cum tanta cura quæritur, & cum ſolicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur. Illa diligamus, quæ ſine fine habebimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur. *S. Gregorius.*

Carnalis gloria, dum nitet, cadit. *S. Greg. lib. 17. moral.*

Væ!

Væ! væ! vapor eſt ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quouſque tu tantæ gloriæ præfers fænum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur? *S. Bernardus Epiſt.* 103.

Si uſque in hodiernum diem ſemper in honoribus, & voluptatibus vixiſſes, quid totum tibi profuiſſet, ſi jam mori in inſtanti contingeret? Omnia ergò vanitas præter amare Deum, & illi ſoli ſervire. *Thom. de Kemp. lib.* 1. *c.* 24.

HISTORIÆ.

IN Patrum Dominicanorum Hiſtorijs legimus, (ait Hieronymus Platus lib. 3. de bono ſtatu Relig. cap. 38.) virum nobilem & glorioſum Rolandum nomine, cùm feſtum diem totum ſolennibus epulis, luſibus, ac reliquâ ejus generis vanitate conſumpſiſſet; ipſe inſuper novis veſtibus, ſplendidis, ac ſumptuoſis fuiſſet ornatus, tandem veſpere ad ſe reverſum hæc cogitaſſe: *Hem ubi nunc eſt feſtum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abijt?* perpendens igitur ſecum, ut dies illa tranſierat, ſic tranſituram vitam cum ſua felicitate morte acerbâ finiendam, nihilque permanſurum præter dolorem, & pœnitentiam amaram, poſtero die Religionem S. Dominici ingreſſus eſt, in qua dein multos annos ſanctitate clarus vixit.

S. Franciſcus Borgias cùm Iſabellæ Auguſtæ, dum viveret prodigium venuſtatis, nunc deformiſſi-

miſſimum cadaver, fuiſſet contemplatus, tacitus ſecum præſentia præteritis committens: *Hæccine*, inquiebat, *illa ſunt lumina, quæ omnium ad ſe oculos converterant? hæc venuſtas illa, quæ aliarum formas extinxerat? Túne Iſabella? Túne Auguſta? fallunt oculi, aberrat mens; ſed non fallunt, nimirum humanarum rerum hæc viciſſitudo eſt: I nunc, fragile illud formæ bonum admirare*. Sepultô ritè cadavere in cubiculum peſſulo januæ obducto ſe abdidit, humique proſtratus lacrymis gemitus miſcens in has ferè voces erupit. *O miſeram vitæ rationem! ô fallaces hominum ſpes! & inanes noſtras cogitationes! quouſque tandem diligimus vanitatem & quærimus mendacium? Regna, Imperia, Nobilitas, honores morte ſolvuntur; formæ dignitas morbo, & morte amittitur; omnia denique citò ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas recidunt. En illa Auguſtarum pulcherrima, ut in funere deformata jacet? Expergiſcere igitur anima mea; expergiſcere tandem è veterno; ſat Principi mortali datum, ſat datum Principi mortali: deinceps immortali ſerviendum, ſi ſapio. Transſcribam igitur reliquum vitæ tempus Regi cœleſti. Sachinus in vita* lib. 1. cap. 7.

Joannes Aragonum Rex moriturus exclamavit: *Quid mihi miſero regnum? quid honores? quid obſequia plurimorum profuerunt? O me miſerum, & infelicem! qui tam ſerò fallacem mundum agnoſco. Marianæus l.* 18. *rer. Hiſpan.*

Bartholomæus Buſtamantius è Soc. Jeſu vir religioſiſſimus, & S. Franciſco Borgiæ percharus

rus (quem ſuis precibus Beatus periculo vitæ eripuit.) cùm de vanitate rerum hujus mundi, brevitate & fallacia ſermo incideret, vehementi cum gemitu ſolebat erumpere. *Quid tot proceribus, tot principibus, quos ego novi, actum eſt? ubi ſunt? ego Carolum V. tanta cum majeſtate, ego hos illóſque Dynaſtas novi, quos videbatur, ne ipſa quidem mors audere propius adire; mortui ſunt. Ego tot Pontifices, Cardinales, Antiſtites, Doctores, Coocionatores celeberrimos, atque eminentiſſimos novi; & jam non ſunt: perijt memoria eorum cum ſonitu.* Hos inter ſermones incendebatur uſque eò, & commovebatur, ut ſingultiens, ac flens ubertim intercluſa voce eriperet ſe de medio, & fugâ in cubiculum abderet, acres ad ſæculi contemptum in omnium animis relinquens aculeos. *Hiſt. Soc. part.* 3. *lib.* 6. *num.* 138.

Domicella quædam vanitati & vitæ libertati dedita, cùm ex multis, quas confeſſarius injunxerat, pænitentijs nullam ſe implere poſſe diceret, hanc tandem admiſit, ut quoties manus lavaret, ſibi ipſi tacita diceret: *hæc caro vermium eſca erit.* Quam explens brevi in aliam mutata eſt, optimum omnibus poſtmodum exemplum. *Pædagogus Chriſtian. part.* 1. *lib.* 8. §. 6.

In illa ultima rerum linea quænam erunt cogitationes? Refert Cornelius à lapide in caput. 1. Thren. verſ. 19. *Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me.* fuiſſe in Belgio inſignem virum moribundum, qui imploravit opem uxoris, dicens:

cens: *Chariſſima conjux adjuva me in his anguſtijs*, cúmque illa flens diceret: *Et quî poſſum te juvare chariſſime Marite in morbo incurabili?* vocavit filium primogenitum, *Fili adjuva me, eripe me ex his anguſtijs, ego pro te die ac nocte laboravi, & vitam ſæpe periculo expoſui.* cúmque ille pariter gemens diceret: *Utinam mi Pater te morti eripere poſſem! ſed hoc vires meas excedit.* Vocavit ſecundum, dein tertium, ac cæteros ordine filios, & filias; deinde famulos, & ancillas, quemque ſingillatim compellans, ac opem implorans. Cúmque ſinguli dolentes reſponderent, exclamavit triſtis: *O vanas hominum curas! O quantum eſt in rebus inane! Ecce tibi ô uxor, vobis & filijs, & filiabus laboravi, ſudavi, vires, & vitam impendi, quin & animam fortè oppignoravi: & ecce hæc eſt merces mea, ut in hac hora ultima opem veſtram implorans non inveniam. O quàm ſatius fuiſſet, ſi Deo, ejusque Matri ſerviſſem! ſi amicos in cœlo paraſſem, qui in hoc articulo mihi adeſſent! ô ſi vivere liceret! quàm ſaperem?* Ita Cornelius.

Fructus Meditationis de morte ultima rerum linea.

PRimus ex S. Hieronymo Epiſt. 14. *Difficile eſt, imò impoſſibile, ut & præſentibus quis fruatur, & futuris bonis; ut hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delicijs tranſeat ad delicias; ut in utroque ſæculo primus ſit; ut in cœlo, & in terra appareat glorioſus. Quid ergò poſt mortem? infelix voluptas,*

voluptas, infelicior cupiditas, ac luxuria, quæ per tranſitoriam dulcedinem præparant ſempiternam amaritudinem. S. Auguſt. Serm. 55. de tempore. *Homines id, propter quod peccant, hic dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam, hîc dimittenda eſt; peccas propter mulierem, hîc dimittenda eſt. Conſidera igitur, quàm vile ſit, quod fine concluditur.* S. Gregorius. Et quidem tam infelici. Quare

Secundus fructus eſt *Contemptus mundi, & rerum terrenarum.* Jure exclamat S. Auguſtinus Serm. 31. ad fratres. *O munde proditor, cuncta bona promittis, ſed mala cuncta profers; promittis vitam, ſed donas mortem; promittis gaudium, ſed largiris mærorem, promittis quietem, ſed ecce turbatio; promittis florem, ſed citò vaneſcit; promittis ſtare, ſed citò recedis.* Ita Divus. Cùm autem receſſit, quid fit clientibus? conſideremus cum S. Proſpero Sentent. 388. *Reſpice teipſum, quia mortalis es, terra es, & in terram ibis; circumſpice eos, qui ante te ſimilibus fulsère ſplendoribus Ubi ſunt, quos ambiebat civium potentatus? Ubi ſunt tot inſuperabiles Imperatores? Ubi ſunt, qui conventus diſponebant, & feſta? Ubi equorum ſplendidi invectores? Ubi exercituum Duces? Ubi Satrapæ & Tyranni? Ubi tota familia? non omnia pulvis? non omnia favilla? non in paucis oſſibus eorum vita memoria eſt? Reſpice ſepulchra, & vide, quis ſervus, quis Dominus, quis dives, quis pauper: diſcerne ſi potes vinctum à Rege, â debili fortem, pulchrum à deformi.* Hæc Sanctus. Nempe mors ſceptra ligoni-

Digitized by Google

ligonibus æquat, & univerſa arguit vanitatis. Unde S. Chryſoſtomus homilia in Eutropium. *Omnia illa perierunt; procella vehemens folia dejecit. & arborem ſpoliatam reddidit. Omnia illa nihil niſi nocturnum ſomnium fuerunt appetente die evaneſcens. Flores fuernt verni, vere exacto emarcuerunt omnia. Umbra erant & prætereunt, fumus erant, & ſoluta ſunt, bullæ erant, & diſrupta ſunt, araneæ erant, & lacerata ſunt. Quapropter frequenter occinamus, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hæc Sanctus.

Tertius. *Mors ultima rerum linea cuſtos humilitatis. Uſque quo peccatores Domini gloriabuntur?* Pſal. 93. Vis ſcire quo uſque? quàm diu? donec fodiatur peccatori fovea, donec videat ſepulchrum. Optimè Sanctus Petrus Damianus opuſc. 15. cap. 22. *Superbiæ ſpiritus inflat, ſepulchrum ad mentem redeat. Neceſſariò illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio pulverémque penſamus: quid ergò ſuperbis terra & cinis? in hunc recidunt & deſinunt omnia.* Verè ſi ipſa oſſa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt, & dicere, *ô miſer quid ſuperbis? attende ad me, hoc quod tu es, ego fui, & quod ego ſum modò, tu eris.* S. Auguſtinus ad Frat. in Eremo ſerm. 66.

Quartus. Mors *Magiſtra in ultima rerum linea* Veritates docet veriſſimas, quæ ne tibi nimis ſeræ ſint, eas ſanus occupa, & quæ morientes docuêre, obſerva. Philippus Tertius Hiſpaniarum Rex ante obitum Crucifixi oſculatus pedes ad

eos

eos regna, vitam, & quicquid ſuâ benignitate DEUS largici dignatus fuit, lubens depoſuit, tum voluit, ut per concionatores ſubditi omnes intelligerent ſe ultimâ vitæ horâ ex vero agnoviſſe, palámque confeſſum eſſe, totum illud, quod mundus tanquam præcellens oſtentat, meram eſſe vanitatem. Atque ipſum regnum, quod dum viveret, ſuave eſſe videbatur, jam morienti eſſe amariſſimum. Dein vocatis filijs hæc documenta dedit. *Mementote filij mei vobis quoque aliquando moriendum eſſe, atque ita vitam inſtituite, ne vos olim pœniteat Reges fuiſſe, uti me nunc hâc vitæ horâ ultimâ pœnitet. Eſtote miſerorum patres, boni publici, ſed inprimis Divinæ gloriæ Zelatores: non illatam vobis injuriam credite, niſi quæ Deo illata ſit.* Ex relatione P. Hieronymi à Florentia, qui Regi morienti adſtitit. *Pædag. Chriſt. lib. 2. par. 1. c. 8. §. 1. num. 8.*

CONSIDERATIO XI.
DE JUDICIO PARTICULARI.

Redde rationem villicationis tuæ. *Luc. 16.*

Quid video?
Quàm triſte, & lugubre ſe pandit forum
Tribunalis ſupremi?

Quàm

Quàm terribilis apparatus, facies, horror?
Præſidet Judex
Terribilis apud Reges terræ, coram quo *Pſal.* 75.
Contremiſcunt columnæ cœli, & curvantur, *Job.* 26.
qui portant orbem. *Idem* 9.
Potentiſſimus,
Qui Leo de tribu Juda ad nullius pavebit occurſum, *Apoc.* 5.
Cui orbis univerſus eſt ut folium venti, *Prov.* 30.
quod vento rapitur. *Job.* 13.
Ejecit ſolo nutu tertiam partem ſtellarum, & draconem magnum cum Angelis ſuis. *Apoc.* 12.
Qui reputat ferrum quaſi paleam, & quaſi lignum putridum æs. *Job.* 41.
Et hic Judex homulum, & limum terræ timeat?
Sapientiſſimus,
Qui cordium arcana occultiſſima perſcrutatur.
Judicabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. 1. *Cor.* 4.
Falli non poteſt, nec circumveniri, latere nihil poteſt.
Æquiſſimus
Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. *Pſal.* 118.
Non corrumpitur muneribus, quia bonorum noſtrorum non eget. *Pſal.* 15.
Non flectetur precibus, lacrymis, quia dies ultionis eſt, ut ſumat vindictam de inimicis ſuis, *Jerem.* 46.

Dies

Digitized by Google

Dies ſalutis effluxerunt, fuit tempus accepta-
bile. *2. Cor. 6.*

Interceſſionibus locus non erit, cùm nullus
aderit Patronus;

Pugnabit orbis univerſus contra inſenſatum.
Sap. 5.

Qui gratiam nulli facit, nec dilectis ſponſis
ſuis, & ipſas juſtitias judicat. *Pſal. 74.*

Quis Reus?

Ah anima peccatrix!

Ob læſam ſummam Majeſtatem nocentiſſima, in
proximum, in ſe, in Deum ſuum impia.

Quis accuſator?

Dæmon,

Suaſor olim, & incitator ad ſcelera;

Nunc acerrimus, ferociſſimus, & truculentiſſi-
mus accuſator,

Qui nec minima ſilet peccata, imò ea pro rabie
ſua exaggerat, amplificat orator in animæ
exitium facundiſſimus.

Quàm eloquens erit in ſceleribus magnis?

Dein ipſe Angelus Cuſtos,

Olim defenſor, nunc miniſter ejus, qui facit An-
gelos ſuos flammam ignis. *ad Heb. 1.*

Ut accuſabit ob inobedientiam, nequitiam
clientem ſuum?

Referet beneficia, inſpirationes, admonitiones,
correctiones, ſtimulos, & his, ut re-
fractarius obſtiterit.

Clamabit, Curavimus Babylonem, & non eſt
ſanata, derelinquamus eam. *Jerem, 51.*

De quibus reddenda ratio?

De omnibus naturæ, fortunæ, gratiæ donis,
De uſu corporis, membrorum, ſenſuum omnium,
De facultatibus animæ, intellectu, voluntate, memoriâ, imaginatione, appetitu utroque.
De uſu Creaturarum, opum, temporis,
De inſpirationibus Divinis, moribus, conſolationibus, Sacramentis, Exemplis bonis, inſtructionibus, admonitionibus, regulis &c.
De peccatis proprijs cogitationum, verborum, operum.
De occultis etiam minimis, verbo otioſo &c.
De peccatis alienis, ſcandalis, negligentijs circa proximum, vel ſe commiſſis.
De ipſis bonis operibus, jejunijs, eleemoſynis, precibus, mortificationibus, intentionibus.

Eheu!

Quot, & quantarum rerum diſcutiendarum ſeges?
Ut trepidabit anima ſciens, quod velut aquam biberit iniquitatem! *Job. 95.*
Quòd ipſæ juſtitiæ ſint quaſi pannus menſtruatæ? *Iſaiæ 64.*
Quòd Deus non parcat delinquenti? *Job. 9.*

Novit infelix,

Quòd delicta, quæ commiſit, innumera ſint;
Supergrediantur capillos capitis. *Pſal. 30.*
Multiplicatæ ſint ſuper arenam maris. *Pſal. 138.*

Quòd

Quòd non poſſit ei reſpondere unum pro
mille. *Job.* 9.
Clamabit
Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum
Deus?
Et cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? *Job.* 31
Clamabit fruſtra
Domine non intres in judicium cum ſervo
tuo, quia non juſtificabitur in conſpe-
ctu tuo omnis vivens. *Pſal.* 74.
Sed non exaudiet Dominus. *Pſal.* 65.
Tempus miſerendi ejus elapſum eſt. *Pſal.* 101.
Tempus ultionis eſt à Domino, viciſſitudinem
ipſe retribuet ei. *Jerem.* 51.
Sæpè tempore ſalutis vocavit animam Deus ad
pœnitentiam, illa verò odit diſciplinam, & pro-
jecit ſermones Dei monentis retrorſum:
os ejus abundavit malitiâ, & lingua
concinnabat dolos. *Pſal.* 49.
Hæc fecit peccator; & tacuit Deus.
Nunc arguet, & ſtatuet contra faciem ejus. *Ibid.*
Rapiet, & nemo eripiet. *Ibid.*
Quanta ergò erit infeliciſſimæ animæ tre-
pidatio?
Angelus recedet, infernus dilatabit animam
ſuam. *Iſa.* 5.
Dæmones inſultabunt, prement, urgebunt.
Et tandem
Fulmen horribile, funeſtum, exitiale
vibrabit juſtus judex.
Diſcede à me maledicte in ignem æternum,

qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.

Et

In puncto ad inferna deſcendet. *Job.* 21.

Ter infelicisſima

Æternùm,

Confige ô Jeſu miſericordisſime timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. *Pſal.* 118.

SENTENTIÆ.

STatutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc Judicium. *Ad Heb.* 9.

Cuncta, quæ fiunt, deducet Deus in Judicium pro omni erato, ſive bonum ſive malum illud ſit. *Eccl.* 12.

Dico vobis, quod omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die Judicij. *Matth.* 12.

Non ſubtrahet perſonam cuiuſque Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit. *Sap.* 6.

Unde S. Job. Etſi vir ſimplex, rectus, ac timens Deum verebar, ait, omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti. *Job.* 9.

Hinc rogat David *Pſal.* 142. Non intres in Judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Tres timeo res, ait B. Elias Abbas, *unam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore ſuo, alteram, quando occurſurus ſum Deo Judici, tertiam, quando contra me ab illo ferenda eſt ſententia.* Bibliotheca P.P. tomo. 8. lib. 3. de compunct. num. 4.

Pru-

Prudenter primam ponit B. Abbas egreſſum animæ è corpore: quàm is ſit futurus horrificus exponit Speculum peccatorum cap. 7. in tomo 9. operum S. Auguſtini. Ubi hæc habet. Attende in illa terribili hora miſera peccatoris anima, quando de mundo exitura es; aderunt mox Miniſtri maligni ſcilicet illi diaboli, illa verè tartarea monſtra velut leones rugientes, ut rapiant prædam. Tunc horribilia patebunt loca pænarum, chaos & caligo tenebrarum, horrorum, miſeriæ, & tribulationis, tremor, timor, anguſtiæ, & confuſiones; dolor horrendæ viſionis, tremor tremendæ manſionis; locus flentium, ubi ſtridor dentium, ubi luctus gementium, ubi eſt vox clamantium peccatorum *væ væ nobis filiis Evæ! quid nunc proderit ſcientia? jactantia? ſæculi pompa? mundi vanitas? terrenæ dignitatis cupiditas?* &c.

O anguſtia! hinc erunt accuſantia peccata inde terrens Juſtitia; ſubtus patens horridum chaos inferni, deſuper iratus Judex; intus urens conſcientia. Et ſi juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic depreſſus in quam partem ſe premet conſtrictus? ubi latebo? ubi apparebo? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. quid dormitas anima tepida & digna evomi? qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, ſed mortuus eſt. *S. Anſelmus apud S. Bonaventuram in Pharetra lib. 3. cap. 49.*

Væ mihi miſero cùm venerit dies Judicij,

 &

& aperti fuerint libri conſcientiarum; dum dicetur de me *ecce homo, & opera eius*, quid faciam tunc Domine Deus meus, cùm cæli revelabunt iniquitatem meam, & adverſum me terra conſurget? Ecce nihil reſpondere potero, ſed demiſſo capite præ confuſione ſtabo coram te trepidus, & confuſus. Heu me miſerum! quid dicam? clamabo ad te Deus meus. *S. Auguſt. medit. cap. 39.*

Tunc ſtabit diabolus gladium acuens, & dicens in hæc verba. Omnem juventutem tuam contudiſti, omnem vitam tuam perdidiſti, antea eras in theatro cum amicis, in circo cum ſodalibus, in lupanari cum meretricibus, deinde rapuiſti, avaritiæ ſtuduiſti, perjuraſti, blaſphemaſti; quæ jam tibi ſalutis ſpes eſt? perijſti, perijſti. *S. Chryſoſt. in Pſal. 55.* Ego (addit accuſator.) pro iſto nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi; nec illum pretio redemptionis redemi; ſed nec regnum illi cæleſte promiſi, & tamen mihi adhæſit. *S. Cyprianus de opere & eleemoſ.*

Tunc verè cognoſcent omnia ſibi, quæ ſunt in vita ad nihilum redacta eſſe; & quæ hic bona eſſe, gaudiiſque plena videbantur, ea felle, amaróque veneno amaroſa experientur. *S. Cyrillus apud Raderum part. 1.*

Tunc quàm pavebunt infelices? quid tam plenum anxietatibus, & vehementiſſima ſolicitudine excogitari poteſt: quàm judicandum adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc

huc expectare ſub tam diſtricto judice ſententiam? *S. Bernard. in Pſal. Beati qui habitant ſer. 8.* Hic verò terror judicij vitari non niſi ante judicium poteſt. Modò non cernitur Judex, ſed precibus placatur; cùm verò in illo Judicio tremendo ſederit, & videri poteſt, & tunc placari non poteſt: quia facta pravorum, quæ diu ſuſtinuit tacitus, ſimul omnia reddet iratus. Vnde neceſſe eſt nunc timere Judicem, ne cùm ſemel retributione manum ultionis excuſſerit, tantò in Judicio diſtrictius feriat, quantò ante Judicium diutius exſpectat. *S. Greg. lib. 14. moral. cap. ultimo.*

HISTORIÆ.

Referam primò eas, quæ pios & juſtos concernunt. *Scrutabor in tempore illo Jeruſalem in lucernis.* Sophon. 1. *Cùm accepero tempus, juſtitias judicabo.* Pſal. 74.

Abbas Agathon moriturus tres dies manſit immobilis, oculos apertos tenens: pulſaverant eum fratres dicentes *Abba ubi es?* & ille reſpondit, *in conſpectu Divini Iudicij aſſiſto.* Dicunt ei, *& tu times?* & ille, *interim laboravi virtute quâ potui in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed homo ſum, & neſcio utrum placuerint opera mea coram Deo.* Dicunt ei fratres, *& non confidis de operibus tuis, quin ſecundum Deum ſint?* Repoſuit ſenex, *non præſumo, niſi venero ante Deum, aliter enim ſunt Iudicia Dei, aliter hominum.* Ita ad verbum ex vitis SS. Patrum part. 2. §. 151. Qui-

Quidam Stephanus nomine, ſolitudinis amans complures annos in cœnobio egit; ubi jejunijs & lacrymis, ſed & cæteris virtutibus omnibus eminuit. Ergo profectu ardens inſignioré ad arctius, & ſeverius vivendi genus ſeipſum damnans Anachoretarum locum, cui Fides nomen, petijt. Hic annos aliquot arctiſſimo vitæ inſtituto procul omnibus humanis ſolatijs egit, Deo ſolùm & ſibi vacans. Denique ſub extremum vitæ tempus ad priorem cellulam reverſus non diu illic fuit, & morbo tentari cæpit. Uno ante obitum die repente obſtupeſcere, dextera lævâque circumſpicere, & velut rationem exigentibus reſpondere, cunctiſque, qui adſtabant, audientibus dicere. *Sic revera eſt, ſed propter hoc tot annis jejunavi.* Subinde ajebat, *non certè ſed mentimini, hoc non feci.* deinde rurſum *ita verè eſt, negare non poſſum, ſed ingemui, ſed flevi, ſed pænitentiam egi, & pænas ſubij.* Et rurſum clamabat, *verè me accuſatis*; ad quædam ſic reſpondebat, *& quidem ad hæc, quæ dicam, non habeo, eſt, ut dicitis, ſed ſpero miſericordiam.* Erat profectò, ut ait Climacus *in ſcala paradiſi gradu.* 7. ſpectaculum horrendum, ac terribile; inviſibile illud ac rigidum Judicium tanti viri, qui annis propè quadraginta Religioſam diſciplinam non ſine lacrymis obſervavit. Fuit, qui de hoc viro graviter affirmabat, viſum eum à ſe, cùm in eremo leopardum è ſua manu paſceret. Jure optimo exclamat S. Gregorius 24. Moral. cap.

cap. 18. *Quid facient tabulæ, ſi tremunt columnæ, aut quomodo ſtabunt virgulta immobilia, ſi hujus pavoris fulmine etiam cedri quatiuntur?*

Quantum ſibi timuerit S. Bernardus indicat homilia eius 56. in Cant. Quantum Gregorius Nazianzenus docent eius orationes 10. & 15. Quantum S. Hieronymus, deſcribit epiſtola ad Florentium data his verbis. *Ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere noviſſimum quadrantem.* Quantum denique Siſoius Abbas vir ſanctiſſimus, referunt vitæ SS. Patrum parte 2. §. 153.

Pariſiis in cænobio S. Franciſci Religioſus tyro lethali morbo ad extrema deductus eſt, cúmque jam lucta mortis inſtaret, æger horrendùm exclamans, *me miſerum*, inquit, *quantum ſatius fuiſſet nunquam naſci; quàm ita mori?* Paulò pòſt *libram obſecro fideliter tractate*, mox & illud adjunxit, *appone aliquid de D. Ieſu tormentis & doloribus.* Non multò poſt vociferatus eſt, *nunc benè habet.* Mirabantur, qui aderant, innocentis juvenis tantam in morte trepidationem; atque ubi ad ſe nonnihil rediit, quærebant, quid ſibi hæ voces vellent? quibus ille *vidi*, ait, *quàm exactas Deus rationes poſceret, de occultis etiam cogitationibus, de otioſis etiam verbis, déque minutiſſimis etiam noxis ad libellam omnia examinantur accuratiſſimè. Ideò me infelicem ac miſerum inclamavi, & libripendis fidem appellavi. Cùmque cernerem promerita*

mea peccatis longè pauciora, & libram mihi minimè favere, inſtiti rogare, ut de Chriſti patientis meritis aliquid apponerent, quo pondus in cauſam meam vergeret. Hoc impetrato animum reſumpſi, & bono loco rem meam eſſe pronuntiavi. His dictis obijt. *Chronicon S. Franciſci part. 3. lib. 4. cap. 35.*

F. Otto à S. Germano Capuccinus poſt mortem apparens ſe quidem ſalvatum, at rationem fuiſſe diſtrictiſſimam, maximè eorum, quæ ad paupertatem ſpectant. Ita ut etiam candelulæ, quæ apud loca communia fruſtra interdum conſumitur, in Dei Judicio ratio ſeverá exigatur. *Annales Capucc. anno Chriſti* 1571. *num.* 12.

Duo amicitiæ amoríſque ſinceritate conjunctiſſimi erant, ambo vitæ probatiſſimæ, utrumque amor, & neſcio, quod ſingulare pactum ſic colligaverat, ut nihil magis vellent, quàm unà mori: ſed mors illa omnium fæderum turbatrix candidiſſimam hanc amicitiam diſſolvit, & alterum ab altero ex hoc in alium orbem tranſtulit. Neque tamen omnis à morte amicitia diſſolvi potuit; ſiquidem non multum temporis abijt, cùm defunctus ſe vivo ſtitit aſpectabilem, ſed habitu vultúque mæſtiſſimo, tanquam ſi amico faceret copiam interrogandi. Exhorruit vivus ad tam inexſpectatam amici præſentiam, & ſpectaculo tam lugubri perterrefactus ſtetit: ubi animum reſumpſit, interrogare inſtitit, num inter beatos ageret? aut

aut quo loco res ejus eſſet? Ad quæ defunctus altum ingemiſcens flebiles has voces ter ingeminavit, *nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Alter iterum quamvis ore trepido quæſivit, quidnam illud eſſet, quod nemo crederet? cui defunctus denuo *nemo credit, quàm Deus exactè rationes poſcat, ſtrictè judicet, ſeverè puniat.* Sub hæc verba diſparuit. Alter verò novo pavore attonitus hæc cum ſilentio expendit. *Ludovicus Granata Dom. 2. Adventûs.*

Pictor quidam non imperitæ manus in quodam PP. Carmelitarum cænobio plurium cœlitum imagines pinxerat eâ animi pij affectione, ut omnem pecuniam ſuô labore comparatam religioſis in ſuis ultimis tabulis aſſignaret: ſimul atque ab ijsdem pro ſe mortuo preces, & ſepulturam exigeret. Eo paulò poſt defuncto cùm quidam è monaſterio noctu in templo oraret; anima pictoris flammis cincta apparuit, & harum acerbitatem magno ejulatu, & fletu declaravit. Rogata tanti incendij cauſam *Corpore,* inquit, *egreſſa ad Divinum tribunal fui ducta, ubi me plures animæ exſpectabant accuſaturæ turpis cujusdam à me juvene pictæ imaginis, ob cujus aſpectum libidinoſum nunc æternum in inferno luerent. Cohorrui, & ob imminens perenne ſupplicium vehementiſſimè perterrita circumſpexi triſtis & anxia, num aliquem Patronum cauſæ tam afflictæ nanciſcerer. Derepentè adfuère plures Sancti, quorum icones, dum vixeram, pinxi, ſéque meis opponentes accuſatoribus ajebant, illam imaginem à me juniore fuiſſe pictam; dein pœ-*

nitentem

nitentem facti ut ſcandalum datum ac damnum ocu- lis aſpicientibus illatum reſarcirem, operam omnem ac artem in Sanctorum vultus peritè efformandos im- pendiſſe, ſicque cultum Divinum ac pietatem pluri- mùm promoviſſe: inſuper omnem pecuniam viris re- ligioſis donâſſe, ut hi benefactoris ſui non immemores Divinæ miſericordiæ pro defuncto ſupplicarent, atque horum preces ac ſacrificia pro eo oblata ſe æquiſſimo, ac clementiſſimo Judici offerre. His quidem placatus Judex fuit, imperavit tamen flammis purgantibus tam diu me torqueri, quàm diu illa imago tot animarum pernities proſtaret: atque hæc eſt cauſa, cur te conve- nerim, nimirum ut te precibus, quibus poſſim, rogem, mei miſertus protinus eum accedas, à quo imago illa maledicta aſſervatur, jubeáſque illam quamprimùm flammis dari. Vt verò is tuis verbis fidem habeat, nuncia duos ejus filios intra menſem morituros; quod ſi renuat Divino obedire mandato, eum filijs mox ſucceſſurum morte repentinâ tollendum. Imaginis illius Dominus ut hæc audivit, perterritus ma- num vindicem experiri noluit; quare illam ſta- tim flammis injecit, ne ipſe arderet. Defuncti ſunt paulò poſt duo filij, pater verò ſibi placatu- rus Judicem vivorum, & mortuorum de ſuis ſce- leribus, dum vixit, pœnitens doluit, atque ut plurimos poſt mortem poſſet habere patronos, plurimorum Sanctorum imagines ſuo ære pin- gi curavit. *F. Joſephus Carmelit. Tom. 1. lib. 4. cap. 25.*

Venio ad judicium impiorum ſpectandum. Quàm verè S. Bernardus ſerm 35. *Quid in Ba-*

bylone

Digitized by Google

bylone tutum erit, ſi Jeruſalem manet ſcrutinium? Quid fiet ligno arido, ſi viride tanta patitur?

Juvenis quidam è Principum ſanguine, ſed moribus degener in Epiſcopum cujusdam Eccleſiæ electus luxuriæ, & rapinis ſe dedit; ob quas à Deo multiplici flagello caſtigatus, cùm non reſipiſceret, in eum Divina Juſtitia graviter animadvertit. Teſtis eſt Conradus magnæ virtutis Epiſcopus Hildeſienſis, qui poſt matutinas nocte intempeſta dictas horas ſe paraturus ad concionem poſtridiè habendam viſus eſt ſibi in ſpiritu videre, quendam Præſulem velatâ facie ad Tribunal Judicis rapi. Mox adfuerunt truci vultu ſatellires, atque multorum criminum reum egerunt. Imperavit Judex aſſeſſoribus, nocenti objecta diſcuterent diligenter, & æquam ferrent ſententiam. Tulerunt hi, atque æternis ignibus addixerunt; quibus protinus Judex annuit, & fulmen mortis æternæ in miſerum vibravit. Acceſsêre miniſtri fuligine quâvis nigriores, & ablatâ è capite mitra, de manibus annulo pedóque, dalmatica, & reliquis ſacris veſtimentis detractis, & ad pedes Judicis abiectis nudum, ejulantémque in tartara præcipitarunt. Mox aſſeſſores judicis ſurrexerunt cantantes, *Dum tempus habemus, bonum ad omnes operemur.* Ad hæc viſa attonitus Conradus dum ſecum cogitat, quisnam ille infelix ſit reus; quidam cum lacrymis advolat, refértque talem Epiſcopum veſpere in proximam villam veniſſe, & ſub eadem noctis hora repentina morte extinctum.

Quo

Quô auditô S. Antiſtes ingemuit, & licèt infructuosè quoad ſubventionem, pro pietate tamen lacrymas amariſſimas fudit. *Cantipr. lib. 2. c. 3. Apum.*

Fructus meditationis de Judicio particulari.

PRimus. *Timor hujus judicij. Confige timore tuo carnes meas* Pſal. 118. *Intonas ſuper me judicia tua Domine, & timore ac tremore concutis oſſa mea, & expaveſcit anima mea valde. Sto attonitus, & conſidero, quia cœli non ſunt mundi in conſpectu: ſi in Angelis reperiſti pravitatem, quid fiet de me? ceciderunt ſtellæ de cœlo, & ego pulvis quid præſumo?* Thomas de Kempis lib. 3. cap. 14. S. Hubertus Epiſcopus Leodienſis ſæpè ſuis dicebat, ſe vehementiſsimè commoveri, cùm meminiſſet, quanta in die judicij reddenda eſſet vitæ actæ ratio. *Surius 3. Novembr. cap.* 12. Horum & aliorum Sanctorum timorem, contemplatus S. Bernardus ſerm. 28. admiratus dicens: *Unde nobis iſta diſſimulatio Fratres mei? unde hæc tam pernicioſa tepiditas? unde hæc maledicta ſecuritas? quid ſeducimus miſeri nosmetipſos? Ingrediatur itaque putredo in oſſibus meis, & ſuper me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis. Timè ergò ô homo, quod in terribili judicio ei es præſentandus, in cujus manus horrendum eſt incidere, & eo examinante, quem nihil latet. Si inventa fuerit in te iniquitas, alie-*

nandus

nandus es ab Univerſitate quietis, & gloria, & ſegregandus à numero beatorum. Idem ſerm de Noviſsim.

Secundus fructus eſt. *Quod timor hic excitat alterum timorem, quo quisque vereatur opera ſua, & Judicem futurum ſibi præſentem ſiſtat, & nunc ſingula arbitrantem, quæ dein ſit judicaturus. Poſuiſti in nervo pedes meos, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum dinumeraſti*: Job. 13. In quæ verba S. Gregorius 11. Moral. cap. 25. *In nervo Deus pedem poſuit hominis, quia pravitatem illius forti ſuæ diſtrictionis ſententiæ ligavit; omnes ſemitas obſervat, quia ſubtiliter ſingula ejus quæque dijudicat; & quia in ſingulis quibúsque actionibus etiam cogitationes penſat; veſtigia pedum noſtrorum conſiderat, quia intentiones noſtrorum operum quàm rectè ponantur, examinat.* Hinc *juſtorum mens ſemper ſollicita venturo examini intendit, omne enim, quod agunt, metuunt; dum cautè conſiderant, ante quantum Judicem ſtabunt. Scriptum eſt, quia aſtra non ſunt munda in conſpectu ejus; quia apud eum diſtrictè judicati, ipſi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam ſanctitatis lucent.* Idem lib. 8. Moral. cap. 9.

Tertius fructus ex ſecunda naſcitur *Fuga Peccati.* Refert S. Clemens Romanus B. Petrum Apoſtolum dictitâſſe, *quis peccare poterit, qui ſemper ante oculos ſuos Dei judicium ponit?* In Summa ô *homo futurum ſcito, ut judiceris; & minus peccabis. S. Gregorius Nazianzenus Epiſtol. 74. ad Eleuſium Judicem.*

Quartus

Quartus. *De bonis operibus non præſumendum.* Alia enim ſunt judicia hominum, alia Dei. Optimè S. Iſidorus *de ſummo Bono lib. 2. cap. 27.* *Sæpè, quæ apud hominum judicium bona parent, apud examen diligentiſſimi, & acutiſſimi Judicis reproba deteguntur; ideóque omnis Sanctus veretur, ne fortè bonum, quod agit, pro aliqua animi intentione in oculis Dei reprobum ſit.*

Quintus. *Iter ad Divinum tribunal à nemine ſuſcipiendum ſine digna pænitentia.* Ita S. Auguſtinus teſte Poſſidio, quod & ipſe Sanctus exemplo ſuo docuit. Nam ſeptem pænitentiæ Pſalmos grandiori charactere ſcriptos, & proximo parieti fixos aſsiduè legit non ſine jugi lacrymarum fluxu. Decem diebus ante obitum præcepit, ne quis ad ſe ingrederetur, niſi Medicus, aut is, qui cibum ferret. Sic tempus omne precibus & lacrymis dedit.

Sextus. *Dum vivis, Sanctos invoca, & venerare, ut in illo judicio tibi aſſiſtant & patrocinentur.* Vir Romæ fuit primarius deliciarum & auri dives, minus virtutum. Vitam enim egit ſolutiorem; nec tamen cœli omninò immemor S. Cæſario Martyri devotiſsimus extitit: cujus & templum acceſſu crebro, & donis frequentavit. Amicum ſibi velignarus conciliavit. Moritur, nec tamen ſine omni pænitentis ſigno. Dum funus in fereтro expectat, & ſolitis excubijs circa ipſum vigilatur. Repente ſe erigit redivivus, & cunctis trepidantibus ipſe ex alto ſuſpirans, *jam inter ſupplicia æſtuarem, niſi S. Cæſarius mihi Patronus extitiſſet.*

titiſſet. Ejectus è corpore ad terribile, ac nimis pavendum Chriſti tribunal rapiebar, Iudicem multa millia Angelorum ſtipabant; ego conſcientiæ vulneribus deformis reus nec liberiorem quidem oculum audebam tollere, & Supremam Judicis ſententiam auditurus inexplicabili pavore quatiebar. Adſtabant Judicis miniſtri dæmones prædæ inbiantes ad omnem nutum attentiſſimi. Mihi credite non dici, non ſcribi, ſed nec cogitari ſatis poteſt illius horulæ pavor, calamitas, horror, angor, & diſcutiens trepidatio. Non centum linguis Divini Tribunalis æquitatem exactiſſimam deſcripſero. Dum igitur paueo, & decretum ultimum exſpecto; Cæſarius Martyr Matre Iudicis, & Apoſtolorum Collegio favente ante Chriſtum Dominum procumbens, ſuorumque vulnerum illuſtria ſtigmata commonſtrans Judex clementiſſimè, ajebat, hæc ego vulnera pro tui nominis honore excepi, hos oculos ego, has manus, hoc pectus, hoc omne corpus pro te impendi, tormentis plura objecturus membra, ſi plura mihi fuiſſent corpora. Nunc veniam precor huic reo, & ſupplici, qui meis patrociniis ſe totum commiſit: Quod Cæſarius Martyr, hoc & Mater DEI, cæterique cælites rogarunt. Annuit Benignus Judex deprecatoribus tam copioſis, & ſententia in aliud tempus dilata me veniæ, & vitæ ſecurum ad corpus redire juſſit. *In vita S. Annonis Archiep. Colon. lib. 1. cap. 35. apud Surium 4. Decemb.* Faciamus ergò nobis Amicos & obſequiis Patronos conciliemus.

Septimus. *Tuus ſis Judex, dum vivis*, & contra

Digitized by Google

te feras ſententiam, ne cogaris Judicis illius ſententiam audire, quæ terribiliſſima, & ultima eſt, atque omnium noviſſimum decretum. Decretum eheu irrevocabile, immutabile, æternum! Nulla eſt ab hoc ad alium judicem appellatio, aut provocatio; nulla, quæ apud Juriſconſultos legitur, replica, aut triplica; Reviſio nulla; nullæ Comperendinationos, aut Induciæ. Quod ſemel hujus Judicis ore pronuntiatum eſt, revocari non poteſt in omnes æternitates. Filij regni ſemel hac ferali ſententia *ejecti in tenebras exteriores Matth.* 7. non revocabuntur unquam; ſolem non videbunt unquam, in hæreditatem paternam non admittentur unquam. *O Domine ne in furore tuo arguas me. Pſal.* 6. Concede clementiſſime, ut meipſum in vita dijudicem, ne poſt mortem judicer, & puniar ſententia horribili & immutabili.

CONSIDERATIO XII.
DE PURGATORIO.

Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos Amici mei. Job. 19.

Unde hæc vox lamentabilis?
De Profundis clamat ad te *Pſal.* 129.

Non

Non de ventre ceti, ſed altitudine ventris
inferi. *Jonæ. 2.*
Ex Carcere *Eccle. 51.*
Profundiſſimo, cælo remotiſſimo, igneo,
Carcere tenebrarum, *Sap. 18.*
Infixa eſt anima in limo profundi, venit in
altitudinem maris, & tempeſtas de-
merſit Eam. *Pſal. 78.*

Quæ illa?

Omnes fluctus induxit ſuper eam,
qui *Pſal. 87.*
Juſtus eſt in omnibus, & ſcrutatur Jeruſalem
in lucernis. *Eſdræ. 2. Spoh. 1.*
Qui diligit Juſtitiam, & in Jeruſalem civitate
Sancta odit maculam; hic miſit in
carcerem.

Quas illas?

Sunt Regis Regum filiæ, etiam nominatæ im-
perij cæleſtis conſortes. Animæ Divino fu-
ſo ſanguine redemptæ: pretio
tanto!
Filiæ æterni Patris,
Sorores JESU Chriſti,
Sponſæ Spiritus Sancti,
Eæ ſunt, quas Verbum Patris ita appretiatus eſt,
ut homo factus ſanguini non pepercerit.
S. Chryſoſt.
Eæ ſunt, ad quarum pretium totus mundus æſti-
mari non poteſt. non enim DEUS pro toto
mundo animam dare voluit, quam dedit
pro anima humana; cujus adeò ſub-

Digitized by Google

lime pretium eſt ut non niſi ſanguine
redimi potuerit. *S. Bern.*

Hæ igitur Creaturæ nobiliſſimæ, genus
Electum, Regium, atque (ut ita dicam.) *1. Pet. 2.*
Divinum miſſæ ſunt in carcerem horridum.

At ob quam cauſam?

Magna ſit neceſſe eſt, cùm tanta tanti Principis
proles, pretium, & deliciæ ſint captivæ.

Falleris.

Etiam ſtipula, etiam fænum in judicium,
& pænam veniunt. *2. Cor. 3.*

De verbo otioſo non ſufficiens fuit reddita ratio
in die judicij. *Matth. 12.*

Minutiſſima cogitatio Divinis oculis diſcuſſa
non placuit. *S. Greg. 21. hom.*

Hæ ergò nobiliſſimæ ob maculam leviſſimam
in carcere horridiſſimo detinentur,
& clamant

Miſeremini mei, miſeremini ſaltem vos amici
mei. *Iob. 19.*

Et his negabimus aurem?

Forſan inter has ſunt parentes, fratres, ſorores,
cognati, benefactores, mecænates, amici,
liberi.

Et his ſaxo duriores negabimus aurem?

Súntne hæ pænis
alijs præter carcerem obnoxiæ?

Eheu! graviſſimis, diriſſimis.

Joſeph innocens ſolùm in lacum miſſus eſt.
At hæ *Gen. 41.*

Nocentes animulæ patiuntur atrociſſimas

Digitized by Google

Pœnas damni & ſenſuum.
Privantur viſione divina.
O dolor dolorum maximus!
Privantur re deſideratiſſima, exoptatiſſima,
Fine ſuo ultimo.
Decies millia quis proponat gehennarum, nihil
tale eſt, quàm Divino vultu arceri. *S. Chryſoſt.*
Ut clamant querulæ?
Quia lumen cœli non video. *Tob. 5.*
Nec lucernam ejus, quæ eſt Agnus Dei. *Apoc. 21.*
Sponſam Regis amantiſſimi rejici à ſponſo
amabiliſſimo,
Abſolonem non admitti in conſpectum Patris,
2. *Reg.* 14.
Et tanti! legitimum regni (& tanti!) hæ-
redem differri, exulare.
Quanta lacrymarum ſeges?
Quod ſi inſuper detur tortoribus cruciandus,
uſque dum ſolvat quadrantem noviſſimum?
Matth. 5.

Sed quibus tortoribus?

Sæviſſimis, immitiſſimis, crudeliſſimis,
quorum vel ſolus aſpectus ſit maximum
tormentum.

Quæ ergò ſunt tormenta?

Minimum in purgatorio excedit omnem pænam,
quam quis paſſus eſt in hac vita, li[illegible] Mar-
tyres terribilia ſint paſſi. *S. Aug.*
Ignis durior eſt, quàm quidquam in hoc ſæ-
culo pœnarum videri, excogitari, aut
ſentiri poteſt. *Idem ſer. 42. de SS.*

Ipſius Chriſti cruciatibus acerbiora ſunt:

S. Thomas & alij.

Et non audiamus

In tantis pœnis animas pias clamantes?

Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei.

O pectus inhumanum, quod non movetur!

Sed quàm diu torquentur?

O animarum amator!

Sufficeret ad commiſerationem movendam, & ferendam opem unicus in tantis tormentis quadrans.

At proh dolor!

Multis centum anni, multis plures decreti ſunt;

Imò exſpectandus dies orbis ultimus.

Quæ rupes ad hanc miſeriam non emolliatur? vel unico quadrante eſſe in igne, nec exuri poſſe quantum eſt tormentum?

Quid tot annis? quid in igne purgante, qui idem cum gehennali putatur, ardere?

Quare non ſuccurris, cùm potes?

Quâ menſura menſus fueris, remetietur Tibi. *Matth.* 7. *Marci* 4.

SENTENTIÆ.

SAncta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. 2. *Mach.* 12.

Si cujus opus manſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. *Cor.* 3. In quæ verba S. Au-

S. Auguſtinus in Pſal. 37. Quia dicitur, *ſalvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamvis ſalvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo pati in hac vita poteſt. Qui amplius in alio ſermone aſſerit, duriorem nempe illum eſſe ignem, quàm quicquid in hoc orbe, & ſæculo ſentire, aut videre, aut cogitare quis poſſit.

Idem cenſent, & docent S. Greg. *in 3. Pſal. pœnit.* Ven. Beda *in eundem Pſal.* S. Anſelmus *in 1. Cor. 3.* S. Bernardus *de obitu Humberti.* S. Cæſarius *Hom. 7.*

S. Thomas 3. *parte q. 46. art 6. ad 3.* aſſerit pœnas Martyrum omnium, imò ipſius Chriſti Servatoris cruciatibus eſſe acerbiores.

Idem *in 4. lib. ſentent. diſt 30. q. 1. art. 2.* ait minimam pœnam purgatorij graviorem eſſe quacunque acerbiſſima pœna hujus mundi.

Ah! ſic in hac vita Domine me purga, & talem me reddas, ut jam emendatorio igne non ſit opus. *S. Aug. in Pſal 37.*

Quia illum tranſitorium ignem cum tribulatione præſenti æſtimo intolerabiliorem, non ſolùm in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo purgationis purgari. *S. Greg. Pſal. 3. pœnit.*

O Fratres mei, qui modò modicam febrem, vel modicum quemcunque dolorem non poteſtis pati, quantum dolebitis? quantum plorabitis illo incendio inflammati, & totaliter à pœnis abſorpti? *S. Bonavent. ſerm. 1. de S. Laurentio.*

Digitized by Google

Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogentur, non eſt dubium mortuos adjuvari. *S. Aug. ſer. 32. de verb. Apoſt. cap. 2.*

Juvetur mortuus non lacrymis, ſed prece, ſupplicationibus, eleemoſynis, oblationibus. Non eſt temerè hoc excogitatum, nec fruſtra memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, aut accedimus; pro iſtis agnum illum jacentem, & peccata mundi tollentem, deprecantes, ſed ut his conſolatio aliqua fiat. *S. Chryſoſt. hom. 41. in 1. ad Cor.*

Modicà paucorum dierum tribulatio patienter tolerata ſæpè eſt tanti apud Deum, quanti perpeſſio purgatorij ignis multorum annorum. *Leſſius de ſummo Bono cap. 7.* Hoc eſt, quod inſinuat Ezechiel *cap.* 4. Diem pro anno dedi tibi.

Infirmitas carnis, ſi patienter ſuſtineatur, erit quaſi purgatorius ignis. *Beda de gravitate pœnæ damni.* Hæc ſcribunt SS. Patres &c.

S. Bernardus *ep. 5. ad Theod. & Hom. inſ. act. Epiph.* vel momento ſolo differri, & non audire illud *Exod. 33. Oſtendam omne bonum tibi*, cruciatus eſt omnium graviſſimus: tam enim dulcis eſt Dominus JEſus guſtantibus eum, tam ſuavis ad amplectendum, ut brevis ejus abſentia materia doloris ſit maxima.

S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 1.* ait eſſe pænam omnium quam maximam: nam quantò magis aliquis quid deſiderat, tantò ejus abſentia eſt moleſtior; & quia affectus quo de-

ſide-

ſideratur ſummum bonum, poſt hanc vitam in animabus ſanctis eſt intenſiſſimus, quia non retardatur morte corporis, & etiam quia tempus fruendi ſummo bono jam advenit, niſi aliquid impediret, ideò de retardatione maximè dolent.

S. Chryſoſtimus aiebat ſe paratum eſſe ad omnia tormenta etiam infernalia toleranda, modo dein concederetur per unicum ſolum momentum Deum intueri.

Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum videre digni eſſemus in gloria venientem, & ſanctorum ejus numero ſociari; nónne erat dignum pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur. *Ven. Beda ſerm.* 18. *de om. SS.*

HISTORIÆ.

MOnachus quidam ab Eveſham in Anglia raptus in Extaſi in purgatorium, & ſibi dein reſtituus hæc effatus eſt. *Infiniti erant, quas vidi ſpecies pœnarum; hi ad ignem torrebantur, hi in ſartagine frigebantur, hos ungues ignei ad oſſa uſque, & compagum diſſolutionem radendo ſulcabant; hos balnea pice, ac ſulphure cum fœtore horrifico, & ligaminibus, æris ac plumbi atque aliis, metallorum generibus torquebant. Iſtos monſtroſi vermes venenoſis rodebant dentibus; iſtos denſo ordine ſubſtrati ſudes flammatis aculeis recipiebant; tortores unguibus diſtrahebant, flagellis horribilibus cædebant, diroque*

cru-

cruciatu laniabant. Dein ad alterum pervenimus tormentorum locum. Mons enim nubibus ipſis celſitudine ſua penè contiguus erat, ſub quo vallis profundiſſima, & tenebroſa rupium jugis eminentiſſimis cincta teterrimo latice nebulam intolerabilis fætoris jugiter exhalabat, rogúmque ad ipſos cœli cardines emittebat. Ex oppoſito autem hujus montis tanta frigoris immanitas certatim nivis, & grandinis ſævientibus procellis furebat, ut illo ſolùm algore nihil pœnalius me putaverim conſpexiſſe. Tractus vallis dictæ, & utriusque montis latera, quæ frigoris igníſque facies horrenda invaſerat, tanta multitudine fervebat animarum, ut ſolent alvearia crebro apum examine referta ſcatere. Quibus hoc fuit generale ſupplicium, ut nunc in amne fætido mergerentur, nunc inde erumpentes obvijs ignium voluminibus vorarentur, ac demum fluctuantibus flammarum globis tanquam fornacis ſcintillæ in editum ſublatæ, & in alterius ripæ profunda loca demiſſæ turbinibus ventorum, frigoribúſque nivium, & aſperitatibus grandinum redderentur. Inde præcipitatæ, & quaſi violentam tempeſtatum refugientes iterum fætoribus fluvij, & incremationibus debacchantis incendij traderentur. Poſt hæc ductus eſt in campum maximum in demerſo quodam terræ gremio ſitum; tegebat ſuperficiem illius chaos maximum, & horrificum, quo permixti rotabantur fumus ſulphureus, & intolerabilis nebula fætoris cum flamma nigra pice permixta, quæ montium inſtar hinc inde conſurgens per campum horribiliter ſpargebatur. Planities loci illius multitudine vermium ſcatebat, qui ſupra omnium æſtimationem

hor-

horridi, deformes & monſtroſi terribilioris rictu, & naribus ignem ſpirantes execrabilem turbas miſerorum voracitate inſatiabili lacerabant. Dæmones verò crudeliſſimè ſævientes nunc fruſtatim ignitis truncabant ferramentis, nunc omnem carnem ad oſſa penitus abradebant, nunc igni injectos, ut ſolent metalla, liquefaciebant. Parum eſt, Dominum teſtor, imò nihil, quod refero de pœnis loci illius. Novit enim Deus, quod in breviſſimo temporis ſpatio centum vel amplius omnimodis pœnarum diverſitatibus annullatos, & mox reſtitutos, iterum in nihilum penè redactos, ac denuò redintegratos intuebar. Vermes autem diſcerpti, ac in fruſta comminuti ſub infelicibus in congeriem conglomerabantur; qui putredinis ſuæ fætore, tabéque execrandis adeò univerſa complebant, ut fæculentia illorum omnem prædictarum pœnarum excederet cruciatum. Hæc & plura refert ex ore dicti Religioſi *Matthæus Paris in Hiſtoria Anglicana ad annum Chriſti.* 1196.

S. Cyrillus Epiſcopus in Epiſtola ad S. Auguſtinum miſſa refert, qualiter meritis electi Hieronymi fuerint à morte reſuſcitati tres viri; *ad quorum unum quadam vice,* ait Sanctus, *ivi, quem dire lacrymantem inveni, ac interrogavi cur in tantum lugeret?* Qui ex verbis meis nullam conſolationem admittens, & ſæpè interrogatus tandem importunitate victus reſpondit. *Si ſcires, quæ pridem expertus ſum, jugiter fleres: Quales enim pœnas credis eſſe paratas non ſolùm damnatis, ſed etiam in purgatorio exiſtentibus?* Ad quod ego. *Puto quod majores ſunt pœnis præſentis vitæ.* Et ille, *ſi omnes*

mnes, inquit, *quæ in mundo ſunt pœnæ, tormenta, & afflictiones comparentur minori pænæ, quæ illic habentur, velut ſolatia apparebunt. Mallet námque viventium quilibet, ſi illas per experientiam noſceret; omnibus pœnis his ſimul ſumptis ſine remedio cruciari uſque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adamo uſque in præſens ſigillatim perpeſſi ſunt, quam uno die in inferno, aut purgatorio affligi minori pœna, quæ illic habetur. Ideò cauſa fletus mei eſt eſt timor pænarum, quæ peccatoribus juſtè debentur. Scio nempe me peccâſſe in Deum, quem juſtum eſſe non dubito. Non ergo mireris ſi ploro, ſed potius admirare, cur homines, qui ſe eſſe mortales agnoſcunt, tanta hic vivant ſecuritate, neque vereantur pœnas illas incidere, neque ſoliciti ſunt, qualiter eas poſſint evadere. Dionyſius Carthuſ. de 4. Noviſſ. art. 53.*

Anima fratris cujuſdam Dominicani P. Staniſl. Kolkokæ in Polonia apparens aſſeruit ignem noſtratem comparatum igni purganti inſtar auræ tenuis ſibi videri. Vide *Bzovium ad annum Chriſti* 1590. *num.* 26.

Thomas Morus inclytus ille martyr in aureo ſuo libello, quam ſupplicationem animæ inſcripſit, hæc habet: *Ignis ille purgatorius non minus validiſſimum, qui in hoc mundo exarſit, ignem calore ſuo ſuperat, quam calidiſſimus ignis depictum in pariete ignem excedit.*

Fru-

Fructus Meditationis de Purgatorio.

PRimus : *Fuga peccatorum etiam minimorum*, cùm tantorum tormentorum ſint cauſa. *Sic Dominus uniuscujus conſiderat vias, ſic dinumerat greſſus, ut ne minutiſſimæ quidem cogitationes, ejus oculis, & verba tenuiſſima, quæ apud nos uſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant. S. Greg. lib.* 21. *moral. cap.* 4. Qui *lib.* 4. *Dial. cap.* 39. Enumerat otioſum verbum, immoderatum riſum, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa, vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare queant, ſciunt. S. Vitaliana pænas dedit, ut ipſa S. Martino poſt mortem retulit, quia feria ſexta, qua Redemptorem mundi paſſum novimus, caput aquis abluit. *Greg. Turon. de gloria Confeſs. cap.* 5. Puerulus annorum ferè novem mortuus ſe Matri ſtitit lamentatus ſe tanto in purgatorio æſtuare ardore, cui non æquaretur ignis ille, qui omnibus carbonibus mille annis collectis efferveſceret; cauſam tantæ pænæ eſſe negligentiam, qua non reſtituit, quæ acceperat mutua ad quædam puerilia coemenda. *Roa de purgat. cap.* 19. S. Maria Magdalena de Pazzis in extaſi ad purgatorium ducta exclamavit, *omnia tormenta, quæ paſſi ſunt Sancti Martyres, ſunt tanquam amœnus hortus reſpectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio. Vita lib.* 2. *cap.* 13. S. Catharina Genuenſis. *vita cap.* 30. ajebat *pœnam purgato-*

gatorij adeò eſſe duram, ut quidquid in hac vita cognoſcere, eloqui, & experiri, atque de ea re credere poſſumus, ſi cum ipſa comparentur, mihi videantur mendacium. Unde tametſi, inquiebat Sancta, *hæc coacta ſum proferre, tamen confundor re tanta longè minus quàm cupiebam declarata.* Fugiamus ergo etiam minima, quæ mala maxima inferunt.

Secundus, *ſtudium opitulandi animabus Purgatorij* Clamant *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei,* clamant è medijs ignibus, in quibus acerrimè torquentur; quis tam ferventes preces reſpuet? ſi videres catellum tibi charum uſtulari, & opem tuam poſcere, ſuccurreres; & animam Patris æterni filiam, JESU Chriſti cohæredem, & futuram regni cæleſtis conſortem, Spiritus Sancti ſponſam, & forſan animam Patris tui, cognati, benefactoris negliges? in tantis tormentis? in tantis doloribus? tempore diuturno? nec miſereberis? cùm facilè poſſis magno animæ tuæ fructu, ingenti cæli univerſi gaudio, maximo Divinæ Majeſtatis beneplacito. Miſereberis animæ tuæ, cùm miſereberis alienæ. Audi Antonium Suquet in ſuo teſtamento his te alloquentem. *Audi obſecro, & miſerere fratris, & membri Chriſti IESU, & Sponſæ ejus animæ meæ Parvo potes, nummo potes, & verbo eripere ab igne devorante, ab exilio liberare, regnum mihi dare, & ſimul tibi emere. Et morari te quidquam poteſt? Rogo te itaque, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas Spiritus, imple*

gau-

Digitized by Google

gaudium meum, & deſiderium. Ita fiet tibi, & remetietur à me, & DEO tibi. Amen.

Tertius, *oblatio dolorum pro animabus*, Beata Luduvina cum ſeptendecim annorum ſpatio varijs, & horrendis morbis fuiſſet exercita; Angelus à DEO miſſus optionem ei dedit, vel in cælum illico migrandi, vel alterum tantùm temporis pares cruciatus ſuſcipiendi, eà mercede, ut plurimas è purgandis animas vel levaret, vel liberaret. Cui illa pluſquam fæmineo, pluſquam virili animo reſpondit, *ſeſe etiam uſque ad ſupremum judicij diem morbos ſuos tolerare ea de cauſa paratam eſſe.* Tum Angelus nomine Dei eam confirmavit in gratiam tam generoſi, piique decreti animas omnes eorum, qui familiariter illam noviſſent, itémque illius parentum uſque ad novam generationem è luſtrali carcere liberas emigraſſe: poſt exactos verò ſeptemdecim alteros in morbis annos fore, ut ipſa purgatorium veluti triumphans ſubiret, & quoſcunque vellet, in cælum educeret

Vita.

Digitized by Google

CONSIDERATIO XIII.
DE JUDICIO UNIVERSAL

Dies iræ, dies illa, dies tribul-
tionis, & anguſtiæ, dies tenebr-
rum, & caliginis, dies nebulæ,
turbinis, dies tubæ, & clangor
Sophoniæ

O Dies non dies!
Sed nox nebulæ, caliginis, & tenebrarum.
O nox non nox!
Sed dies, qui manifeſtabit conſilia cordium
abditiſſima. 1. *Cor.*
quo aperientur libri, & judicabuntur omne
mortui ſecundùm opera eorum. *Apoc.* 1
O Dies calamitatis, & miſeriæ!
Aliud ne augurari mihi liceat ex hujus diei
diluculo, & aurora?
Aurora turbida, tetrùm fulgens, ac funeſtu
quàm triſtem minitatur diem?
Hujus terribiliſſimi diei
Quâm calamitoſi, horrifici, & crudeles
ſunt prodromi?
In Terra
Seditiones, prælia, & opiniones præliorum, p
ſtilentiæ, fames, terræ motus per loca, ever-
ſiones Urbium, & ruinæ. *Matth.* 2

Digitized by Google

In cælo, & aëre.

Terrores de cælo, & ſigna magna erunt. *Luca.* 2.
Sol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, virtutes cælorum movebuntur, & ſtellæ de cælo cadent. *Luca* 21.

In mari, & aquis. *Matth.* 24.

In terris erit preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. *Luca.* 21.

Succedit Ignis,

Eheu quàm ardens, intenſus, inſatiabilis!
Hujus calore elementa ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, exurentur. 2. *Petri.* 3.
Conjurabit Ignis hic in plagam, & excidium orbis à quatuor ejuſdem plagis, & à quatuor ventis incitabitur.
Nec quieſcet, niſi cùm viderit terram omnem à ſe triumphatam ſubmiſiſſe ſibi omnia opera hominum, & in cineres ſubſediſſe.

Ubi ergò

Aurata, & ſuperba palatia Regum? Cæſarum?
Arſerunt.
Ubi Babylon, Roma, & aliæ urbes urbium capita?
Cinis ſunt.
Ubi illi montes ipſis aſtris inſultantes?
Detumûere.
Ubi illæ immenſæ opes, auri, gemmarum?

In maſſam confluxerunt, & tormentum im-
proborum.
Ubi opera magnifica ingeniorum, manuum ar-
tificum, miracula orbis, & trophæa
Superbiæ?
Fuerê, favilla ſunt.
Omnia ceſſerê igni in prædam, & pabulum.
Omnia ſerò docent vanitatem vanitatum, &
omnia fuiſſe vanitatem. *Eccle.* 1.
Omnia arguunt filios hominum gravi corde, ut
qui dilexêre vanitatem, & quæſierunt
mendacium. *Pſal.* 4.
Clamabunt igitur
Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum
jactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt
omnia tanquam umbra. *Sap.* 5.
Exuſtis cum terra ejus incolis hominibus, feris,
avibus, & piſcibus, Cete grandibus,
& omni reptili. *Gen.* 1.
Victor ignis ceu Miniſter Juſtitiæ ante
Supremum Judicem præcedet, & inflamma-
bit in circuitu inimicos Ejus. *Pſal.* 96.
Mittet verò DEUS Angelos ſuos cum tuba,
& voce magna. *Matth.* 24.
Surgite mortui. & venite ad judicium.
Vox magna, vox Omnipotentis.
Audient eam, qui aures non habent, & vixêre.
Et vidi mortuos magnos, & puſillos. Dedit
mare mortuos ſuos, qui in eo erant, & mors,
& infernus dederunt mortuos ſuos,
qui in ipſis erant. *Apoc.* 20.

Re-

Recipient hi corpora ſua, olim illicia, & inſtrumenta vitiorum, nunc ſupplicia, nunc ergaſtula viva, & carceres igneos.

Quàm illa erunt fœda, deformia, horrida? digna ſcilicet his incolis domicilia.

Ut cunctabuntur ea ſubire animæ? etſi ipſæ quoque ſint ſordidiſſimæ ut refugient? horrebunt? Sed cogentur.

Jacebunt in igne ut vaſa ſordium fætidiſſima, ut bufones flammei, monſtra turpiſſima, hædi fætentiſſimi colligati.

Ubi nunc Abſalones, Narciſſuli, Adonides, & cætera formarum nomina tenera?

Nunc riſus dæmonum, horror, & odium ſui ipſius, Cæli abominatio.

Tunc

Parebit ſignum Filij hominis in cælo, *Matth.* 24. & tunc plangent omnes tribus terræ.

Crux nempe Sacroſancta Imperatoris Cæleſtis, & Victoris mortis Labarum.

Ut trepidabunt hoſtes, ululabunt, conſternabuntur, viſo victoriæ ſigno, triumphali ſigno?

Ut expaveſcent jamjam viſuri ipſum victorem?

Et videbunt Filium hominis

Venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & Majeſtate. *Matth.* 24.

O quantus reorum horror ex adventu Tanti Judicis!

Ardens erit furor ejus, & gravis,
Labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingua ejus quaſi ignis devorans:
Spiritus ejus velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum. *Iſai.* 30.
Videntes turbabuntur timore horribili, & præ anguſtia Spiritus gementes. *Sap.* 5.
O diem crudelem, & indignationis plenum, iræ, furoriſque! *Iſaiæ* 13.
Judicium ſedit, libri aperti ſunt. *Daniel.* 7.
Conſcientiarum *Apoc.* 20.
Cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium, ſive bonum, ſive malum ſit. *Eccle.* 12.
O quantæ anguſtiæ impiorum!
Cùm in præſentia omnis Creaturæ intelligentis omnia, & ſingula peccata velut in ſpeculo clariſſimo ita patebunt, ut nec minima cogitatio viliſſimi hominis latere poſſit.
Quanta erit confuſio?
In Chriſti, Ejuſdem Matris puriſſimæ, Cælitum & Angelorum omnium, in cunctorum hominum notorum, & ignotorum conſpectu (Spectaculo Spectaculorum omnium graviſſimo) turpiſſima ſcelera è latebris protrahentur.
Occultæ intentiones, fraudes, doli,
Conſilia, machinationes, perfidiæ,
Proditiones, ſurta, latrocinia,
Libidines, adulteria, & alia fædiſſima,
Hypo-

Digitized by Google

Hypocriſis, veneficia, magiæ,

Et alia, quæ impij altiſſimis tenebris, ac latebris recondere ſtuduerant, & quæ detegi mors fuiſſet.

Nunc

Revelabunt cæli iniquitatem eorum, & terra conſurget adverſus eos. *Job.* 20.

In pleno conſeſſu univerſi orbis, & revelabunt clarè, diſtinctéque cum omnibus circumſtantijs tali die, eo loci, cum his, coram talibus perpetratam.

O verecundia! O confuſio!

Seipſos horrebunt, nitentur abſcondere, clamabunt montibus

Operite nos, & collibus cadite ſuper nos. *Oſea* 10.

Sed irriti ſunt clamores.

Vocavit eos Dominus, cùm viverent, & renuerunt, & deſpexerunt omne conſilium Ejus. *Prov.* 1.

Ideò in interitu eorum ridebit. Et ſeparabit oves ab hædis. *Matth.* 25.

Tunc inſultabunt dæmones accuſatores, & tortores. Angeli olim tutelares, & omnis creatura armabuntur ad ultionem inimicorum. *Sap.* 5.

Demùm Judex æquiſſimus

Poſtquam benedictos Patris ſui vocavit ad paratum ijs regnum à conſtitutione mundi:

Voce, vultúque horribili converſus ad impios intonabit

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.

O vocem ſuper tonitrua, & fulmina terribilem!

O infelicitatem infelicitatum!

Tunc diſrumpetur terra, & Tophet (abyſſus pœnarum) aperiet os ſuum præparata, profunda, & dilatata, cujus nutrimenta erunt ignis, & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendet Eam, *Iſaiæ.* 30.

Ligna hæc arida erunt peccatores, quæ magno impetu devolventur in flammam ſuccenſionis, & comburentur in ea. *Ezech.* 20.

Deſcendéntque cum Datham, & Abiron vivi in infernum operti humo, & peribunt de medio multitudinis Electorum. *Num.* 16.

Et ſtuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum Flamma ignis, *Eccle.* 21. quæ non extinguetur, *Ezech.* 20.

SENTENTIÆ.

JUxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. *Sophoniæ.* 1. Nam

Ecce dies venit ſuccenſa quaſi caminus, & erunt

Digitized by Google

runt omnes ſuperbi, & facientes impietatem, Stipula, & inflamābit eos dies veniens. *Malach.* 4.

Sedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes; & ſeparabit eos ad invicem, ſicut paſtor ſeparat oves ab hædis. *Matth.* 25.

Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni; & libri aperti ſunt, & qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis. *Apoc.* 20.

Surgite mortui, venite ad judicium. Væ mihi miſero, cùm venerit dies judicij, & aperti fuerint libri conſcientiarum, cùm dicetur ad me, Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc Domine Deus meus? *S. Aug. Medit. cap.* 39.

Quoties diem judicij cogito, toties corde, & ore contremiſco. *S. Hieron. in Matth.*

Tunc erit ille timor tremendus, cùm cœlis ardentibus, pugnantibus elementis in terra ſuccenſa, conſcientijs obvolutis, dæmonibus accuſantibus, Judice furibundo, & miſericordiam neſciente, fiat illa diſcuſſio, quæ utinam nos paratos inveniat! *S. Petrus Damian. ſerm. de S. Victore.*

Quid faciemus tunc ſub tanta Judicis Majeſtate? quid excuſationum poterimus afferre? quæ nobis obventura eſt pænitentia, quam in hac carne contempſimus? quæ nos defenſura ſunt bona opera, quæ in hac vita non fecimus? ad quos Apoſtolos, aut quos alios Sanctos confugiemus, quorum exempla ſimul & verba deſpeximus:

ximus? Penſandum ergò eſt, & ſummo ſtu
revolvendum, quis in illo die terror erit, cùm
pœna remedium non ſit. Dies Domini inſa
bilis furoris. *Idem epiſt.* 57.

Quis ſtabit ad videndum eum? *Malach*
Non poteſt credi, non poteſt ſermone comp
hendi, quæ futura ſit animi paſſio. *S. Chryſ*
Hom. 24. *in epiſt. ad Theſſalonic.*

Puto minacem Judicis vultum, minitant
iras, fulgurantem ignes, fulminantem incendi
ipſis infernalibus flammis acriora. *Didacus*
Judith.

Quis putas tunc erit terror? quis luctu
quæ triſtitia, cùm ſeparabuntur impij à conſo
tio Sanctorum, & à viſione Dei, & traditi in p
teſtatem dæmonum ibunt cum ipſis in ignem a
ternum, ibíque ſemper erunt ſine fine, in luct
& gemitu? *S. Bernardus cap.* 3. *Medit. num.*

Unde idem *ſerm.* 16. *in Cant.* pavidus excla
mat. Paveo gehennam, paveo Judicis vultum
ipſis quoque tremendum Angelicis poteſtatibus
Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus
à fragore ruentis mundi, à conflagratione ele
mentorum, à tempeſtate valida, à voce Archan
geli, & à verbo aſpero. Contremiſco à dentibu
beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibu
præparatis ad eſcam: horreo vermem rodentem
& ignem torrentem, fumum, & vaporem, &
ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tene-
bras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam,
& oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam

fletum

fletum fletibus? Hæc Sanctus. Qui uti & alij Deo conjunctiſſimi vultum tamen Judicis ſupremi ſi adeò horruerunt, quid ſenſus erit homini flagitijs cooperto? Repeto ſententiam S. Gregorij 24. Moral. *Quid ergò facient tabulæ, ſi tremunt columnæ, aut quo modo virgulta immobilia ſtabunt, ſi hujus pavoris turbine cedri quatiantur?*

Sive dormiam, ſive comedam, ſive quidquam aliud agam, ſemper vox illa inſonare in auribus meis videtur. *Surgite mortui, venite ad judicium.* S. Hieron.

O anima nunquam excidat è tua memoria, *Ite maledicti in ignem æternum, venite benedicti, percipite regnum.* O quid lamentabilius, & terribilius cogitari poteſt quàm *Ite*? & quid delectabilius exprimi, quàm *Venite?* Duæ ſunt voces, quarum una nihil horribilius, & nihil jucundius altera poteſt audiri. *S. Auguſt. in ſoliq. cap. 3.*

O liceat mihi cum S. Job *cap.* 34. exclamare. *Viri cordati audite me*, vel potius audire S. Aug. quendã comitem *to. 4. lib. ſive exhortatione de ſalutaribus documentis cap. 5.* alloquentem. O mi frater, nunquid ferreæ ſunt carnes, ut non cõtremiſcant, vel etiam ſenſus noſter adamantinus, ut non molleſcat, aut etiam minimè advigilet ad talia Dei verba? (*Ite in ignem*) quare non dicimus cum Hieremia Propheta, *quis dabit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lacrymarum?* & non ploremus die ac nocte filios vulneratos plebis noſtræ.

Quis illam ſortem damnatorum non fleat, quando à facie Creatoris perpetuò excluſi ab ipſo,

& Angelis, & electis omnibus ſeparabuntur? *S. Ephrem.*

HISTORIÆ

BOgaris Bulgarorum Princeps venationi adeò deditus erat, ut non ſolùm per ſylvas, & agros frequens feras inſectaretur; ſed etiam domi ſe oblectaret belluarum pictura; & quo quæque erant viſu immaniores, eò gratius afficiebatur. Quæ cauſa fuit, ut Divina ſic ordinante Providentia, cùm pictorem quæreret, qui in novæ, quàm ædificaverat, domus parietibus ejuſmodi belluas ex arte ſua quàm accuratiſſimè effingeret; obtulerit ſeſe Methodius quidam Monachus pictor non imperitus. Is ergò gnarus, quibus maximè Regis animus teneretur; nova quærit & horrida quàm maximè, atque inter cætera extremi judicij diem ita exprimit, támque vivis illuſtrat coloribus; ut cùm Chriſtus Judex ſuprema Majeſtate verendus in præcelſo throno ſederet omnibus conſpicuus, atque ad dexteram ejus partem juſtorum cætus ingenti animorum gaudio, plausúque cum palmis, & coronis triumphantium more ſublimes exultarent: ad lævam verò humi proſtrati impij horrore, ac deſperatione pleni conſpicerentur à teterrimis, crudeliſſimíſque inferni monſtris in ſubjectas horrendis, ac fædis ignibus fornaces raptari, protrudi, compingi: ita Regis moverit animum, ut inde tremenda Dei judicia edoctus, & in Chriſtiana Religione à Methodio probè inſtructus venerit Deo

in

Digitized by Google

in prædam ferarum prædator. Nec unius diei paſſus eſt moram, ipſa intempeſta nocte ſacris Baptiſmi undis ablui voluit ſecurior ad tam horrenda Dei judicia futurus. *Baronius an. Christi* 845.

Fructus Meditationis de Judicio Univerſali.

PRimus. *Ne in die illo tremendo confundaris coram omni creatura rationali, & intelligente, non recuſes confundi coram uno homine*, & nolis quicquam ex verecundia, quæ adducit mortem, reticere. *Ecce* (ſi nunc peccata mea non fuerim confeſſus) *coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt omnia delicta mea, non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum, ſimúlque locutionum; tot Judicibus propè adſtabo, quot me præceſſerunt in opere boni.* S. Auguſt. Meditat. cap. 4. *Quis igitur dignè penſet, quanta iniquorum futura ſit confuſio? quando & foris æternus Judex cernitur, & intus ante oculos culpa verſatur.* S. Gregor. 24. Moral. Ne ergò hîc Judex *ſtatuat ante faciem tuam peccata tua*, Pſal. 49. *ſit peccatum contra te ſemper*, Pſal. 50. *Qui abſconderit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit, miſericordiam conſequetur.* Prov. 28. Certè S. Auguſtino teſte lib. 2. de viſit. Infirm. cap. 4. *Melius eſt coram uno aliquantùm ruboris tolerare, quàm in die judicij coram tot millibus hominum gravi repulſa dena-*

denotatum tabeſcere. Optimè ergò ſuadet S. Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 7. *Præveni accuſatorem tuum* (diabolum, & in illo die totum orbem) *Si te ipſe accuſaveris, accuſatorem nullum habebis.*

Secundus fructus. *Contemptus rerum terrenarum & mundi.* Ubi hic erit poſt diem judicij? quò omnia devenient? ubi regna? imperia? dominia? poſſeſſiones? horum, iſtorum, illorum &c. Jure ergò clamabunt reprobi in illo die, *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa ſicut umbra.* Sap. 5.

Tertius fructus. *Memoria hujus judicij* tanquam ſcuto uti adverſus ignea tela adverſarij tentantis; *Si quando ſenſeris te appetitu ad peccandum pertrahi; cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit Judex in alto & excelſo throno, adſtabit autem omnis creatura ad glorioſum ejus conſpectum contremiſcens.* S. Baſilius in Pſal. 31.

CONSIDERATIO XIV.

DE INFERNO NOVISSIMORUM TERRIBILISSIMO.

Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Iſaiæ 33.

Æquiſſime Judex,

Olim

Digitized by Google

Olim tuus ſanctiſſimus Propheta interrogavit,
Cùm populum Iſraeliticum ab Hypocriſi averteret:
Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? *Iſa.* 33.
Nunc verò hac quæſtione opus non eſt;
Cùm intonuiſti de cœlo Domine, & altiſſimus dediſti vocem tuam, grandinem, & carbones ignis. *Pſal.* 17.
Fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata. 2. *Reg.* 22.
Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, abſque ullo termino, & deſcenderunt fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, glorioſíque ad eum. *Iſa.* 6.
O vox terribilis! ô fulmen!
Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.
Ergò innumera millia habitare coguntur cum ardoribus ſempiternis?
Non poterunt habitare, & debebunt habitare.
Quàm terribile
Diſcedite à me Maledidicti!
A Me,
Fine veſtro ultimo
ob quem creati, & redempti fuiſtis.
Ergò perijt finis noſter, & ſpes noſtra à Domino? *Thren.* 3.

ergò

Digitized by Google

Ergò (eheu!) finis noſter mors eſt? & interitus? *ad Rom. 6.*

A Me *ad Phil. 3.*

Summo Bono veſtro.

Ergò omni bono privabimur, replebimur omni malo?

Carituri Infinito Bono, cruciandi Infinito malo?

Ergò proijcimur à facie oculorum tuorum?

Ergo æternùm non intuebimur Illam?

Illam? Illam?

Maledicti

A Te, qui dicis, & facis.

Maledicti ſemper, maledicti ubique,

Nec ultra ſtillabit ſuper nos pluvia miſericordiæ *Exod. 9.*

Sed ſtillabit ſuper nos maledictio, & deteſtatio. *Daniel. 9.*

Sol, & Luna nobis obtenebrati ſunt: & caligo tenebrarum reſervatur. *Ioel. 2.*

2. Petri 3.

Terra erit ferrea, cælum æneum, nox æterna,

tenebræ interiores, & exteriores.

Denſiores Ægyptijs, avernales.

Eheu!

Mors depaſcet nos, & non depaſcet.

Sed Judex æquiſſime

Quo miſeri fugient à facie tua? *Pſal. 138.*

Ad cælum Maledicti non aſcendent.

Si deſcenderint in infernum, ades. *Pſal. 138.*

Ah

Ah!

Aderis, ut in furore tuo arguas. *Ezech.* 25.

Ut in ira tua conturbes eos. *Pſal.* 20.

Ut rebelles pænis addicas debitis.

Ut ignis ſuccendatur à furore tuo, & ardeat uſque ad inferni noviſſima. *Deuteron.* 32.

O DEUS

Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram dinumerare? *Pſal.* 89.

In ignem æternum:

Quem illum?

Corporeus noſter, quo ferocior eſt, eò eſt voracior, & ſibi eſcam obvenientem helluo ardens mox devorat.

Infernalis, quò ferocior eſt, eò etiam eſt voracior, & uſque clamat, *affer, affer*, nunquam *ſufficit.* *Prov.* 30.

Hic tamen ita abſumit, ut nunquam abſumat.

Devorat, & rurſum gulæ ſuæ ſervat. *S. Bern.*

Non extinguitur, non extinguit.

In pænas renovat, dum exurit.

Ignis hic ſuccenſus eſt ut caminus: in hoc erunt ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula. *Malach.* 4.

Erunt ut fax viva in doloribus incredibilibus ſine ſolatio, ſine remiſſione, ſine ſpe evadendi immerſi, ſibimet horrendum futuri Spectaculum.

Fer-

Digitized by Google

Ferrum ignitum ignis eſt, & ferrum manet.

Quàm vivax ignis, qui puniendis diabolo, & Angelis ejus paratus eſt?

Si Spiritus cruciat, quid ſtipulæ fiet?

Quid patietur oculus?

Erit ad ignem, in Flammis, & nihil videbit, quod volet; videbit omnia, quæ nolet; Monſtra horrifica dæmonum, bufonum, ſerpentum, draconum, beſtiarum;

vel unum ex his ad horam videre, infernus eſſet.

Conſpiciet quoque ſocios ſibi vicinos, & colligatos, quos cane pejus & angue odit; & qui eum cane pejus & angue oderunt.

Et tamen ſine his nec vivere poteſt, nec mori.

Intuebitur parata ſibi tormenta atrociſſima, innumera.

Deformitates deformiſſimas corporum damnatorum.

Nempe ille olim Paris, cenſor, & arbiter. Formarum, & vultuum.

Inſuper torquebunt oculos tenebræ, fumus è ſulphure, pice, & è ſordidiſſimis exhalationibus nebulæ.

Quid Auris?

Conticuit dulcedo citharæ, ceſſavit gaudium tympanorum, quievit ſonitus lætantium. *Iſaia* 24.

Suc-

Digitized by Google

Succedunt clamores inſultantium, dilaniantium, dæmonum rabidi, irriſiones,
Blaſphemæ in Deum voces,
Execrationes in creaturas omnes.
Maledictiones, & increpationes ſociorum in tormentis, convitia.
Ululatus triſtiſſimi, vociferationes deſperatiſſimæ, væ, væ, væ omnium damnatorum,
tot millium in loco arctiſſimo
clauſæ.
Heu quæ erit Echo!

Quid Odoratus?

Hæc arabia infelix quas mephites exhalat?
Quantus tot dæmonum, tot damnatorum erit fætor?
Vel unius ſufficeret inficiendo orbi univerſo.

S. Bonaven.

Quid tot in loco incluſo, & fætentiſſima
Camarina, quæ uſque, & uſque movetur?
Ignis ſordibus, & corporibus putridiſſimis obſtipatus, quos fumos diſpergit:
Caro verminans, & putrida prunis impoſita
quale thus redolet?

Quid Guſtus?

Linguæ ſitientiſſimæ, & aridiſſimæ etiam
guttula unica negabitur
Æternum. *Lucæ* 16.
Famen patientur, ut canes, & circuibunt
civitatem. *Pſal.* 58.
Cibus, & potus erunt uva eorum, uva fellis,
& botri amariſſimi. Fel draconum vinum

eorum, & venenum aſpidum
inſanabile. *Deuter.* 32.

Quid Tactus?

De hujus tormentis quid dicam?
Citiùs ſtellas cæli, & arenas maris numeravero:
Mitiſſimi fuère immitiſſimi tyranni.
Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum ſunt pars calicis eorum. *Pſal.* 10.
Pluet ſuper peccatores laqueos: ſunt hi pars calicis eorum. *Pſal.* 10.
Compedes, & manicæ ferreæ, quibus alligandi ſunt Reges, & nobiles eorum; ſunt pars calicis eorum. *Pſal.* 149.
Stagnum ignis ardentis, & ſulphuris, ac puteus abyſſi. *Apoc.* 19. & 20.
Sunt pars calicis eorum.
Nullum erit membrum minimum, quod non ſuo acerbiſſimo tormento torqueatur; & horum membrorum omnium tormenta erunt pars calicis eorum.
Quantùm ergò tormentum, ſi hæ partes ſuum totum triſtiſſimum confecerint?

Locus.

Augebit dolores arctiſſimus, profundiſſimus, tenebricoſiſſimus, remotiſſimus à cælo, fætentiſſimus, teterrimus.
Vix ſarcophagi locum damnato relinquet, in quo ſe movere non poterit; ut lateritij lapides in fornace, uvæ in torculari, halecces ſalſæ in orca.

Rur-

Digitized by Google

Rurſum eſt intemperiæ maximæ ratione incluſorum calorum maximorum; nec ulla patebit rima, quâ recens, aut frigida aura admittatur.

Junge his fætores, clamores, ululatus, rugitus dæmonum, & tonitrua reboantia.

Quid de animæ facultatibus dicam?

In quas miris, & diris modis ignis deſæviet? *S. Auguſt. de civit. lib.* 21 *cap.* 20.

Imaginatio diriſſimas, & atrociſſimas finget imagines, infigétque in omnem æternitatem.

Intellectus apprehendet avidè, & diſcurret: dolebit cùm agnoſcit ſe ſummis bonis exciſiſſe, ſummis malis ſe ſponte induiſſe, nec eſſe viam evadendi.

Quantus erit dolor? maximè cum non licebit quidquam lætum cogitare.

Memoria conferet tempora præteritum, & præſens, recordabitur voluptatum &c. & deteſtabitur ſe momentum harum luere æternùm, tantillas delicias tantis, tantis, tantis tormentis.

Voluntas his firmiſſimè apprehenſis efferabitur odio implacabili in Deum, in Sanctos, in dæmones, damnatos, ſeipſum: fremet indignatione, odio, rabie, qua cunctos volet perditos: abominabitur, execrabitur, blaſphemabit, ſæviet; & quia irrito

furore debachabitur, planget, & implacabiliter ejulabit.

Conſcientiæ vermis, qui non morietur, dicta tormenta uſque & uſque exaſperabit, increpabit, inſultabit carnifex diriſſimus. Erit ut ſpina in ulcere.

Appetitus uterque à ſuis paſſionibus invadetur, & dilaniabitur doloribus, timoribus, triſtitijs, deſperationibus, odijs, furore ſummo inter ſe confligentibus & extremam confuſionem damnato inducentibus.

Et ſingula ex dictis quantum affligent? unum duntaxat efficeret miſerrimum. Quid agent omnia?

Et quod dolendum eſt quàm maximè, Non ſibi ſuccedent tormenta, ſed cuncta junctis copijs, & unito impetu, uno tempore invadent eum, qui uni ferendo non par eſt.

Licèt verò non omnia tormenta ſimul exiſtant, ea tamen ſimul, & collata menti objicit æternitas, & ſic immenſum parit dolorem. *Leſſius.*

Dein etiam ſimul, & eodem
Momento animam obruunt damnatam
Æternus carcer, æternæ tenebræ.
Æterna fames, æterna ſitis.
Æternus ignis, æternum ſulphur,

Æterna

Digitized by Google

Æterna compreſſio arctiſſima, doloroſiſſima.
Æternum odium, æterna rabies.
Æterna infamia, æterna confuſio.
Æterna omnium & ſingulorum membrorum tormenta, cum ſingula ſuis proprijs cruciabuntur pænis.
Æternus vermis. Æternus horror.
Æternus fætor. Æternus luctus.
Æterna comploratio. Æternus ſtridor dentium.
Æternus larvarum infernalium aſpectus.
Æternum ſtygiorum Cyclopum mancipium, opprobrium, riſus, fabula.
Æterna boni omnis etiam minimi deſperatio.
Æterna mali omnis maximi præſentia.
Æterna Divini vultus abſentia, & privatio.
Sed

Quamdiu torquebunt?

Æternitas carens ſucceſſione tota ſimul exiſtit.

S. Thom. par. 1. *q.* 10. *ar.* 1. & 5.

Tota igitur ſemper reis incumbit,
Tota premit ſemper, ſemper, ſemper.
Quaſi indiviſibilis eſt, quia ſe in ſe totam colligit.
Diviſibilis in infinitum eſt, quia omnia tormenta in infinitum diducit.
Nunquam finit, finitur nunquam.
De hac Conſideratio ſequens rurſum aget.
Quàm prudenter S. Hieronymus. *Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere* (ſolitudinis aſperæ,) *damnaveram ſcorpionum tantùm*

 ſocius

ſocius & ferarum. Ep. 22. ad Euſtochium.

SENTENTIÆ.

Omnis dolor irruet ſuper eos. Job. 20.

AUdiamus S. Thomam part. 3. quæſt. 98. art. 7. ſic docentem. Infernus eſt abyſſus, & accumulatio pleniſſima, & perfectiſſima omnium miſeriarum. Sicut propter perfectam ſanctorum beatitatem nihil erit in ijs, quod non ſit materia gaudij; ita nihil erit in damnatis, quod non ſit materia, & cauſa triſtitiæ; nec aliquid quod ad triſtitiam poſſit pertinere, deerit, ut ſit eorm miſeria conſummata.

Infernus eſt locus ſine menſura, profundum ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fætore intolerabili, plenus dolore innumerabili; ibi miſeriæ, ibi tenebræ; ibi ordo nullus, ibi horror æternus; ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. *Hugo de S. victore lib. 4. de anima.*

Quid ergo faciemus, quando & tenebræ erunt, & ſtridor dentium, & vincula inſolubilia, & vermis immortalis, & inextinguibilis ignis, & tribulatio, & anguſtia, & planctus, & nullus auditur. quid animabus iſtis miſerabilius? *S. Chryſoſt. hom. 10. in 2. ad Corinth.*

Intole-

Intolerabilis quidem res eſt gehenna; quis neſciat? at ſupplicium illud horribile. Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas; nihil tale quid dicturus eſt, quale eſt ablatæ illius gloriæ honore repelli, exoſum eſſe Chriſto, & audire ab illo *non novi vos*. *S. Chryſoſt. hom.* 24. *in cap.* 7. *S. Matth.*

Cogita profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem ſplendore, urendi quidem vim habentem, ſed privatum ſplendore: dein vermium genus venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam ſaturitatem ſentiens, intolerabilem dolorem corroſione ipſa infigens. Poſtremo quod eſt omnium graviſſimum, opprobrium illud, & confuſionem ſempiternam. Hoc time, & hoc timore correptus animam peccatorum concupiſcentiæ tanquam fræno quodam reprime. *S. Baſilius in Pſal.* 31.

Timeas ignem, ignem palea timet: amplexaris peccata, & delicias carnis tuæ; ſtipulas ad te congeris. Non erit iſte ignis, ſicut focus tuus, qui tamen, ſi manum mittere cogaris, faciet quidquid voluerit is, qui hoc minatur. Minitatur inimicus hoc leve malum, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? *S. Auguſt. in Pſal.* 49.

Illinc eſt ignis, qui non ſuccenditur: vermis, qui non moritur; frigus horrendum ibi; horribiles facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus, & ſtri-

Digitized by Google

dor dentium, planctus & gemitus: & alternantia mala impios ſine fine diſcerpunt. *S. Pet. Dam. ſerm.* 60.

Habebunt impij in cruciatibus vitam. Sed qui vivunt in tormentis, cupiunt (ſi fieri poſſit.) finire talem vitam: nemo eis dat interitum, ut nemo aufferat cruciatum. *S. Auguſt. ſer.* 112.

Etiam mors ſecunda mors vocatur, & tamen nemo ibi moritur; ſatius eſt, & meliùs dixerim, nemo ibi vivit. In doloribus enim vivere non eſt vivere; nulla quippe major & peior mors, quàm ubi non moritur mors. *Idem loco citato.*

Durior mors iſta ſecunda mors erit, quia finiri morte non poterit. Ibi & dolor permanet, ut affligat; & natura perdurat, ut ſentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. *Idem lib. 9. de civitate cap.* 28.

O Regio dura & gravis! Regio extimeſcenda, terra oblivionis, terra afflictionis; terra miſeriarum. Locus lethifer, ubi ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fætor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confuſio peccatorum. Totus tremo, atque horreo ad memoriam iſtius Regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea. *S. Bern. ſerm. de quinque Regionibus. Vide eum lib. de anima cap.* 7.

Nullus ex ijs, qui habet gehennam ante oculos, incidet in gehennam; nullus ex ijs, qui gehen-

Digitized by Google

gehennam deſpexerit, effugiet gehennam; *S. Chryſoſt. hom. 2. in Ep. 1. ad Thaſſalon.*

Peccati ceſſatio, Radix veniæ, gehennæ meditatio principium ſalutis. *Tertullianus.*

Si eſt ſub terra Tartari carcer, ſi eſt combuſtio ardens, ſi eſt infernus ſine fine crucians, quid ſtupemus? Quare omnibus contemptis ſola nobis cura ſit evadendi à talibus malis? ne viventes mundo ad tantas, tales, tam crudeles ſubitò rapiamur pœnas. *S. Petrus Chryſologus ſerm.* 124.

Meminerim illius ſententiæ S. Bernardi *in meditat.* Quid profuit mortuis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falſæ divitiæ, magna familia, & mala concupiſcentia? ubi riſus? ubi jocus? ubi jactantia? de tanta lætitia quanta triſtitia? poſt tantam voluptatem, quàm gravis miſeria?

Continuus erit, & ſuperfluus illarum lacrymarum decurſus; ſtridorem illum dentium flammæ inextinguibiles exagitabunt, immortales miſeri vivent inter incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent: ardebit purpuratus Dives, nec erit, qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundet: in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur; & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget. Irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile Judicium, & ſtabit damnationis hujus immobile conſtitutum. *S. Cyprianus ſer. de aſcenſione Domini ad finem.* Si

Digitized by Google

Si unius tantum damnati corpus in hunc mundum adduceretur, omnes confeſtim domos, pagos, urbes, provincias, omnes beſtias, & homines, totum hunc aërem, univerſum denique orbem peſtifera luc inficeret, & quicquid ſpirat, interficeret. *S. Bonavent. de æterni. Sal. c. 39.* Quis ergò erit fætor innumerorum damnatorum, & dæmonum?

HISTORIÆ.

NArrant fuiſſe hominem ſtirpe ac ſanguine, non ita moribus nobilem. Erat is ad mundi leges factus, & quod inter vitia eminebat, egenis rigidus: hic unà cum famulo ad quietem ivit in utramq; aurem dormiturus. Mediâ nocte famulus mente raptus eſt ante Tribunal Divinum, & vidit accuſari Dominum ſuum, in eúmque vibrari ſententiam damnationis æternæ. Qua lata magno tripudio ductus eſt ad Luciferum, qui eum oſculatus dixit: *Non ſit tibi pax in ſæcula ſæculorum*; dein ſuis miniſtris, & tortoribus: *Conſuevit hic delicatè balneare, ducite eum ad balnea.* Tunc dæmones eum in ignem projecerunt, & eundem ſuper ipſum effudere. Eductus poſitus eſt in lecto infernali, mandavitque Lucifer, ei de calice iræ Dei darent bibendum. Oblatus eſt ignis cum ſulphure. Dein Lucifer *audire conſuevit dulces Symphonias, ſurgite Symphoniaci*; & ecce duo dæmones cum tubis igneis ignem in eum ſic ſufflaverunt, ut de oculis, naribus,

bus, & ore flammæ eruperint. Tunc Lucifer ait *adducite eum ad me.* & adducto dixit, *unam canta mihi cantilenam*, & ille, *quid cantabo niſi maledictionem? Maledictus dies, in quo natus ſum*, Et Lucifer, *cane meliorem*, *quid*, inquit, *cantabo, niſi maledicta ſit hora, in qua mater mea me genuit?* Rurſum Lucifer, *canta quid gratius*, & miſer dixit, *quid cantabo, niſi quòd ipſe Deus ſit maledictus, qui me naſci permiſit? Hoc eſt*, ait Lucifer, *quod volui. Ducite igitur eum ad ſedem, quam meruit*; qui projectus eſt in puteum profundiſſimum cum eo ſtrepitu, ac ſi totus mundus rueret. Hic evigilans famulus ſurgit, & reviſit ad herum, ſed jam mortuum invenit. *Meſſret. ſerm 3. in Dominic. 2. poſt Epiphan. Drexelius c. 11. de Inferno.*

Cujusdam prædivitis ſed impuri hominis uxor tempore S. Dominici ex naturali pellicum odio ulciſci ſe de marito cogitabat, & ipſa quoque adulteria animo volvebat. Cui per viſum manifeſta fuerunt libidinoſorum ſupplicia: pro mollibus lectis fornaces ſæviſſimis incendijs æſtuabant; laſcivis horribiles dracones incubabant tam arcto complexu, ut neque ſe defendere, neque explicare poſſent. Ex Draconum oculis, manibus atque ore flammæ erumpebant teterrimi fætoris, ardentis ſulphuris venas diceres, veneno multiplici immundóque permixtas; Hac purulenta tabe corpus omne à capite ad pedes uſque perpluebat, & ad intima viſcera fornacis inſtar ardentia permanabat. Dracones liquefactum æs undique perfundebant ita doloriferum,

rum, ut perruptis illis partibus, quæ quàm máximè dolorem ſentiunt, clamare, ac vociferari tam intensè cogerentur infelices damnati, ut plangoribus tartara remugirent. Hoc viſo uxor reſipuit, & maritum roſario recitato juvit. *Ex B. Alano Henſpergius in viridario Mariano c. 10. Mirac. 1.*

Miles quidam è Teutoniæ partibus robore ac divitijs potens torneamentis mirè fuit deditus, atque etſi maritus uxori ſuæ infidus multis ſceleribus ſe contaminavit; ut vixit, obijt, & perijt. Poſt mortem ejus conjux fæmina ſancta rapta fuit in extaſin, & conſpexit animam viri ſui pluribus cinctam dæmonibus; è quorum numero quidam cæteris eminentior *ponite*, ajebat, *calceos in pedibus ejus, quorum ſpicula penetrent à plantis pedum ad ipſum uſque cerebrum; tunc lorcia eum induite, cujus cuſpides ante, & retrò totum corpus occupent; mox galeam capiti ejus imponite, cujus ſimiliter ſpicula deſcendendo ipſas plantas figant. Hinc ſcutum collo ejus immittite, cujus pondere membris omnibus conquaſſetur.* Hæc omnia cùm fuiſſent data executioni, *Conſuetudo*, inquiebat Princeps dæmonum, *iſtius erat, ut poſt torneamenta foveretur balneis, lotus lecto molli incubaret, & ei puella tenerior jungeretur, cujus amoribus frueretur, his ſimilibus noſtrum hoſpitem recreate.* Nec mora flammis balnearibus anima injicitur, extracta lecto ferreo candenti imponitur, & juxta eam bufo terribilis ad lecti longitudinem, & latitudinem; cujus complexu, contactu, oſculis adeò fuit torta, ut

ta, ut magis eam hoc monſtrum quàm cætera tormenta cruciarent. Uxor ſibi reddita cuncta retulit B. Alberto Magno, atque ob memoriam ſolùm hujus horrificæ viſionis adeò fuit tota vita afflicta, ut nullus de ejus veritate potuerit dubitare. *Cantiprat. lib. 2. c. 49. num. 6.*

Humberto teſte de 7. donis, vox ex inferno ad aures viri religioſi allata hæc fuit. *Noveris me, caterósque Averni incolas nihil acerbius lugere, nihil amarius deplorare, quàm inter vanitates ſaculi, brevésque illecebras dilapidati temporis jacturam.*

Fructus meditationis de inferno.

PRimus *Horror inferni.* S. Doſitheus inferno picto territus reſipuit, & ſacræ ſe jungens familiæ poſt quinque annos inter cœlites relatus eſt. *Vita.* Si hæc fecit infernus pictus, quid faciet verus conſpectus? B. Forſeus Hibernus inferni cruciatus, quos ſemel in mentis raptu viderat, ita acriter deinceps apprehendit, ut plenâ hyeme ſimplici quamvis veſte tectus eorum recordatione ſtatim toto corpore guttatim ſudaret. Si in viro ſancto ſola gehennæ memoria tantùm potuit, quid efficiet in damnatis? *Venerab. Beda in hiſt Angl. lib. 3. c. 19.*

Secundus ex primo oritur, *Horror & Fuga Peccati.* Dæmon in urbe Hiſpaniæ Huetenſi A. 1604. exorciſmis coactus voce contenta manúque Energumeni his populum eſt allocutus; *Vos omnes, qui me contuemini, moneo, peccata fugiatis, ne*

tis, ne ad pontem, ad Caſtellum, ad puteum, ad abyſſum, ad rotundam domum, ad ignem ſulphureum tandem rapiamini; tot enim ſunt tormentorum genera, ut ſi alicui animæ ad ſuperos inde remigrare liceret, nullus planè, cui cùm ea foret conſuetudo, damnaretur. Optarem quidem mille annis in inferno vivere, & tacere, quàm de his vos monere. Verùm id mihi invitò imperatum eſt. Annuæ Prov. Tolet. Collegij Huetenſis A. 1604.

Tertius. *In vita agere pœnitentiam. Quiſquis igitur peccato lethali obſtrictus eſt vel unico, maturet pœnitentiam. Satius eſt, & ſuavius*, ait Guericus ſerm. 4 de Purificat. *Fonte purgari, quàm igne.* Pœnitentiæ tempus nunc eſt, præoccupet pœnitentia pœnam; qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix; qui minora tormenta metuit, ad maxima deveniet; qui levem pœnitentiæ laborem fugit, graviſſimas Tartari pœnas incurret. *Nonnulli*, ait S. Gregorius, *dum temporalia adverſa pertimeſcunt, diſtrictioni ſe æternæ damnationis objiciunt: quantúmvis ergò laborem, quantámvis afflictionem & pœnam ſubire peccator ſit paratus, dummodò ab æternis pœnis liberetur.*

Finio conſiderationem hanc verbis S. Bernardi, qui dicta illuſtri oratione complexus eſt, *quis putas ibi tunc mœror erit? quis luctus? quæ triſtitia? cùm ſeparabuntur impij à conſortio Sanctorum & à viſione Dei, & traditi in poteſtatem dæmonum ibunt cum ipſis in ignem æternum: procul quippe à beata Paradiſi patria exulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem viſuri, nunquam refrige-*

rium

rium adepturi, ſed millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi. Vbi nec, qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi conſumit, ut ſemper reſervet; ſic tormenta aguntur, ut ſemper renoventur. Juxta verò qualitatem culpæ pœnam ſuſtinebit unusquisque gehennæ, & ſimilis culpæ rei ſui ſimilibus jungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur, niſi fletus, & planctus, gemitus, & ululatus, mœrores, atque ſtridores dentium: nihilque ibi videbitur niſi vermes, & larvales facies tortorum, atque teterrima monſtra dæmonium. Vermes crudeles mordebunt intima cordis; hinc dolor, inde pavor, gemitus, ſtupor, & timor horribilis. Ardebunt miſeri in igne æterno in æternum & ultra, in carne cruciabuntur per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem; ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis ſine ſpe veniæ, & miſericordiæ; ſic tamen morientur, ut ſemper vivant, & ſic vivent, ut ſemper moriantur. Ita anima peccatoris pro peccato, aut in inferno cruciatur, aut in Paradiſo pro bonis meritis collocatur. Nunc ergò alterum è duobus eligamus, aut ſemper cruciari cum impijs, aut perpetualiter lætari cum Sanctis. Bonum ſiquidem & malum, vita & mors ante nos ſunt poſita; ut, ad quod voluerimus, manum extendamus, ſi tormenta non terrent, ſaltem juvent præmia. Ita Sanctus *lib. de anima cap. 3.*

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO XV.

DE ÆTERNITATE.

Sepulchra eorum domus eorum in Æternum. *Pſal.* 48.

Et ſepultus eſt in Inferno. *Luc.* 16.

O ſepultura
Hujus Epulonis deteſtabilis!
à quibus
Igneo hoc tumulo fuit conditus?
à ſuis
olim blandis viventi amaſijs,
nunc diris carnificibus
Voluptatibus, & delicijs.
Scilicet extrema gaudij luctus occupat.
Prov. 14.
At quis ille luctus?
Infernalis, ineffabilis, ſempiternus:
Capis ò Homo
Quo hæc verba horrifica, terribiliſſima?
Nunquam.
Semper.
Ignis hujus ſtygij ſepulchri extinguendus
nunquam.

Ignis

Digitized by Google

Ignis uſturus ſemper, exuſturus nunquam.
Quamdiu ergò?
Arithmeticum te eſſe cupio, & conſulo;
Si potes,
Has ſequentes Summas collige,
Quot hæ cifaræ annos exprimant, effare.

100000000000000000000000000000000
0000000000000.

1000000000000000000000000000000000.

1000000000000000000000000000000000
0000.

10000000000000000000000000000000
00000.

1000000000000000000000000000000000
0000000000.

Plures non oggero.
Si vis
Imaginare tibi membranam è charta ſex ſolùm palmis latam, totum orbem terrarum circumdantem; quæ unâ ſolùm monade, ſeu cifara 1. inchoetur: dein tota nullis (ut vocant) oppleatur. Hunc numerum collige, & in certam redige Summam. Quâ finitâ putásne Epulonem ſuo ſepulchro egreſſurum, & flamma infernali, quam miſer pauculis annis fuit promeritus?
Deciperis
Extinquetur nunquam.
Ardebit.
Durabit ignis ſemper, torquebit ſemper;
Ardebit infelix,

O Numera

Numera ſi poteris
Pilos hominum, & beſtiarum omnium,
Plumas avium omnium,
Squamas piſcium omnium,
Grana ſegetum omnium,
Gramina camporum omnium,
Folia arborum, & fructicum omnium,
Guttas marium, fluminum, & aquarum omnium,
Arenulas littorum, & montium omnium,
Stellulas, & flocculos nivium, & lapillos grandinum omnium,
Litterulas librorum, & Bibliothecarum omnium.
Cogitationes hominum omnium, & volitiones, quas habuerunt, habent, & habebunt olim nati, viventes, & victuri,
Atomos in aëre, inſtantia temporum.
Esne par
vel unicæ hujus ſummæ aſſignandæ?
Si audes
omnes has Summas certo circumſcribere numero.
Videlicet
Conaberis ſcrobiculæ minutulæ vaſtum æquor includere.
Actum ages.
Et tamen etſi horum omnium anni effluxerint,
Clamabit Epulo
Crucior in hac flamma.
Ardebit ſemper,

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſepulchro egredietur nunquam.
Ergò
Æternùm infeliciſſimus eſt, qui ſe ob tantillum vitæ tempus æternis immerſit incendijs.
Æternùm ſtultiſſimus eſt, qui unius voluptatulæ causâ Tormentorum ſe reum fecit Sempiternorum.
Momentaneum quod delectat,
Æternum, quod cruciat.
Dum regnat in cœlo DEUS;
Damnatus ardet, ardet.

SENTENTIÆ.

FUmus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die, ac nocte. *Apoc.* 14.

Quærent mortem, & non invenient eam, deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. *Apoc.* 9.

Ignis nempe accenſus eſt in furore meo, & ardebit usque ad inferni noviſſima. *Deut.* 32.

Bibent nempe de vino iræ Dei, & cruciabuntur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum. *Apoc.* 14.

Uſque in æternùm non videbunt lumen. *Pſal.* 48.

Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant usque in ſempiternum. *Judith.* 16.

Æternitas eſt duratio immutabilis, indefici-

ens, carens ſucceſſione, tota ſimul exiſtens. *S. Thomas* 1. *par. q.* 10. *Artic.* 1. & 5.

Æternitas teſte S. Dionyſio *de Divin. nom. c.* 10. eſt immutabilitas, immortalitas, incorruptibilitas rei totius ſimul exiſtentis.

In æternitate nec præteritum qnidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit. *S. Aug. in Pſal.* 2.

Æternitas vitæ ſimul tota, & perfecta poſſeſſio eſt. *Boetius lib.* 5. *conſolat.*

Mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit. *S. Greg. in cap.* 8. *S. Matth.*

Anima in inferno poſita benè eſſe perdidit, at eſſe non perdidit: ex qua re ſemper cogitur eſſe, & ut mortem ſine morte, defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur, quatenus ei & mors immortalis, & defectus indeficiens, & finis ſit infinitus. *S. Greg. lib.* 4. *dial.*

Procul à Paradiſo exules cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi; ſed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi, ut ait *S. Bern. præced. Conſid. cit.*

O inſuperabiles fauces, immenſum gurgitem! ubi incluſus quis & detentus evadere aut auffugere nequeat. Inſuperabilis cuſtodiæ murus, immites cuſtodes, turbida pix atque torrens, fætens ſulphur, inexorabile decretum! *S. Cyrillus apud Raderum* 1. *part. virid.*

Verè quisquis ad intoleranda inferni mala deſcendit,

ſcendit, nequaquam ad lucem ulterius redibit; quia nequaquam ultra miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus juſtitia judicantis damnat: unde in gehenna miſeris erit mors ſine morte, finis ſine fine, quia ibi mors vivit, & finis ſemper incipit. *S. Gregorius lib. 9. Moral.*

Quid gravius immortalitate hac miſerabili? *S. Ambroſ. lib. de fide Reſurrect.*

Ubi nempe mors adeſt ad ſupplicium, & deeſt ad finem. *S. Auguſt. lib. 19. de Civit. DEI. cap. 28.*

Ubi nempe mors depaſcet eos, qui ſemper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. *S. Bern. ſerm. 1. de duplici cuſtod.*

Ubi dolor manet, ut affligat; & natura perdurat, ut vincat, quia utrumque non deficit, ne pœna deficiat. *S Aug. cit.*

Si damnatorum quiſpiam ita ploraret, ut ſingulis centenis annis nonniſi unam lacrymulam funderet; hæ autem guttulæ tot annorum centurijs aſſervarentur, ut demum mare aliquod æquarent. Eheu! quot milliones annorum revolvendi? dum vel rivulus, ne dum oceanus fiat; & verè tunc tamen æternitas primùm incipiet, ſed fiat & alius ſeu fluvius, ſeu mare, ex his tam raris guttulis colligatur; iterum toto illo tempore exacto dicendum erit nunc æternitas incipit, & ſic deinceps in infinitum. *S. Bonav. de Infer. cap. 49.*

Adamus Sasbout *homilia in Dominicam 1.*

Quadrag. Cogito, inquit, mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot ſunt momenta, ſeu puncta in toto tempore à condito mundo, uſque ad ejus conſummationem, & de æternitate nihil adhuc habeo. Nempe laborabunt in æternum, & vivent adhuc in finem. *Pſal.* 48.

Verùm, ut optimè S. Auguſtinus *in Pſal.* 90. ait, puerili more diſcurrimus, quando per longitudinem dierum, per longitudinem temporum, per ſæculorum durationem æternitatem explicamus; & tamen omnia alia dicimus, quàm æternitatem. Quidquid vis, dic de æternitate, quidquid vis, dicito, quia quidquid vis, minus dicis. Quid appendis ad infinitum quantumcunque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, ſi dicendum eſt millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non poſſunt.

Explicat S. Auguſtinum Ludovicus Granatenſis *lib.* 1. *Ducis pecc. Art.* 10. Noſti quid dicat Chriſtus: *Ite maledicti in ignem æternum*? Neſcit hic ignis finem. Tamdiu durabit, quamdiu DEUS erit. Adeò extenditur, ut ſi damnatus totis mille annis vel unicam lacrymulam funderet, plus aquarum effuſurus eſſet; quàm Oceanus occupat; quàm ipſum totum hoc univerſum ad firmamentum poſſet continere. Æternum! Æternum! ſola hæc æternitas res eſt adeò formidabilis, ut ſi omnis illius pœna non major eſſet, quàm muſcæ morſus, tamen intolerabilis eſſet.

Digitized by Google

eſſet. Nunc cùm ignis ibi, & omnis confluat cruciatus; meritò præ illo eligenda eſſent omnia hujus vitæ tormenta. Quisquis hic miſer eſt, ad breve tempus miſer eſt: quisquis in inferno miſer eſt, æternùm miſer eſt: ſine fine miſer eſt: miſerrimè eſt miſer. Poſtquam aliquis mille annis ibi fuit excruciatus; finis nondum eſt: imò poſt millies mille annos nihil ademptum erit de æternitate. Quis te verbis explicet ô Æternitas! Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. *Apoc.* 14. Quid eſt in ſæcula ſæculorum? vellem dicere: non poſſum dicere. Quamdiu Deus Deus erit, erunt & illa tormenta, quæ verbis explicari, aut mente concipi ſatis nunquã poſſunt. Væ damnatis nunc, & in perpetuum. Væ illis, qui nati ſunt, & mori non poſſunt. Mors ſine morte, finis ſine fine, vita ſine vita. Actum eſt. In ignem æternum miſſi ſunt. Heu illis! Heu illis! *Ita Ludovicus.*

Fruſtra ergò quæritur, quando infelices pœnis eximendi ſint. Noli quærere *Qvando* (ut monet S. Auguſt. in explan. Pſal. 109) Noli quærere *Quando.* Æternitas non habet. *Quando & aliquando* adverbia ſunt temporum.

Finio ergo, quia in æternitate, cùm finis non ſit, etſi de ea plura dicerem, non invenirem finem. Meditans pius de illa cogitet ſemper, & *annos æternos in mente habeat. Pſal.* 76. Ne crucietur & ardeat ſemper. Memor illius moniti S. Gregorij, *ante ſupplicium cogitet de ſupplicijs.* Memor S. Chryſoſtomi hom. 9. in 2.

in 2. Corinth. 5. *cùm tentatur à voluptate &c. Suave quidem*, inquit ſanctus Doctor, *hoc eſt, ſed non immortale epulari, cuticulam curare ſuave quidem eſt, ſed breve. Indulgere genio & delicijs ſuave, ſed non diuturnum; carnis petulantiam ſectari ſuave, ſed non perpetuum; abundare divitiis ſuave, ſed non æternum. Honorari, & laudari paſſim ab omnibus ſuave, ſed non æternum; pleráque omnia ex ſua voluntate facere ſuave, ſed non ſempiternum. At Divinis obtutibus privari acerbiſſimum, ſimul & perpetuum; ignibus inflammari infernalibus lugubre, & æternum. Ne igitur tam ſegnes ſimus, ut uno momento deliciemur, & infinitorum ſæculorum accerſamus nobis ſupplicium.* Hæc Divus.

HISTORIÆ.

THomas Morus Angliæ Cancellarius cùm in vinculis ipſi minimè ignominioſis, ſed ſanctitatis teſtibus detineretur; multis ab Aloyſia uxore ſollicitatus fuit; ut ſui ac ſuorum miſertus tempori ſerviret, & aliquid regiæ voluntati tribueret, nec oblatos honores, opéſque propoſiti ſui nimis tenax repudiaret. Ubi finit conjux, & *quot ergo annis me futurum ſuperſtitem cenſes ô mea Aloyſia?* cui illa promptè, *ô mi optime marite, ipſis facilè viginti & amplius.* Atque Morus *hoc igitur*, inquit, *agis, ut æternitatem totam vicenis annis commutem? Na tu mercatrix fores imperitiſſima nobiliſſimas merces triobulo*

bulo venditura; ſi viginti millia annorum dixiſſes, non adeò imprudenter fureres; ſed hæc ipſa viginti vel triginta annorum millia, quid oro ſunt ad æternitatem? punctulum, fumus, umbra, momentum, nihilum. Hanc ob cauſam ego vincula, & omnes vitæ calamitates lætus perpetior, quamdiu Deo viſum; modò mihi ſalvum ſit æternitatis præmium, illius jacturam vel minimam feciſſe eſt omnia perdidiſſe. Dixit, & verba generoſa morte firmavit. *Stapletonus in vita Mori, cap. 16.*

Refert Benedictus Renatus lib. 5. Magni Ordinis Chriſtianorum, hominem vanum, & impium, & ad mundi leges ex amuſſi factum, cui Fulco nomen, qui uti jejunijs ita vigilijs non aſſuetus, uti in alijs ſic & in ſomno nihil ſibi deeſſe patiebatur; una tamen nox illum deprehendit, quâ, ut aliàs, in utramque aurem ſtertere non poterat, vigilare illum cogebant inuſitata prorſus inſomnia, è latere in latus ſe vertit, nec tamen ſomnum conciliare potuit, diem eſſe voluiſſet. Hic Spiritus Domini flare cæpit, quamvis in ignota terra; nam cogitationes bonæ in iſto homine admodùm erant raræ. Incipit ergo è tædio vigiliarum cogitare varia. Inter hæc occurrit animo, *& quid præmij poſcis, ut ſic decumbas biennio, ac triennio continuo in tenebris, ſine amicis, in leni morbo, ſine ludo, & commeſſationibus in vinculis iſtis, ſed tamen etiam ſine conviviali, & theatrali hilaritate. Et certè ſolus eximius & immunis non abibo; in morbo cubare debebò velim, nolim, niſi morte re-*

Digitized by Google

pentina obeam, quod Deus nolit. Quem autem lectum habiturus ſum poſt mortem? corpus putreſcet ſub terra, ita omnes video tractari poſt mortem. Quid autem fiet anima in altero mundo? non omnes credo mortales uno loco conveniunt, ubi ergo illi? ubi iſti? an non præter cælum flammæ piaculares? ánne & inferi ſunt? ah qualis ibi lectus erit damnatorum, quot annis illic jacebunt? Chriſtus certè in ignem æternum non ſolum minatur mittendos impios, ſed mittit. Res nimis clara, nimis certa eſt: ergo in flammis æternùm ardebunt? ergò mille, & iterum, & iterum mille anni non ſufficient ad eluenda brevis vitæ peccata? æternùm ergo non videbunt ſolem, non cælum, non Deum, æternùm miſerrimi? ah! ah! His cogitationibus adeo inſomnis eſt factus, & vigil, eóque progreſſus, ut dies, noctéſque cæteras hæc cogitata æternitas illum fuerit inſectata. Voluit excutere moleſtos hos animi vermes omni recreationis genere, ſed non potuit. Tandem ſtatuit emendare vitam, & melioribus ſe ſtudijs dare. Fecit, quod decrevit, & ſacræ Ciſtertienſium familiæ ſe addicens probè vixit, piè mortuus eſt.

Similis Fulconi, quidam Juvenis luxurioſus dicebat ſibi, *velléſne pro totius mundi imperio jacere per triginta annos immotus in roſis? non vellem. Quæ ergò inſania pro modica voluptate in æternis jacere ignibus?* Reſipuit, mundo valedixit, ſacræ militiæ nomen dedit, & evaſit vir ſanctus, atque ſacri ſui Ordinis ſuperior. *Granata*

Digitized by Google

nata in duce peccat. lib. 1. *part.* 1, *cap.* 10.

Panormi in Sicilia detinebatur in carcere latro ſæviſſimus, & adeò truculentus, ut ipſo vultu aſpicientes terreret; qui nec verbum de Divinis rebus admittebat, ſalutem ſuam deſperatam eſſe arbitratus. Solebat è Soc. JESU Sacerdos unus ſtatis diebus ad carceres itare; qui de miſerando captivi ſtatu edoctus implorata prius Divina ope ſtatuit eum aggredi, cubiculum ejus ingreditur: quem ut latro conſpexit, ſtatim indignabundus, torvíſque oculis intuitus ſic occupat, *Quorſum tu ad me? quid tibi mecum negotij?* Pater nihil ea voce territus furentem accedit, ſereno vultu, & blandus in amplexus ruit, ac mollibus verbis iracundiam lenit, & frangit. Quid plura, verbo uno prorſus flexit, cùm ſententiam hanc *Momentum, unde pendet æternitas*; homini breviter explicuit, & amicè hortatus eſt, ſæpius ejus memor animo volveret diligentius. Is repente animo mutatus ita fuit, ut in genua provolutus ingenti lacrymarum, ac gemituum vi præteritæ vitæ ſcelera deplorans ea ſeriò ſit deteſtatus. Cúmque Chriſti Domini de Cruce pendentis ob oculos oppoſitæ imaginis aſpectu lacrymandi finem non faceret, cœpit etiam ſe elata voce præſentibus alijs de peccatis accuſare Sacerdote fruſtra id impedire conante. Tandem cubiculo egreſſus primò ad præſentes exclamavit: *Jam ſe expertum eſſe, quid in hominum animos poſſint Societatis JESV Religioſi.* Sub

hæc

hæc quicquid apud ſe habebat, in pauperes erogavit, tum denique peccata omnia pœnitentiæ Sacramento expiavit, & plures alios, ut idem facerent, adduxit. *Annal. Prov. Siculæ Colleg. Panormit. anno* 1604.

Momentum illud, quo terruit latronem Sacerdos, eleganter more ſuo deſcribit S. Auguſtinus in Pſal. 76. illa verba *Annos æternos in mente habui. Nunquid*, ait ſanctus, *anni, in quibus ſumus, æterni ſunt? aut in quibus fuerunt majores noſtri? aut in quibus futuri ſunt poſteri noſtri? abſit, ut æterni æſtimentur. Quid enim de his annis manet? Ecce loquendo dicimus hoc anno. Et quid tenemus de hoc anno præter unum diem, in quo ſumus? Nam ſuperiores dies hujus anni jam tranſierunt, nec tenentur, futuri autem nondum venerunt. In uno die ſumus, & dicimus hoc anno; imò dic hodie, ſi aliquid vis præſens dicere: Nam de toto anno quid præſens tenes? Quicquid de illo præteritum eſt, jam non eſt: quidquid de illo futurum eſt, nondum eſt. Quomodo hoc anno? corrige locutionem. Hodie dic. verum dicis. Hodie; jam dicemus. Rurſus & hoc attende, cum hodie hoc horæ matutinæ tranſierunt, horæ futuræ nondum venerunt. Et hoc ergo corrige. Hac hora dic. Et de hac hora quid tenes? Momenta ejus quædam jam tranſierunt, quæ futura ſunt, nondum venerunt. Hoc momento dic. Quo momento? Dum ſyllabas loquor, altera non ſonat: niſi cum alia tranſierit: Ipſa denique una ſyllaba ſi duas litteras habeat, non ſonat poſterior littera, niſi prior abjerit.*

rit. *Quid ergo habemus de his annis? Ita Divus.* Habemus momentum, & ferè nihil, & propter hoc æternum doleamus?

FRUCTUS.

PRimus. *Æternitatis memoria & cura.* P. Guilielmo Lamamoiarini inter varia, quæ pro felici morte collegit, fuit etiam memoria notorum & amicorum defunctorum, quos nominatim recenſebat, & ſibi ſæpiùs reſpondebat, *Nónne illos deſtituit tempus, nunc tenet æternitas? tenet, æternúmque tenebit.* Et iterum, *deſtituit eos tempus, habet omnes æternitas. I nunc Guilielme, fide tempori, procul credis æternitatem eſſe? quem non movet æternitas, aut fidem non habet, aut cor non habet.* Annuæ Prov. Auſtr. Colleg. Vienn. anno 1643. *Cùm noſtri finis dies advenerit, ubi erit, quod modo cum tanta cura quæritur, & cum ſolicitudine congregatur? non ergò honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur.* S. Gregorius. S. Bernardus in illa Pſalmi 90. *Longitudine dierum replebo illum. Quid tam longum, quàm quod æternum eſt? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis qui finem non habet. Verus dies, qui non habet occaſum, æterna æternitas, æterna veritas, ac proinde vera æternáque Societas.*

Secundus fructus. *Omnia ferenda ſunt propter æterni-*

Digitized by Google

æternitatem, & facienda. Vigilanti per cuncta opera intentio noſtra nobis penſanda eſt, ut nihil temporale in his appetat, ſed totum ſe in ſoliditate æternitatis figat. In omnibus ergò operibus tuis eſto perfectus, ora, ſtude, patere, certa, labora æternitati, vive DEO, vive cælo, vive æternitati. S. Greg. lib. 11. in S. Job. *Gaudes ad tempus, noli ibi fidere; triſtis es ad tempus, noli deſperare; non te corrumpat felicitas, non te frangat adverſitas: promittit Deus vitam æternam. Contemne temporalem felicitatem; minatur ignem æternum, contemne dolores temporales.* S. Aug. in Pſal 93.

Tertius fructus. *Habenda ratio temporis cùm laboremus pro æternitate. Vita noſtra,* ait S. Gregorius Nazianzenus in Sententijs, *quaſi mercatus eſt, cujus dies cùm abierit, tempus non amplius erit emendi, quæ velis, nunc ergò emendum eſt, dum ſunt nundinæ, nunc piè vivendum eſt, dum vires ſuppetunt. Hoc ipſum Eccleſiaſtes identidem inculcat, quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare. cap.* 10. Hoc ipſo temporis ſtimulo ſæpius nos urget Apoſtolus. *Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes, quia hora jam eſt de ſomno ſurgere. Tu dormis,* inquit Ambroſius, *& tempus tuum non dormit, ſed ambulat, imò volat. Benè illi, benè illis omnibus, qui hæc non cogitant tantùm, ſed & opus monſtrant, & ita vivunt, uti vixiſſe ſe volent, cùm moriendum erit, faciúntque ea quæ in æternitate conſtituti feciſſe ſe gaudebunt. Levis nunc neglectus æternum fit diſpendium.*

Finio hanc hebdomadam verbis Hieremiæ

Drexelij

Drexelij de Æternitate conſiderat. 1. *O æterne miſericors Deus! O æterna veritas! O vera charitas! O æternitas! Cæcitati noſtræ ſic medere, ut è præſentibus, & brevibus ærumnis agnoſcamus futuras horribiles æternas pœnas. Duc nos, & doce nos, ut bona peritura ſic poſſideamus, ne amittamus æterna; commiſſas noxas ſic lugeamus, ut ſupplicium evadamus æternum: ſic nos geramus in hoſpitio, ne manſionibus æternis excidamus. Sic progrediamur in via, ne repellamur è patria.*

APPEN-

APPENDIX
Primæ Hebdomadæ & vera Philoſophia Chriſtiani Hominis.

COMPENDIUM DICTORUM.

Liceat benevole Lector appendere appendicem, & veram Chriſtiani hominis Philoſophiam, cujusdam Aſcetæ pÿ calamo ſcriptam, quæ propoſitiones numero pauculas, ſed virtute efficaces refert, ut granum ſinapi inter olera minimum, ſed virtute maximum. Continet ferè ea, quæ hac hebdomade tractata ſunt, & erunt admodum utilia ad propoſita hoc tempore pientiſſimè concepta fovenda. Erit inſuper hæc appendix loco repetitionum præcedentium meditationum, quarum S.P. Ignatius in libello exercitiorum frequentem facit mentionem, atque eas non rarò præſcribit.

PROPOSITIO I.
Vita noſtra brevis eſt.

QUid eſt hominis vita? ſi ſapienti credimus Sap. 5. *Eſt nuntius percurrens, navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, avis quæ tranſvolat in aëre, ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, ſpuma gracilis, quæ procellâ diſpergitur, memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Quid eſt hominis vita? Ex

Ex ſententia S. Davidis. *Pſal.* 101. *Eſt fumus.* Juxta mentem Jobi *cap.* 14. *Umbra, folium, ventus.* Secundùm S. Jacobum *vapor ad modicum parens.* Quid denique vita eſt? Pyndarus ſomnium ſomnij appellat. Æſchylus umbram fumi. Juſtus Lipſius repræſentationem Comœdiæ, aut, ut verbo dicatur, pulchrum nihil.

Circa hanc propoſitionem ita homini ſapienti eſt ratiocinandum. Vita hæc noſtra brevis eſt; ejus ergò voluptates fœdæ, honores profani, divitiæ fluxæ, & quidquid hic in terris cum luna mutatur: fortiter contemne, quandoquidem res omnes eadem levitate tranſeunt, quâ nos ipſi; qui æquè citò finimur quàm vitæ momentum, cujus brevitati voluptas peritura innititur.

PROPOSITIO II.

Morte nihil eſt certius, nihil incertius.

Videris tibi paradoxa audire; ſed pronuntiatum ac ſententia eſt omnis provocationis impatiens *Morieris.* Sexies mille anni ſunt & amplius, ex quo hæc lex eſt mortalibus data omni ære, ac adamante firmior, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* S. Pauli vox eſt *ad Hebr.* 9. Sed ignoras, quando ſit hoc futurum, aut ubi, aut quo genere mortis ſis deceſſurus: num meridie, num veſpere, num prima, num altera noctis vigilia, num ſub auroram; utrum in juven-

tutis vere an verò hyeme decrepitæ ætatis, an domi, an foris, an ruri, an in urbe: an in patria, an procul ignotus: & quod majoris eſt momenti, neſcis an Dei amore, an odio dignus hinc ſis exiturus. Hoc mihi certum eſt te moriturum, ultra hoc quod aſſeverem, non habeo. Optimus Imperator Maximilianus I. quatuor ipſis ante mortem annis juſſit tumbam fieri, quam ſecum circumferret, quam ſemper in oculis haberet velut perpetuò voluiſſet ſibi occinere: *Maximiliane memento te moriturum*: eandem cogitationem & tu in animum admitte, quisquis hæc legis, & vigila, *quia neſcis diem neque horam.*

PROPOSITIO III.
Corporis Domicilium eſt Sepulchrum.

HÆc domus univerſis mortalibus attributa eſt, ut S. Job *cap.* 3. affirmat. Quorſum ergò tam ſumptuoſa palatia quæ ſtruis, cùm tam citò ſint deſerenda? in hac vita, non aliter quàm miles ſub tentorio habitas, cùm primum orbis univerſi Imperator jubet ſigna velli, & vaſa colligi, migrandum eſt; ut ad illam te domum diuturnam incola ſiſtas, in qua quantumvis molliter educatus dicas, *Putredini Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus, Job.* 17. I nunc, & ſerico te involve, plumis indormi, pretioſis ſtragulis tectus, *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ* 14. Quid agis inſane

ſane homuncio, quando poſthabita omnis mentis cura hoc unum agis, ut cuticulam cures, & ſagines? quid agis, inquam, aliud, niſi ut terræ vermibus tantò lautius convivium de te inſtruas, quantò exquiſitioribus ferculis te infarcis?

PROPOSITIO IV.
Anima ad hanc Vitam ad horrendum DEI Tribunal citatur.

SOla hæc recordatio terrorem mihi injicit; & tu fortaſſis metus omnis expers inter nugas, riſus, & jocos vitam traducis (& hoc parum eſſet) forſan etiam ſceleribus impiè fræna laxas. Audi igitur S. Joannem *Apoc.* 20. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Audi quid præclarè Papa Innocentius III. dixerit, *Domine*, inquiebat, *cuique homini formidabile eſt, tuis coram oculis in rei perſona comparere: cùm enim ſis potentiſſimus, nemo te poteſt evadere; cùm ſis ſapientiſſimus, nemo te poteſt latere; cùm ſis ipſa Juſtitia, nemo te poteſt corrumpere; coram tribunali tuo conſcientia ſumit partes accuſatoris, anima rei, ratio patroni, memoria teſtis, tu ipſe Judicis.* Unde mi Lector maturè à te ipſo rationem exige, quam olim reddes; dies enim judicij eſt incertus, ad quod forſan cras, fortaſſis hodie citaberis; neque ſpes eſt ejus aut evitandi, aut differendi, aut in hac ſu-

prema cura vadimonium deſerendi. Si ergò ſubitò correptus Deo Judici malè tibi conſcius eris ſiſtendus; quomodo feres irati judicis vultum, minis & indignatione plenum?

PROPOSITIO V.
Alia DEI ſunt Judicia, alia Hominum.

N*On ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic ſunt exaltatæ viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Iſaiæ 55.* Et illud verum eſt, *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur Cor. 1. Reg.* 16. Ille enim non niſi obiter levi oculo res percurrit, invidia aut diſtantia ipſarum à genuino obtutu prohibitus, at *Deus ſcrutatur renes.* Pſal. 7. & *Jeruſalem in lucernis.* Sophon. 1. Vis exemplum hujus? non longè illud petemus. Abbas Agathon morti proximus tres ipſos dies immotus jacuit apertis oculis; à ſocijs rogatus, quorſum animo fuiſſet abreptus, *Fui*, inquit, *ante thronum Dei Iudicis mei, rationem de minima cogitatione, & motu animi poſtulatus. Quid* aiebant illi, *adhuc times?* Reſpondit Agathon, *Negare quidem non poſſum, me pro viribus conatum fuiſſe Divinis mandatis obtemperare; ſed poſt omnem laborem homo ſum, neque ſum certus, num actiones meas Deus probaverit.* Mirantibus verò illis cur dubitaret opera Deo accepta fuiſſe: *quicquid*

Digitized by Google

quid dicatis, reſpondit bonus ſenex, *non poſſum mihi prius ſecuritatem polliceri, quàm Dei ſententiam intelligam mihi fuiſſe propitiam; alia enim ſunt Dei judicia, alia hominum.*

PROPOSITIO VI.

Felix & infelix Æternitas ab uno momento pendet.

AUſculta Danielem Prophetam *cap.* 12. *Multi, qui dormierunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, ut videant ſemper.* Audi nunc utramque Judicis ſententiam, quæ ad æternitatem ſpectat. *Venite,* dicet oviculis ad dexteram ſtaturis, *Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Matth.* 26. Inde converſus ad impios, qui erunt ad lævam eos terribili voce velut tonitru percellet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus* O æternitas beata iſtorum, horum infelix! *Impij*, ait S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 12. *Vehementer Iudicis juſti præſentiam formidant, quam probi deſiderant, & impatienter quodammodo exſpectant: ille enim dum conſiderat labores, præmium exſpectat, & bonitate cauſæ ſuæ fretus jam cuperet coram judice ſtare; ſed alter, qui ſuæ meminit iniquitatis formidat, ac refugit ſubire judicium timens, ne in examine ſua opera diſcutiantur: ſcit enim nimis quàm benè, ſi in ejus vitam inquiratur,*

ſe indubitatè æternùm periturum. Ecce duplicem æternitatem! quæ, ut nemo ignorat, à momento unico noſtræ vitæ pendet. Potes igitur quiſquis es, eſſe æternùm vel beatus, vel miſer; & hoc in tua ſitum eſt poteſtate. Quid inter utrumque eligis? ſed antequam reſpondeas, ne quid in tam gravi negotio temerè concludas, Divinum S. Franciſci oraculum audi; quod dein cum reliquis, quæ de æternitate paulò poſt referentur, expendere velis perquam diligenter.

Modica hîc voluptas, ſed poſtea pœna imenſa;
Modicus hic labor, ſed poſtea gloria æterna.

PROPOSITIO VII.

Infernus omnium rerum eſt maximè formidabilis.

O*Stendam vobis*, ait Chriſtus *Lucæ* 12. *quem timeatis, timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Et ſanè quavis ætate viri ſanctiores hoc timore, ac horrore concutiebantur. Audi S. Cyrillum, qui ejus recordatione, & metu conſternatus, *timeo*, inquit, *gehennam, quia eſt æterna; timeo infernum, quia immenſo ardore excruciat; timeo tenebras, quia non admittunt lucem; timeo vermem peſtiferum, quia rodet æternùm.* Conſidera S. Bernardũ hoc eodem horrore pallidum & exanguem, *Paveo* inquit ſerm. 16. ſuper Cant. *Gehennam, paveo Judicis vultum, contremiſco à dentibus*

tibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam; horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & ſulphur, & Spiritum procellarum, horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium? Quod ſi pænarum acerbitati inſuper æternitatem adjungas, hæc demum omnium infelicitatum eſt ſumma infelicitas. Quare

Homines Mortales,
Quibus animus immortalis eſt, conſiderate
attentis animis hanc vocem.
Æternitas
O
Æternitas
Quàm rarò in cogitatione mortalium
verſans!
Iterum dico
Quàm rarò in cogitatione mortalium verſans!
Æternitas! Æternitas!
O
Æternitas!
Quid dicam? & quomodo dicam? quis Verbis exprimet? quis animo
Contempletur?
Quid ſit
Æternitas.

Cogito mille annos; cogito centies mille annos: cogito millies mille annos: cogito centies millenas centum myriades millenariorum, totidem

Digitized by Google

tidem myriades ac millenarios annorum, quot herbæ è terra germinant, quot pabuli grana, quot guttæ ſunt maris, & necdum cæpi dicere, aut cogitare

Quid ſit
Æternitas, Æternitas.
O
Æternitas!
Æterna cæli gaudia
quis non amare vellet?
Orci perenni luctui
quis vellet intereſſe?
Quid volo dicere? quid poſſum cogitare?
Volo dicere, quod cogitare non poſſum:
Dum durat Ætas Numinis,
Felicitas manebit.
Dum durat Ætas Numinis,
Orcus reis nocebit.
Sed quanto tempore, quouſque durabis
Æternitas? Æternitas!
O
Æternitas!
Non aliter poteſt verbis explicari, aut animo
comprehendi,
Niſi ut dicatur, etſi, quod dicitur,
ignoretur,
Semper, & uſque, & æternùm.
O
Æternitas! Æternitas!

Æterna

Æterne DEUS
Hîc ure, hic ſeca, modò æternùm
parcas.
S. Auguſtinus

Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplationibus, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. 2. Corinth. 4.

Vis, & efficacia Meditationum primæ Hebdomadæ.

IN VIRGINE ROMANA.

ANno ſalutis humanæ 1626. vixit Romæ in Monaſterio Turris Speculorum appellata nobilibus orta parentibus Maria Bonaventura, inſigni ſpecie corporis, & raro ingenij acumine, ac judicio prædita; & ob generoſitatem animi, ac merum ſuavitatem cum eximia prudentia conjunctam omnibus valde chara: ſed ſpiritualibus rebus, ac perſonis parum addicta, ne dicam ab ijs abhorrens, & lætis converſationibus plus æquo dedita. Hæc cum caſu quodam mihi (ait Nicolaus Lanicius *Opuſc. Spirit.* 6. *cap.* 20.) quem paſſim fugiebat, confiteri cæpiſſet: viderémque in ea indolem naturæ ad præclara quæque aptiſſimam; traditurus Supe-

riorum juſſu multis in eo monaſterio Monialibus ſpiritualia Exercitia, ſuaſi Mariæ Bonaventuræ, ut ijs ipſa quoq; ſe ſineret excoli. Reſtitit initio, & cum cachino quodam conſilium rejecit. Tandem alijs quoque Monialibus ſuadentibus manus dedit. Valde repugnante natura, quam tamen ut pro DEI amore vinceret, ea ut ipſi quóque traderem, me rogavit. Primo die cùm per horas aliquot ſumma mentis attentione in prima meditatione fundamenti, ac finis, ad quem creata erat, excellentiam ponderaſſet, & mediorum ſibi cælitus conceſſorum, & à ſe neglectorum multitudinem, & efficaciam ad conſecutionem hujus finis, deplorato inprimis tam ſegni, & inerti tot beneficiorum abuſu, & mediorum neglectu ruminaſſet: tanto derepente lumine, & fervore repletam ſe divinitus ſenſit, ut generoſiſſimè ſtatuerit perfectiſſimam vitæ rationem ab anteacta planè diverſam amplecti, atque omne tempus futiliter, & inutiliter deperditum inſigni fervore Spiritus reſtaurare. Tum ſtabilita coram DEI hac reſolutione illo ipſo die hunc animi ſenſum, & meditationis ſucceſſum mihi aperuit his verbis. *Pater oportet non amplius jocari cum DEO; agnovi, quid à me velit DEUS, quid nolit. Volo tota eſſe DEI, & totis viribus conari, ut ob majorem DEI gloriam ſine ulla mora ſancta evadam, non qualiſcunque, ſed magna, & citò.* Inde ſe læta in cubile ſuum recipiens re cum nullo communicata hanc ſui oblationem fecit poſt mortem primùm repertam. *Ego Maria Bonaventura*

ventura ſerva indigniſſima Crucifixi, qui motus infinita ſua pietate dignatus eſt hoc die Veneris 4. Martij 1626. dum Exercitia facio, dare mihi tantum robur, poſt multas, & infinitas inſpirationes, quibus ingrata ſemper reſtiti, convicta tamen à Divina Gratia in conſpectu SS. Trinitatis, B. Virginis meæ Matris, S. Franciſcæ, & S. Mariæ Magdalenæ meæ peculiaris advocatæ, & totius Curiæ cæleſtis, propono tibi, & offero IESV ſponſe animæ meæ, à me infinities offenſe, nunquam amplius tradendi affectum ulli creaturæ extra DEVM, ubi agnovero offenſam intercedere, & tui ſervitij remoram: quod propono, & deſidero obire cum maximo, quo poſſum, ſervore, adjuta Divina gratia tua, ſine qua cognoſco ne minimam quidem cogitatinem me poſſe dirigere ad cælum. Et hanc oblationem DEVS meus, & propoſitum, quod facio, avellendi me à rebus omnibus, quæ me poſſunt à tuo elongare ſervitio, tam libenter facio; ut ſi poſt mea obſequia tota vita mea impenſa volueris me detrudere ad infernum, ero contentiſſima, dummodo in me tua ſanctiſſima voluntas adimpleatur. Quocirca Scripturam hanc meam mea propria manu tibi dono & conſigno IESV creator, & animæ meæ redemptor, eámque in ſanctiſſimo tuo latere depono, rogans per pretioſiſſima merita Sanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata mea, nec permittas dilecte DEVS meus te unquam amplius à me offendi, cùm amplius non ſim mea, ſed tua, Amen. Conſtans hic fuit fervor, & ſanctiſſimis fructibus uberrimus. Primò conſervando animam in ſumma puritate, ita ut teſte confeſſario à deliberatis Venialibus omnino immu-

immunis fuerit. Secundò attendendo paſſionibus naturalibus, ut non tantùm ad culpam non pertraherent, ſed neque quietem turbarent. Tertiò vitando omnes res in ſe quidem non malas, minus tamen rationi, & decentiæ congruentes.

Propoſuit inſuper omnes internas, & externas actiones facere modo perfectiſſimo poſſibili, habendo pro idea, & exemplari non tantùm Sanctos ſed ipſum DEUM hominem.

Secundò, Amare Crucem in omnibus, ac per omnia cum deſiderio plurima patiendi pro DEO, & omnem poſſibilem amaritudinem ſine ulla excuſatione, animo libenti, absque ulla mercede, aut præmio gloriæ propoſito, ut citò ad magnam Sanctitatem pervenire poſſet.

Hæc ita conſtanter, ac ferventer ſervavit, ut nullam inſpirationem Divinam reſpuerit, aut diſtulerit, atque ex eo tempore ita immutata fuit, ut omnes inordinatas affectiones (multorum annorum conſuetudine roboratas) animo extirparit, nunquam poſtea de ulla re queſta, nulla unquam caſu perturbata, nunquam vel minimum temporis otioſè tranſegit, nunquam ullius dicta, vel facta verbo, aut mente etiam interius perſtrinxit, à colloquijs ſæcularibus ſe totam ſubduxit, ne viris quidem illuſtribus locuta. Quidquid in cella pretioſum, aut affectui gratum fuerat, eliminavit Nullam unquam in oratione tædium, ſed guſtum perpetuum habuit precibus continuò addicta. Bis quotidie per longum temporis ſpatium in ſe flagellis ſæviebat, ad culi-

næ

Digitized by Google

næ intima miniſteria ſe abijciebat; fætidam ſaniem ex ulceroſis ægræ manibus exſuxit.

Ut pro tempore vanitatibus dato ſatisfaceret, à DEO dolores expetijt, & exaudita pleuritide, alijsque acerrimis doloribus ultimo vitæ ſuæ tempore fuit afflicta, & exlamavit: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. O amplius! O amplius Domine! O Dilecte mi! quando te videbo?* obijt demum Sanctè. Hæc aliáque, quæ apud Lancicium citatum fusè legere eſt, meritò tepidos excitent, ferventes magis inflamment. Non pudeat fæminam ſequi tanti Ducem facti. Nulla fax, quæ in via virtutis prælucet, reijcienda eſt.

HEB-

Digitized by Google

HEBDOMAS II.
EXERCITIORUM SPIRITUALIUM S. P. IGNATII.

PRÆFATIUNCULA.

AGnito fine, ad quem conditi ſumus, & perſpecta gravi deviatione, qua ab illa aberravimus; inſuper exutis inordinatis affectionibus actualibus per confeſſionem, habitualibus verò ſaltem affectu, & deſiderio: ſupereſt, ut alacri, & ferventi animo reditum ad eum finem cum filio prodigo moliamur, & dirigamus pedes noſtros in viam pacis, Lucæ. 1. *Ad quod ille nobis in ducem, exemplum & viam proponitur hac hebdomade altera, qui de ſe ipſo dicit Joan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me; *in quem proinde*, ut in Authorem Fidei, & Conſummatorem aſpiciamus *Ad Heb.* 12. *Atque* exuti veteri homine induamur Dominum JESUM Chriſtum, ad ad Rom. 13. *Propter hanc cauſam hæc altera hebdomas reſpondet viæ Illuminativæ, quia Chriſtus eſt Sol Juſtitiæ*, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1. *Similiter in hac, & ſequenti hebdomada conſiderandum DEI exemplum Servatoris, & omnes virtutes, tum in vita, tum in Paſſione exercitas, quæ in Eo tanquam*

Idea perfectiſſima fulſerunt; nos quoque diſcimus, in quo conſiſtat Salus, & Perfectio hominis, & quæ ſit via ad æternam Beatitudinem conſequendam.

CONSIDERATIO I.

Contemplatio Regni JESU Chriſti.

PRO hebdomade hac, & tertia Exercitiorum S. Ignatius iſtam contemplationem tanquam fundamentum cæterarum meditationum propoſuit; ut oſtenderet omnibus Chriſtum ſecuturis, ſub quo Duce eſſent militaturi, & qua conditione bellum geſturi. Ea nimirum qua cernerent ipſum Ducem uſurum iiſdem armis, iiſdem medijs, eodem victu, habitu &c. Adeóque Chriſtum Dominum imitarentur, qui primus Mundum & Satanam eſſet aggreſſurus, & debellaturus; ſicque aſperiora viarum complanaturus, ut ad certam victoriæ ſpem generosè ſubſequerentur. Cujus ſequelæ neceſſitas, utilitas, Gloria adeò magna eſt, ut nullus (niſi effrons & demens) refragari poſſit. Nullus niſi in DEUM impius, & ſuæ ſalutis contemptor recuſare. Cùm ipſa Veritas Matth. 12. dicat, *qui mecum non eſt, contra me eſt.*

Exem-

Digitized by Google

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Joan. 14.

O Miles Chriſtiane
Quid faceres, ſi te quiſpiam Regum nobiliſſimus, opibus, potentia, clementia, & omnibus dotibus tanta fortuna dignis præditus in belli ſocietatem vocare dignaretur? & quidem conditione
Optatiſſima, honeſtiſſima.
Iiſdem nempe cum tanto Principe armis,
Eadem menſa, eodem habitu, & tentorio
Uſurus:
Ille verò ſe periculis primus offerret, hoſtes adoriretur, in vigilijs, laboribus, difficultatibus dux eſſet, & anteſignanus.
Nec tu plus teneberere præſtare, quam Regem videres agere.
Futurus dein eſſes omnium victoriarum, triumphorum, & rei optimè geſtæ fructuum ſocius;
Imò durante bello, & poſt victum hoſtem
Futurus Collega Regni, frater, filius.
Quòd ſi verò has conditiones recuſaveris, audies rebellis, hoſtis, & in exilium ejiciere.
Reſponſum à te non exigo;
Certus, ſi vel gutta ſanguinis generoſi circa cor tuum bullit,

Te

Digitized by Google

Te in tam dilecti Regis verba juraturum.
Sequêris Ducem Machabæum, & *præliaberis prælia Iſraël cum lætitia.* 1. *Mach.* 3.

O anima mea!
Si Regi terreno ſubditi, homini homines, Domino ſuo ſervi tam fideles ſunt, tam prompti ſe ejus obſequijs addicunt:
Quid agendum erit tibi?
Quam ad ſocietatem armorum, & triumphi invitat *conſtitutus à Deo Rex ſuper Sion, cujus regni non eſt terminus,* *Pſal.* 2.
non eſt finis. *Lucæ* 1.
Cujus thronus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum. *Pſal.* 90.
En te vocat ad ſigna ſua *Rex Regum,* *Apoc.* 19.
& Dominus dominantium, qui eſt
Rex magnus ſuper omnes Deos. *Pſal.* 44.
Vocat te conditione honeſtiſſima.
Ut quemadmodum ille facit, & fecit, tu facias. *Jo.* 14.
Socius laborum, ſocius præmiorum.
Socius pugnæ, ſocius triumphi.
Quò duci ſimilior, eò eidem gratior, & felicior.
Nihil hîc, *Hic*, et ſi tantus, peculiare arrogat; excipit, niſi labores majores.
A nullo ſe eximit periculo, diſcrimine, imò ſe his primus objicit, & majora ultro ſubit diſcrimina.
Duriora occupat, ut tibi relinquat leviora.
Imò
Admirare bonitatem Ducis admirabilem,
Hoſtem prius debellat.

Q Con-

Digitized by Google

Confidite, ego vici mundum, *Joan.* 16.
Ut cum victo, & debellato ſibi ſit pugna.
Quàm facile eſt inſultare
Leoni mortuo?
Hoſtem prius Dux fugat, & ejicit:
Jam Princeps hujus mundi ejectus eſt foras.
Quàm facile eſt fugare fugientem?
Et tamen te victorem Dux coronabit.
Et tamen tu delicatule
Detrectabis ſequi tam ſtrenuum, & amantem Imperatorm?
Num *major es Domino tuo ſerve* vilis? Matth 10.
Num *ſuper Magiſtrum tuum Diſcipule* ignave? *Ibidem.*
En
Ducem tuum perſecuti ſunt hoſtes, blaſphemarunt. *Joan.* 15.
Et tu vel nomen perſecutionis horrebis?
Crucem bajulat Rex tuus, & tu plumulas ſomnias?
Spinas amplectitur, eas in ſuo capite geſtat caput tuum:
Et tu membrum delicatum roſas prenſas?
Pugnat Imperator generosè, fundit ſanguinem, vulneratus ſe morti objicit.
Et tu mollis miles pugnam detrectabis? ſtertes?
Et tamen
Cum duce tuo Victore *Leone de Tribu Juda* *Apoc.* 5.

voles

Digitized by Google

voles triumphare?

Inertiſſimus, & timidiſſimus lepuſculus
ſpe falſa te lactas?

*Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me,
non eſt me dignus.* *Matth.* 10.

Nemo coronabitur, niſi qui cum Chriſto,
& pro Chriſto *legitimè certaverit.* 2. *Cor.* 2.

Imò ſi nullus triumphus expectaret,
Si te certantem corona nulla maneret;
Quanta gloria foret à tanto Rege ſocium
armorum legi, & commilitonem?
Tanto Principi jungi? adeſſe?
In ejus conſpectu præliari?
Ab Imperatore tanto laudari, prædicari?

Rurſum

Nunquid animoſis militibus ſufficit, ſi innuat
Dux, quid faciendum ſit?
Tibi Chriſtus non innuit ſolùm, ſed exemplo
præit. Ipſe primus fecítque, tulítque,
quod tu deinde faceres, ferréſque.
Minitatus inſuper eſt inobedienti, & pigro
Exitium æternum.

Inſpice ergò

Et *fac ſecundùm Exemplar, quod tibi in monte
monſtratum eſt.* Exodi. 26.

Totam vitam Jesu reſpice, & imitare.

Aliàs

**Aut opus erit deponere nomen Chriſtiani,
aut aſſumere, quæ Chriſtianum faciunt,
Si ſequi Chriſtum nolis; dic quem ſecuturus ſis?**

Digitized by Google

Neceſſe erit ut ſequaris Diabolum principem hujus mundi.

Qui non eſt mecum, contra me eſt. Matth. 12.

Duo hæc neceſſariò copulantur, & ſe amplectuntur

Sequi optimum, fugere peſſimum.

Sequi DEUM fugere Satanam.

Sive

Quod horrendum eſt vel cogitare ſolùm.

Duo hæc neceſſariò copulantur, & ſe amplectuntur

Sequi Satanam, fugere Chriſtum.

Amare mortem, odiſſe vitam.

Et eum, *qui eſt via, veritas, & vita.* Joh. 14.

Eheu!

Quanto damno, & exitio?

SENTENTIÆ.

SI quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Matth* 16.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. *Matth.* 17.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. *Matth.* 21.

Qui dicit, ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ipſe ambulavit, ambulare. 1. *Joan.* 2.

Debent nimirùm conformes fieri imaginis Filij Dei, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. *Ad Rom.* 8.

Fecit

Digitized by Google

Fecit ſe ſicut te, ut te faceret ſicut ſe. *B. Laurent. Juſtin. in faſciculo amoris cap.* 12.

Qui vult imitari Chriſtum, is prius faciat, quàm dicat, & plus faciat, quàm dicat. *S. Joan. Columbanus.*

Quàm pauci poſt te Domine JEſu ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo ſit qui nolit: volunt omnes te frui, & non imitari; conregnare volunt, ſed non compati: ex ijs ille erat, qui dicebat, *Moriatur anima mea morte juſtorum &c.* optabat ſibi extrema juſtorum, ſed non ita & principia. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire. Cupientes conſequi, ſed non ſequi. *S Bernard ſerm.* 21. *in Cant.*

Ecce parvulus in medio ſtatuitur, ſtudeamus effici, ſicut parvulus iſte. Diſcamus ab eo, qui mitis eſt, & humilis corde; ne magnus ſcilicet Deus ſine cauſa ſit factus parvus homo; ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. *Idem ſerm.* 3. *ſuper Miſſus.*

Quæ mors acerbior eſſe poteſt, quàm ſine Chriſto, ubi ſemel eum deguſtaveris vivere, eúmque deſerere, ut tuas ſequaris cupiditates? Mihi crede, nulla crux eſt cum hac cruce comparanda. *S. Xaverius vet. ep. lib.* 1. *ep.* 1.

Quà vis ire? ego ſum via: quò vis ire? ego ſum veritas: ubi vis permanere? ego ſum vita. Ambulare vis? ego ſum via. Falli non vis? ego ſum veritas: mori non vis? ego ſum vita. *S. Auguſt. ſuper Matth. cap.* 5 Qui *ſerm.* 55. *de verbo Domini cap.* 4. ſic loquitur: Chriſtus veritas, &

Digitized by Google

vira eſt: aſſumendo hominem factus via eſt: ambula per hominem, & devenies ad Deum, per ipſum vadis, ad ipſum vadis. Noli quærere, quà ad ipſum pervenias præter ipſum. Si enim via eſſe noluiſſet, ſemper erraremus Factus eſt ergò via, quâ venias. Non tibi dico, quære viam, ipſa via ad te venit; ſurge, & ambula, ambula moribus, non pedibus; multi enim ambulant benè pedibus, ſed malè moribus, aliquando enim ipſi ambulantes præter viam currunt, benè currunt, ſed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant, quia à via recedunt. Melius eſt in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.

Omnia Chriſtus eſt nobis, ſi vulnus curare deſideras, Medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt: guſtate igitur, & videte, quia ſuavis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo. *S. Ambroſius.*

Tibi Chriſtus Rex eſt, tibi Sacerdos, tibi Paſtor, tibi ſacrificium, tibi Agnus, tibi totum factus eſt, qui fecit totum, & qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur. *S. Petrus Chryſolog. ſerm. 23.*

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ.

Qui dixit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare. 1. Joan. 2.

GOsbertus quidam è Ciſtertienſi Ordine converſus poſt obitum ab Angelis ad Beatiſſimam Virginem deductus, & ad pedes ejus reſidens, cùm illic mirâ jucunditate frueretur, juſſus eſt ad corpus remeare poſt triduum ad eadem gaudia rediturus. Id temporis adſtantes teſte Cæſario *lib.* 11. *cap.* 1. ita eſt allocutus: *Vos Domini numeratis annos converſionis veſtræ, alius quadraginta, alius triginta, alius decem, ego verò vobis dico beatum illum eſſe, qui benè uno anno, vel menſe, vel quod minus eſt, unâ hebdomadâ in Ordine eſt converſatus*: qui ſcilicet, ut alteri converſo Rudolpho ejusdem Ordinis oſtenſum eſt, converſatione ſuâ Chriſtum expreſſerit. Vidit enim ille orans nocte loco patenti Chriſtum crucifixum, luce circumfuſum, & undecim circa illum ſuis quemque crucibus ſuffixos: cùmque ad hoc ſpectaculum ſtuperet, dixit ad eum Chriſtus: *Noſti Rudolphe, qui ſint hi, quos circa me vides crucifixos?* Reſpondit ille, *novi Domine, ſed quid ſibi hoc velit, non intelligo.* Subjunxit Dominus: *Hi ſoli ex omni congregatione mecum crucifixi ſunt vitam ſuam meæ paſſioni conformantes.* Idem lib. 8. cap. 18.

S. Magdalena de Pazzis ajebat futurum, ut in die judicij multos conſpecturi ſimus ad altiſſimum gradum felicitatis everſos, quos hìc contemptui habuimus; qui in altera vita ad menſuram Imitationis, conjunctionis, ac conformationis cum Chriſto gloria rependetur. Hinc addebat. Etſi ſciret unius verbi pronuntiatione Majorem Seraphinis gloriam promovendam: ſi tamen ex charitate erga Chriſtum, & conformitate ad ejus actiones non maneret, ſe id verbum hac ratione non dicturam, ne Chriſto, qui omnia ex amore in Patrem operatus eſt, eſſet diſſimilis. *Vita.*

Unus aliquis ex Primatibus regni P. Petrum Fabrum è Soc: JESU Madriti convenit, ab eóque formulas quaſdam precandi, & puncta piè ruminanda ſibi aſſignari depoſcebat. Cui ille ad imitationem Chriſti eum excitaturus, *Hac*, inquit, *tecum quandóque perpende; Chriſtus in ſumma inopia, ego in ſumma opulentia; Chriſtus in fame & ſiti, ego in exquiſitis epulis; Chriſtus nudus, & ego pretiosè inveſtitus; Chriſtus in doloribus, ego in delicijs.* Hiſce inſtructus abijt, nec multò poſt dum ad lautiſſimum convivium adhibitus cupedias, & luxum admiratur, unum è quatuor punctis animum ſubijt: quo ita compunctus fuit, ut in uberrimas lachrymas effuſus menſa aſſurgere, convivas deſerere, ad ſolitudinem ſe recipere coactus fuerit; ut privato dolori liberius fræna laxaret. *Pennequin in amore Divino part. 2. cap. 6.*

An-

Digitized by Google

Antonius de Cartenas inter ſacrum audiendum vehementi impulſu audire viſus eſt vocem dicentis *Sequere me.* Ignotus quidam ſed celebratæ virtutis vir illi hactenus etiam ignoto, *Domine de Cartenas*, inquit, *te DEVS vult habere in Societate IESV, ad ejus verò ſocium, te autem in Ordine S. Auguſtini. Nadaſi. 21. Aprilis.*

Fructus Meditationis de regno JESV Chriſti.

PRimus. Chriſtum ore, & opere imitari. *Ecce vox omnium Chriſtum clamat, vita omnium non clamat, plerique Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* S. Greg. homil. 19. in Evang. Thomas de Kempis de Imitat. Chriſti lib. 2. cap. 1. docet modum imitandi, dum ait. *Chriſtus pati voluit, & deſpici, & tu audes de aliquo conqueri? Chriſtus habuit adverſarios, & oblocutores, & tu vis habere omnes amicos & benefactores? unde coronabitur patientia tua, ſi nihil adverſitatis occurrerit. Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Chriſti? Suſtine te cum Chriſto, & pro Chriſto, ſi vis regnare cum Chriſto.*

Secundus. Neceſſitas imitandi Chriſtum. Qui verè ſequitur Chriſtum, & dicit ſe in Chriſto manere, *debet ſicut ille Ambulavit, & ipſe Ambulare. 1. Joan. 2.* exercendo videlicet quod docuit, & ſperando, quod promiſit. *Cui* (ut S. Auguſtinus *in Pſal. 63.* ait) *parum erat hortari nos verbo, niſi firmaret exemplo. Debet* inquam, *non enim*

alia eſt ad ſalutem Via, præterquam hæc unica. Quare debet? Cum hæc ſit una unica; ſi aliam graditur, errat? Non ſequitur Chriſtum per ſpinas incedentem, qui viam ſibi roſis ſtratam eligit. Per crucem oportebat Chriſtum intrare in gloriam ſuam; ſi eum ſequeris, ſi gloriam deſideras, per Crucem ſequere, per Crucem intra, aſſecla Chriſti non eſt, & toto aberrat cælo; qui viam Crucis non tenet.

Tertius, *Magna eſt gloria ſervi ſequi Dominum ſuum.* Imitatio Chriſti non ſolùm neceſſitatis eſt, ſed & dignitatis, atque in hoc maxima pars difficultatum tollitur & aliarum ſufficiens pretium datur. Si gloria eſt imitari Chriſtum, non erit arduum ferre opprobria, & contemptus hominum: ſiquidem iſtud honor erit ſummus, cùm non ſit contemptus, ubi eſt dignitas. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit.* 1.Pet.4. O quàm beatus, & glorioſus eſſet ille qui verè diceret. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus:* Mortificationem JESU in corpore meo circumferens, & in corde inſculpens!

CON-

CONSIDERATIO II.

DECRETA INCARNATIO VERBI DIVINI.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Juſtum. Iſaiæ. 45.

O Miſerationum Domine! *Iſaia* 63.

O Pater miſericordiarum, & DEUS totius Conſolationis! 2. *Cor.* 1.

Num in perpetuum obliviſceris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum?

Thren. 5.

Operi manuum tuarum non porriges dexteram?

Job. 14.

Operi tuo conquaſſato?

Creaturæ tuæ afflictiſſimæ?

Homini calamitoſiſſimo?

Peccavit impius, reus eſt læſa Majeſtatis.

Sed

Nunquid Domine tua læſa Majeſtas eſt etiam infinita Miſericordia, cui proprium eſt ſemper miſereri, & parcere?

Non meritus eſt veniam inobediens, & rebellis

Fateor, ah Fateor!

Sed ideò eget magis gloria DEI, gratia, & Clementia tua, *ad Rom.* 3

Cujus

Cujus munus eſt ignoſcere peccanti.
Ubi nocens non eſt, ibi nec clemens eſt.
Seipſum homo ſponte in has miſerias præcipitavit.
Agnoſcit ſtultitiam ſuam Reus,
Laudabit te extractus, & miſericordias tuas in æternùm cantabit gratus.

Pſal 88.

Maxima erit miſeratio, quia maxima eſt miſeria.
O Clementiſſime DEUS!
Ubi miſericordiæ locus erit, ſi abſens ſit miſeria?
Serviat homo peccato, à quo victus eſt, & cum eo luat, quem imitatus eſt prævaricantem.
O Benigniſſime DEUS, Pater miſericordiæ!

Sap. 9.

Nunquid hæreditatem tuam delebis, & claudes ora te canentium? *Eſther.* 14.
Nunquid cùm iratus fueris, miſericordiæ non recordaberis? *Habac.* 2.
Nunquid facies hominem, quem creaſti ad laudem tuam, gaudium ſempiternum inimicis tuis? *Eccl.* 18.
Ut uſque & uſque dicant Prævaluimus adverſus eum. *Pſal.* 12.
O Numen ter optimum! *Num.* 14.
Patiens, & multæ miſericordiæ! *Ioel.* 2.
Exaudi de habitaculo tuo, id eſt de cælo, & propitiare. 2. *Paral.* 6.
Miſericordia tua plena ſit terra. *Pſal.* 32.

Ex-

Digitized by Google

Excita potentiam tuam, & veni, ut
ſalvos facias nos. *Pſal.* 79.

O nos felices!

Quid audio?

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.
Pſal. 11.

Educam de concluſione vinctos, de domo, carceris, ſedentes in tenebris.
Iſaia 42.

Læſus eſt peccato DEUS; ſatisfaciam DEUS.
Factus eſt homo reus, fiat homo DEUS, ut liberetur reus. *S. Auguſt.*

Cecidit homo miſerabiliter, deſcendat DEUS misericorditer. *S. Auguſt.*

Cecidit, quia ſe extulit ſuperbus Demittam me, ut erigatur lapſus.

Peccavit Caro, Mundet Caro. *Idem*

Ut ſatisfaciam Juſtitiæ, DEUS pro reo patiar, ut poſſim ſatisfacere, patiar homo DEUS,

O miracula! O prodigia!

O immenſa Beneficentia miſericordiarum Domini!

Cui ceſſerunt Omnipotentia Divina, Juſtitia Infinita.

O ingenium amoris Divini!

Ut redimeret homo, factus eſt DEUS Homo, ut dare poſſet DEO placationem ſuam.
Pſal. 49.

Verè

Abyſſus

Digitized by Google

Abyſſus infinita abyſſum invocavit
infinitam. *Pſal.* 41,
Juſtitiam Miſericordia.
Miſericondias igitur Domini in æternùm
cantemus. *Pſal.* 88.
Benedicentes Dominum exaltemus ipſum,
quantùm poſſumus; major eſt enim
omni laude. *Eccli.* 43.
Quia feciſti in nobis Domine DEUS noſter ſecundùm Omnem bonitatem Tuam, & ſecundum Omnem miſerationem
Tuam, illam Magnam.
Baruch. 2.
Sic enim dilexit DEUS nos, ut Filium ſuum
Unigenitum daret. *Joan.* 3.

SENTENTIÆ.

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis Joan. 1.

MAgnum opus Sapientiæ Divinæ: in quo miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, Juſtitia & pax oſculatæ ſunt. *Pſal.* 84.

Cùm in forma DEI eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *ad Philip.* 2.

Curſum naturæ mutavit Sapientia DEI, & ubique Divinitas dilatata, ſic eſt circumdata muliebri

Digitized by Google

muliebri utero; cùm univerſa ambiret, implens omnia, & excedens cuncta, & intra ſe omnia continens, & extra ſe univerſa complectens. Opus igitur ſuum refecit, quod creavit, & ſalvans, quod perierat, & ad vitam revocans, quod mortuum erat. *S. Aug. ſer. 4. de Nativit. Domini.*

Niſi Chriſtus eſſet verus DEUS, remedium nobis non afferret, niſi eſſet verus homo, nobis non præberet exemplum. *S. Leo ſerm. 1. de Nativit. Domini.*

Niſi DEUS ſuſcepiſſet humanam formam, nunquam homo ad cæleſtem pertingeret gloriam. Niſi DEUS humiliaretur infra ſe, nequaquam homo exaltaretur ſupra ſe; & quid amplius dicam, niſi paulò minus minoratus eſſet DEUS homo, nunquam Angelis æqualis fieret purus homo. *S. Pet. Damian. ſerm. 1. de S. Severo.*

Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam DEUS voluntatem tuam. *Pſal. 39.* De his S. Bernardus *ſerm. 1. de adventu.* quid agat filius pro ſe videns zelare patrem, & nulli penitus parcere creaturæ. Ecce inquit, occaſione mei creaturas ſuas Pater amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum, qui ſibi crederet, habuit; ſed continuò Patris Zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus ſuis plaga incurabili, caſtigatione crudeli. Scientiam, quæ nihilominus mea eſt, ſurripere homo voluit; & ne illi quidem miſertus eſt, nec pepercit oculus ejus. Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis

pari-

participes, Angelum videlicet, atque hominem: ſed ecce propter me perdidit Angelos multos, homines univerſos. Ergò ut ſciant, quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo propter me amiſiſſe videtur. Si propter me tempeſtas hæc orta eſt, tollite me, & mittite me in mare; omnes invident mihi, ecce venio, & talem eis exhibeo memetipſum, ut quisquis invidere voluerit, quisquis geſtierit imitari, fiet ei æmulatio in bonum. Hæc Sanctus. Æmulemur ergò, imitemur, & Verbo Incarnato aſſimilemur, nitamur, ut fiamus filij Dei, ejúsque fratres.

Gratia data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia, 2. *ad Timoth.* 1. In quibus verbis notat S. Chryſoſtomus ſignificari immenſitatem amoris Divini, utpote qui nos ante mundum, ante omnia tempora ſæcularia ab æterno in mente habuerit; de quoque noſtrum in particulari ſtudiosè & ſolicitè cogitarit, unumquemque adamaverit, cuíque per Chriſtum ſuam gratiæ menſuram decreverit, & prædeſtinaverit.

S. Gregorius Nazianz. *Orat.* 38. ubi tenebras, ærumnas, flagitia mundi recenſuit, hæc ſubjunxit. Quæ quoniam majus auxilium requirebant, majus etiam acceperunt. Hoc autem erat ipſe Dei Filius, ille ſæculis antiquior, ille inviſibilis, ille incomprehenſibilis, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expreſſio, illud immotum ſigillum, illa per omnia ſimilis imago, ille

Digitized by Google

ille Patris terminus, & ratio; ille, inquam, ad imaginem ſe confert, & carnem gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam jungitur, ut ſimile per ſimile repurget.

HISTORIÆ.

IN vita venerabilis Mariæ Magdalenæ de Urſinis refertur; quòd cùm hæc continuis doloribus affligeretur, quâdam die propter eos apud Dominum conqueſta ſit impenſius; inter quæ ſomno fuerit correpta. In ſomnis apparuiſſe ei Chriſtum crucifixum, & ad alacriter ferendam crucem fuiſſe eam cohortatum, cùm ipſe ejus cauſa longè duriorem, graviorémque portâſſet. Dicente autem illâ, *O Domine tu non fuiſti niſi tribus horis affixus cruci; me verò tot jam menſibus affixam cruci vis iſtam perferre diebus omnibus vitæ meæ*, Replicaſſe Chriſtum, *Ah ingrata, â primo inſtanti meæ conceptionis usque ad extremam vitæ crucem ſuſtinui, incipiens jam tum pati per vivas apprehenſiones ſecuturæ Crucis, quam ſemper habui præ oculis, donec illi reipſa affixus fui.* Quam Patris optimi filialem correctionem tantùm illi profuiſſe, ut cruces ei formidabiles poſteà fuerint optabiles & expetendæ. *Mancinus lib. 4. de Paſſione Domini. Diſſert. 1.*

FRUCTUS.

PRimus. Admiratio. *O altitudo divitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Ad Rom.* 11. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Pſal.* 38. *Quis hæc penetret? ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia. Ad Rom.* 5. Quis non admiretur? *Magnum profectò pietatis Sacramentum.* 2. *ad Tim.* 3. Clementiæ, benignitatis, amoris obſtupeſcendi. *Benedicamus ergò Deum Cœli, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Tob.* 12. Magnam, magnam, magnam nimis.

Secundus. Gratitudo. Ex conſideratione remedij, quo nobis opitulata eſt miſericordia Divina. Benè S. Bernardus ſerm. 3. de Nativit. Domini. *Ex remedij conſideratione periculi mei* (lapſus mei) *æſtimo quantitatem, neſciebam, ſanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis balſamo medeatur.* Verè *miſericordia Domini ab æterno in æternum ſuper timentes eum. Pſal.* 102. Imò ab æterno ſuper offendendentes eum, & inobedientes Filios Adæ. Verè *miſerator & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors. Quomodo Pater miſeretur filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam cognovit figmentum noſtrum. Pſal.* 102. *Benedicamus ergò*

Deum

Deum cœli, & clamemus *Regi ſæculorum, immortali, & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* 1. ad Timoth. 1.

Tertius. Odium peccati. *Agnoſce ô homo*, monet S. Bernardus *ſerm. 3. de Nativit. Domini, quàm gravia ſint vulnera, ſi non eſſent hæc ad mortem, mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.* Decreta ergò fuit Incarnatio Verbi Divini, ut per eam peccatum mundi tolleretur: quàm gravis & peſtilens peſtis, quæ ſola curari Divina poteſt medicina? Deus carnem induere voluit, ut ſuo ſanguine elueret maculam immundiſſimam, cui abluendæ omnia maria non ſuffeciſſent, & quis eam non horreat? num ut *ſus lota redibo ad volutabrum luti?* 2. Petr. 2.

CONSIDERATIO III.

DE ANNUNCIATA B. MARIÆ VIRGINI CHRISTI FUTURA INCARNATIONE. *Luc.* 10.

Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Iſa. 7.

O vernantia, & aurea tempora!
Triſtis hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit. *Cant.* 2.

Vox Turturis audita eſt. *Ibidem.*

O Turtur optatiſſime!

Archangele Sanctiſſime unus ex ſeptem Principibus, qui adſtatis ante Dominum.

O Fortitudo DEI! *Tob.* 12.

Vox tua ſonuit in auribus meis. *Cant.* 2.

Vox dulcis, vox exultationis, & ſalutis, *Pſ.* 117. vox gaudij, & lætitiæ. *Jerem.* 33.

Ave gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1.

O Ave ſuaviſſimum!

Exulta Eva, nomen tuum feliciſſimè mutatum eſt.

Eris inpoſterum mater verè viventium *Gen.* 3

Gratia plena.

O Virgo ter fortunatiſſima!

Gratia cæteris præſtatur per partes, in te gratiæ plenitudo ſe totam infudit.

Sophronius.

Sileo. De tanta gratia, & ſanctitate totum loqui impoſſibile eſt linguæ humanæ. *S. Aug.*

Dominus Tecum.

Plus, quàm cum Angelis, quia cum his tantùm eſt per gratiam!

Plus, quàm cum Sanctis omnibus, quia cum his quoque eſt per gratiam, & ſimul per naturam, cùm ſemen Abrahæ apprehendit. *ad Heb.* 2.

Tecum ô Virgo eſt per gratiam, & naturam, & in utero tuo inhabitabit omnis plenitudo Divinitatis. *ad Coloſſ.* 2.

Ex te prodibit Principium. *Joann.* 8.

Qui

Qui te creavit, requieſcet in tabernaculo tuo. *Eccl.* 24.

Et ut Sponſus procedet de thalamo ſuo.

A ſummo cœlo egreſſio ejus. *Pſal.* 18.

Benedicta tu in mulieribus.

Quia illam generalem maledictionem evaſiſti, quâ dictum in triſtitia paries filium.

Et inſuper illam, quâ dictum maledicta ſterilis,

Ut nec ſterilis maneres, nec cum dolore pareres. *S. Bern. ſuper miſſus.*

Benedicta in mulieribus, & ſuper mulieres.

In multitudine Electorum habebis laudem, & inter benedictos benediceris. *Eccl.* 24.

Sed Virgo modeſtiſſima turbatur.

Turbatur humillima.

Turbatur Virginum puriſſima.

Turbatur Prudentiſſima.

Aſſueta quidem eſt Angelorum alloquio; ſed tam inſolita, & officioſa, quid ſibi velit ſalutatio quia non penetrat; & timet, & cavet.

O Virgo verè ſapiens, & conſtans!

At timorem abeſſe juſſit nuntius gaudiorum, omniſque felicitatis, & paranymphus feliciſſimus.

Retulit favores Altiſſimi, auram ſuavem ſupervenientis Spiritus S. & omne ſtudium Divinitatis.

Filium eam geniturum magnum, Regem in domo David æternum, & vocandum Filium Altiſſimi.

Digitized by Google

O Virgo humillima!
Nunquid & tu eris ſublimiſſima, cùm futurus tuus ſit filius Altiſsmi, & Altiſſimus?
Benè eſt,
Cœleſtis Orator hominum cauſam feliciter peroravit; aſſentitur Virgo.
Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.
Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcivit? *S. Bernard.*
In profunda ſe dejecit, cùm invitaretur ad altiſſima, & à dominatu ad ancillatum animum convertit? *Caſſian.*
O ancilla humilis!
Aſcende ſuperius ſuper omnes Angelos, & Cœlites.
Te infimam dicis, ſumma audies;
Similis eris Altiſsimo. Hic Verbum genuit absque Matre. Tu concipe, pare ſine Patre.
Imò propè dixerim ſuperiorem Altiſsimo:
Cui ſubjecti ſunt Angeli, Principatus & Poteſtates,
Subditus erit Tibi.
Mirare ergò utramlibet, & elige, quàm amplius mirere: ſive Filij Dei benigniſsimam dignationem, ſive Matris excellentiſsimam dignitatem.
Utrinque ſtupor, utrinque miraculum, id quod Deus fœminæ obtemperat, humilitas abs-
que

que exemplo; & quòd Deo fæmina
principetur, ſublimitas ſine
ſocio. *S. Bern. ſuper miſſus.*
Benedictiſſima ergò tu inter mulieres.
Benedictionem omnium gentium dedit tibi
Dominus. *Eccl. 44.*
Cùm ſeipſum dedit Tibi:
O Virgo, & futura Mater,
& permanſura Virgo;
Mater
Filio tuo prior, & poſterior
Eum, qui te genuit, gignes.
Qui fuit ante ſæcula, ex te naſcetur.
Nutries nutrientem te.
Geſtabis geſtantem te.
Quem cœli capere non poſſunt, tuo utero
concludes.
Fœmina circumdabis virum. *Jerem. 31.*
Quem gignes, adorabis.
Hactenus loqui licuit, nunc quia in utero Virginis infans Divina ſapientia obmuteſcit, ſileant linguæ, & cum ſilentio præſtolemur ſalutare Dei. *Thren. 3.*

SENTENTIÆ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem, nec noviter, nec fortuitò inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promiſſam. Scrutare Scri-

Digitized by Google

pturas, & proba, quod dico. *S. Bern. homil. 2. ſuper miſſus.*

Una eſt Mariæ, & Chriſti caro, unitas diviſionem non recipit, nec ſecatur in partes. Et licèt ex duobus factum ſit unum, illud tamen ultra ſcindi non poteſt, & Filij gloriam non tam communem dico cum Matre, quàm eandem. *Andreas Carnotenſis Tract. de laud. Virg.*

Turbata eſt non ex Angelico aſpectu quaſi inſolito, quippe quæ jugiter viſitabatur ab Angelis: ſed ob excellentiam Divini præſagij, quod propria merita præcellere videbatur. Conſuevit namque humilitas, ſicut ſemper ſtare ſub ſe, ita difficile fidem accomodare ijs, quæ ſuper eam eſſe cenſentur. *B. Laurent. Juſtin. ſerm. de Annunciatione.*

Invenit gratiam, quam ipſa quærebat, & nullus ante ipſam invenire potuit, Dei videlicet, & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. *S. Bern. hom. 3. ſuper miſſus.*

Audiſti Virgo factum, audiſti & modum, utrumque nimirum, utrumque ſecundum. Exſpectat Angelus reſponſum. Exſpectamus & nos Domina verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium noſtræ ſalutis, ſtatim liberabimur, ſi conſentis. Hoc ſupplicat à te Pia Virgo flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exuta paradiſo; hoc cæteri Patres, Patres ſcilicet tui, qui habitant in Regione umbræ mortis; hoc totus mundus tuis genibus provolutus exſpectat: nec im-

Digitized by Google

immeritò, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum Filiorum Adam totius generis tui. Da Virgo reſponſum feſtinanter; ô Domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex ac Dominus quantùm concupivit decorem tuum, tantùm deſiderat, & reſponſionis aſſenſum; in qua nimirum propoſuit ſalvare mundum; & cui placuiſti in ſilentio, jam magis placebis in verbo. Cùm ipſe tibi clamet è cœlo, ô pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergò eum facis audire vocem tuam, ipſe te faciet audire ſalutem noſtram. Reſponde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino; reſponde verbum, & ſuſcipe verbum; profer verbum tuum, & concipe Divinum. Emitte tranſitorium & amplectere ſempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, & ſuſcipe; aperi Virgo beata cor fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium. *Hæc S. Bern. cit.*

Cùm mihi dicere contingit *Ave Maria*; Ridet cœlum, gaudet Angelus, mundus exultat, infernus tremit, dæmones fugiunt. *S. Bern.*

S. Bernardinus Senenſis *Tom. 2. Concionum ſer. 51. art. 3. num.* 1. concludit, B. Virginem in Conceptionis Filij Dei conſenſu per verba *Ecce Ancilla Domini* &c. plus meruiſſe quàm omnes creaturas, tam Angelos quàm homines in cunctis a-

ctibus, motibus, & cogitationibus ſuis: quia, inquit, omnes, quæ meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, niſi ſecundùm varios ſtatus, & gradus gloriam ſempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum ſpiritualium, cunctarum ſcientiarum, ſpiritus prophetiæ, diſcretiones ſpirituum, operationes virtutum, meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filij Dei; meruit quòd ſit ſtella maris, porta cœli, & ſuper omnia quod Regina miſericordiæ nuncupetur, ac talis nominis conſequatur effectum. Unde meritò *Prov. ult.* de ipſa Salomon ait, multæ filiæ congregaverunt divitias, tu verò ſupergreſſa es univerſas. *Hæc. S. Bernard.*

Quoniam virum non cognoſco. Ne ſpectes (inquit S. Chryſoſtomus hom. 49. in Geneſ.) terram; è cœlo operatio venit, ſpiritus gratiæ eſt quod fit: ne quæras naturæ modum, ſanè propter hoc erit, quoniam virum non cognoſco. Nam ſi cognoſceres virum, non fuiſſes habita digna, ut huic myſterio ſervires, abſcindetur hic lapis de monte ſine manibus. *Dan. 2.*

Hæc Virgo eſt ſanctiſſima, quæ virtutum omnium ornata decore, & gratiarum plenitudine irradiata fulgore cœlorum Regem ſuo ad ſe traxit odore. Hæc propter humilitatis meritum, & ferventiſſimum charitatis affectum ab Altiſſimo adam-

damatur, eligitur à Verbo, fæcundatur Spiritu, Divina prole ditatur, præponitur Archangelis, cœleſti, omnique præfertur militiæ: quem enim cœli capere nequeunt, & omnis natura miratur, Maria mente concepit, concepit in ventre, geſtavit in utero, nutrivit lacte, fovit gremio, brachijs amplexa eſt. Dignum quippe fuit, ut talis eſſet mater unigeniti Dei, plaſmatoris omnium, Conditoris ſæculorum. Quicquid honoris, quicquid dignitatis, quicquid meriti, quicquid gratiæ, quicquid eſt gloriæ, totum id fuit in Maria. Magna cùm naſcitur, major cùm concipit; ubique ſancta, ubique plena, ubique immaculata. Sancta quidem mente, & corpore, plena gratia, & virtute, Immaculata Verbo, & ſponſo. *S. Laurentius Iuſtinianus de caſto connubio Verbi & animæ. cap. 9.*

Glorioſum & admirabile eſt nomen tuum ô Maria, qui illud tetinet, non expaveſcent in puncto mortis; nam dæmones audientes hoc nomen Maria ſtatim relinquunt animam. *S. Bonaveutura in pſalterio.*

Hæc eſt enim portus naufragantium tutiſſimus. *S. Ephrem. de laud. Virg.*

Ut quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, & paritura, Sancta eſſet; accepit donum virginitatis; ut eſſet & mente, accepit humilitatis. Etſi autem placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Felix Maria, cui nec virginitas defuit, nec humilitas. *S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus.*

Licèt

Licèt ipſa ſe Chriſti profiteatur ancillam, hoc ſervitutis genus omni regno ſublimius eſt. Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam; & quicquid JESU curvat genua, Matri quoque pronum ſupplicat. *Arnoldus Carnotenſis.*

Magne DEUS terribilis, & fortis, bonitate ineffabilis, humilem ancillam erigis, & exaltas, unde hoſtem æmulum inde expuleras: Triumphet humilitas augmentis gratiarum, & corona inclita à te decorata: ſuperbia verò inanis, & tenebroſa dehiſcat. *Amadeus hom. 8. de laud. B. Virg.*

Hæc eſt virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa, quòd filium unum, eundémque cum DEO Patre meruit habere communem. *S. Bernard. ſerm. de Annunciatione.*

Factor hominum, ut homo fieret, naſciturus ex muliere talem ſibi ex omnibus deligere debuit, imò condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placituram; voluit itaque virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde prodiret, harum virtutum, in ſe neceſſarium omnibus, ſaluberrimúmque exemplum oſtenſurus. *S. Bern. 2. ſup. Miſſus.*

Verbum caro factum eſt. Fiat, inquit, *Virgo mihi de Verbo ſecundùm verbum tuum.* Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea ſecundùm Verbum tuum. Fiat mihi obſecro verbum non prolatum, quod

Digitized by Google

tranſeat, ſed conceptum, ut maneat carne ſcilicet indutum, non aëre. Fiat mihi non tantum audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Non fiat mihi verbum ſcriptum, & mutum, ſed incarnatum, & vivum &c. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum. *S. Bern. ſer. 4. ſup. miſſus.* O magnum, & admirabile Verbum FIAT! O verbum breve, ſed efficax! omni conſolatione dignum! *Idem ſerm. de converſ. S. Pauli.*

Cuncta, quæ Deus bona, & utiliter fecit, in eo ſtatu, quo condita ſunt, eſſe deſtiterunt, & per hanc virginem in priſtinum ſtatum revocata ſunt, & reſtituta. Unde verè, & audacter auſim affirmare, quod Joannes de Verbo. Et ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine virgine nihil eſſe refectum. Majus igitur aliquid attribuit Deus FIAT Virginis, quam ſuo. *S. Anſel. de Excellent. Virg. cap.* 11.

Hoc *Majus* explicat Andreas Hieroſolymitanus *ſerm. de Aſſumpt. B. V. Dixit DEUS Fiat lux &c. & facta ſunt omnia. Dixit Virgo fiat mihi ſecundùm verbum tuum, & factum eſt opus maximum. Obedientis Virginis Fiat, ſecuta eſt admiranda verbi Divini Incarnatio, atque ita Verbo Verbum.*

Verè S. Damaſcenus *lib.* 1. *Orthodoxæ fidei. Non poteſt Deus majus aliquid facere, quàm Deum fieri hominem.* Et hoc majus debetur Verbo Virginis FIAT. Nam ut S. Bernardus ſerm. 4.

Nec

Digitized by Google

Nec Deus quidem factus eſt HOMO, *niſi Virgo diceret, FIAT.*

HISTORIÆ.

TRadunt monumenta Congregationis S. Georgij in Alga in Luſitania eos, qui hujus Auctores fuêre, à Beatiſſima Virgine accepiſſe Gabrielem Archangelum, cùm Incarnationem nuntiaret, integras novem horas apud eandem fuiſſe commoratum; acſi ob incredibilem Virginis modeſtiam,& majeſtatem humanâ majorem, atque ob Divini Verbi Incarnati præſentiam in admirationem raptus diſcedere nequiret. *Ballinghen in append. ad Calendarium B. Virginis ad 25. Martij.*

S. Gertrudis *lib.* 4. *Revelat. cap.* 12. ſic loquitur. *S. Gabriel toties novo ſplendore Divini luminis viſus eſt irradiari, quoties recitabatur annuntiatio facta per ipſum.*

Oratio Dominica omnium orationum eſt potiſſima, & Salutatio Angelica omnium ad virginem Matrem directarum gratioſiſſima. *S Thomas.* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 9. *& opuſc.* 7. *cit. ab Henſpergio in virid. Mariano.*

Hinc cùm S. Mechtildis cogitaret, quodnam virgini gratiſſimum obſequium offerret, vidit illam geſtantem in pectore aureis exaratam litteris ſalutationem angelicam, & hæc verba ab illa audivit. *Super hanc ſalutationem nunquam homo pervenit, nec me aliquis dulcius ſalutare poterit,*

terit, quàm is, qui ſalutat in illa reverentia, qua Deus Pater me per hoc verbum Ave ſalutavit confirmans me omnipotentia ſua ut eſſem libera ab omni Væ culpæ. Filius per ſuam ſcientiam ſic perluſtravit, ut ſim clarum ſidus, quo cælum & terra illuſtrantur, quod per hoc nomen Maria, quod ſonat Maris Stella, ſignificat. Spiritus S. me ſua dulcedine ita gratioſam effecit, ut qui per me gratiam quærit, inveniat. Vita.

Monialis quædam ob morbum graviſſimum ſex dies cum morte luctata poſt mortem Subprioriſſæ apparuit inquiens. *Sic habeto Mater mea, mercedem, quam Deus minimis operibus reddit, eſſe tantam ut ſi mihi permiſſu Dei liceret reviviſcere; ex animo reverterer, per eoſdem dolores paſſura, tantùm, ut mihi fas eſſet vel ſemel Ave Maria recitare, & fructum ejus orationis conſequi, quantumvis tepidè recitatæ, dummodo in ſtatu gratiæ recitetur.* Heroldus in Chron. Ord. S. Dominici.

Quidam rediturus in ſæculum Novitius prius ſupplex B. Virgini Angelicam Salutationem recitavit; qua finita amplius ſurgere non potuit: quare perſeverantiæ votum edidit, & mox ſurrexit. *Bonif. hiſt. virg. lib.* 4. *c.* 10.

P. Bernardinus Realinus è Soc. JESU conſueverat ſenex duodecim interdiu, & plures coronas Beatiſſimæ Virginis evolvere. Alterum tantum noctu præter eiuſdem Lytanias aliáſque orationes, *Vita cap.* 38. Agnovi (ſcripſit latinè in quadam meditatione) ſalutatio-

nem

nem Angelicam magni faciendam, primò quia à SS. Trinitate eſt ordinata; non enim ſolent nuntij, qualis fuit Angelus Gabriel referre, niſi quæ à Dominis ſuis accepta habent. Si miramur orationes Ciceronis, quanto magis Dei? Secundò quia ab Angelo recitata. Tertiò quia ad Beatiſſimam Virginem relata eſt, magnos enim magna decent. Ajebat Pater & Ave ita precationibus alijs antecellere, ut ſuum velut ex opere operato pretium habeant, Illam à ſanctis Angelis etiamnum ſic ſalutari.

Alexander Calamato *Sylva diſcurſ. num.* 70. teſtatur rem à ſancto Melitone relatam. Scribit hic S. Pater, ſua ætate extitiſſe inſignem quendam Dominum ſingulari in Deiparam pietate conſpicuum, adeò ut domeſticis cunctiſque ſibi ſubditis non modò in Virginem Matrem amorem venerationémque ſummam commendaret, ſed & præciperet, ut à quocunque ad quodvis miniſterium vocarentur, hoc reſponſi darent *Ave Maria.* Quam piam conſuetudinem ipſe Dominus uſque eò cordi habebat, ut volucrem, quam aviario incluſam alebat, has voces *Ave Maria* articulatim pronunciare docuerit: quo factum, ut ſub auroram avis concinnè cantilaret *Ave Maria*, & quemvis aviario propius accedentem, aut pulſantem peramænè, ac peramicè ſalutaret *Ave Maria.* Aliquando neſcio quâ Domini incuria, aut oblivione oſtiolo aviarij aperto volucris opportunitatem nacta præproperè avolavit;

vit; at vix dum liberiorem aërem captans accipitrem offendit, cui necquicquam conata eſſugere præda ceſſit; jámque carnivorus prædo ungues ad eam miſerè dilaniandam fixerat, cùm has voces dolor expreſſit *Ave Maria.* Et rem miram! è veſtigio prolato Mariæ Nomine accipiter velut fulmine ictus in terram corruit, toto, quem confecerat, aëris tractu teterrima mephiti infecto. Avis verò quaſi de hoſte victrix iterum iterúmque epinicion cantavit. *Ave Maria. Ave Maria.*

FRUCTUS.

PRimus. *Ama amorem illius, qui amore tui amoris deſcendit in uterum Virginis, & ibi amorem ſuum tuo amori copulavit; humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ humanitatis.* S. Aug. de catechiz. rudibus. O Verbum! Infans tenerrime, ſuaviſſime, amabiliſſimè! minus te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Minus te amat, & æſtimat, qui aliquid magnum æſtimat præter te, qui in utero materno minimus es, & maximus.

Secundus. *Ama, & honora Matrem illius,* qui pro te non horruit virginis uterum, & ſuper exalta eam ſuper omne id, quod non eſt Deus. *Majorem mundum poteſt facere Deus, majus cælum poteſt facere Deus, majorem Matrem, quàm ſit Mater Dei, non poteſt facere Deus.* S. Bonavent.

Digitized by Google

vent. in ſpec. cap. 8. *Duntaxat dicere hoc tantum S. Mariam virginem eſſe Deiparam, eſt idelo-qui, quod dictionem omnem tranſcendit, quæcunque poſt DEUM dici, aut fingi animo poſſunt. S. Anſelmus libro de Excellent. Virg. cap.* 2. Ergo cum S. Caſimiro *omni die dic Mariæ mea laudes anima*, quantùm potes, tantùm aude, nec laudare ſufficis. *Omnia tua ſunt admirabilia O Deipara*, ut verè ait S. Germanus *de Zona B. Virginis, omnia ſupra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires ſuperantia.* Verbo nullus ad eam dignè laudandam aptus eſt, niſi Deus, *ipſe creavit illam in Spiritu S & vidit, & dinumeravit & menſus eſt.* Eccl. 1.

Tertius. *Fiducia in tantam Matrem filialis. O Domina ſi filius tuus factus eſt per te frater noſter, nonne tu per illum facta es Mater noſtra? Ergo gaude peccator; Judex tuus frater eſt, Mater Judicis Mater tua.* S. Anſelmus *de Concept. B. Virginis cap.* 15. *Si ergo Maria Mater tua ô homo,* inquit S Bern. *ergo Ieſus Chriſtus frater tuus eſt, ergo Pater ejus Pater tuus, ergo Regnum ejus hæreditas tua eſt; ergo gratia Mariæ theſaurus tuus eſt; nam verè Mater filijs theſaurizat: ergo adverſa tua ejus præcordia tangunt, nam viſcera ejus ſuper filio ſuo commota ſunt; Ergo accipe eam in tuam.* Ita Sanctus. O Beatus! O felix! O ſecurus tantæ Matris filius! ſub alis tuis cuſtodi me, & protege; Miſerere mei, qui ſum luto coinquinatus: non mihi alia fiducia præter te ô Virgo ſincera, & clementiſſima; Ave

Pax

Digitized by Google

Pax, Gaudium, & ſalus mundi, & ſpes noſtra ſalve.

Quartus. *Ob beneficium incarnationis ſe gratum exhibere, atque reverentem.* Hinc ad illa Symboli Nicæni verba. *Et homo factus eſt*, & ad illa Evangelij S. Joannis. *Et Verbum caro factum eſt*, humili, & devota genuflexione proſternamur. Inclinavit cælos Altiſſimus, & deſcendit, in quo ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Inclinemus ergò & nos ſingulari quâdam totius corporis demiſſione, & ob tam ſingulare beneficium nos ipſam infra terram deprimamus. Irreverentem punivit Deus religioſum: hic in choro ſtans cum cantaretur *Incarnatus eſt de Spiritu S. &c.* alijs fratribus ſe inclinantibus ſtetit erecto collo. adfuit dæmon, & inflicta alapa dixit. *O ingrate quomodo ſic ſtas erecto collo? Cur non inclinas te cum fratribus? Nonne audis, quod cantatur, quod Deus propter te factus eſt Homo? Si propter me miſurum tantum feciſſet, ego ipſi in perpetuum me inclinarem.* Spec. Exempl. diſt. 3. exemplo 75.

Quintus. *Poſt Deum Hominem factum venerare ô homo Caput tuum & carnem tuam*, ut monet S. Chryſoſtomus *hom. 3. in Ep. ad Ephes. Cogita, cujus ſis, & quam ſuſpiciendi corporis membrum. Reverere hanc germanam, & cognatam affinitatem tuæ carnis cum Deo Homine contractam.* Et (ut S. Leo hortatur) *adepti participationem generationis Chriſti carnis operibus renuntia.* Audiamus ipſum vas Electionis, 1. *Cor.* 6. *Ne-*

ſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergò membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit. Abſit quàm longiſſinè. Caput noſtrum Chriſtus eſt, Frater noſter natu maximus Chriſtus eſt, poſt cujus mortem (ut ait S. Auguſtinus *lib. de prædeſtin. SS. cap.* 15.) *tam excelſa, & tam ſumma eſt natura humanæ dignitas, ut quo altius eam tolleret, non haberet.* Et hanc porcis ſpurciſſimis, & fætentiſſimis hircis, peccatis, inquam immundiſſimis ſubijciamus conculcandam? Filius, & frater magni Regis ſubulco ſe non ſubdit, aut ſervit.

CONSIDERATIO IV.
DE NATIVITATE D. N. JESU CHRISTI.

Peperit filium ſuum unigenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio. Lucæ. 2.

O Puelle Divine!
Amor
Magne, & Parve!
Tu es, qui Seraphinos, & totum cælum tuis dulciſſimis ignibus inflammas:
Cur non ſtipulas, & fænum; in quibus jaces infantulus, accendis?

Cedri

Cedri ardent, & ſtipula frigeat? amat cælorum principes, & ego vilis vermiculus non diligam? flos fæni non amem? accendar? conflagrem?

O Deus

Qui magnus fulges in cælo, & ſedes ſuper Cherubin! *Daniel 3.*

O Deus

Qui puſillus vagis in præſepio, & jaces mutus inter animalia!

Deus magne Potentia,

Deus Parve ex miſericordia.

Te etſi puſillum

Non maximi æſtimem, reverear, adorem?

Eo ipſo, quia es

Verbum abbreviatum,

Verbum exinanitum,

Verbum Caro factum,. *Ioan. 1.*

Dei Filius, Hominis Filius.

Cæli Dominus, ſtabuli incola.

Fulminans in cælo tonitruum Dominus, vagiens in cunis, & lacrymulas fundens.

O quàm admiranda ſunt hæc?

Hæc patravit ille,

Qui faſciolis ligatus facit mirabilia ſolus. *Pſal. 76.*

O quàm admirabilis eſt.

Communicatio Nominum Divinorum, & Terrenorum?

Æternus, & hodie unius diei eſt puer.

Verbum Patris eloquentiſſimum, & infans.

Potentiſſimus, & Tenellus.
Immenſus, & Tantillus.
Altiſſimus, & in ſtabulo cubans.
Immortalis, & Mortalis.
Impaſſibilis, & Dolens, Flens, & Crucifigendus.
Quanta mutatio dextræ Excelſi? *Pſal.* 76.
Dominus
Cujus eſt terra, & omnis plenitudo ejus. *Pſal.* 23.
Huic non eſt locus in diverſorio. *Lucæ* 2.
Qui veſtit lilia agri comptiora Salomone, *Matth.* 6.
Is panniculis pauperibus involvitur.
Qui dat eſcam omni carni, & paſcit volucres cæli, *Pſal.* 135. *Matth.* 6.
Hic ubere de cælo pleno lacte paſcitur modico.
Cujus currus decem millibus multiplex, & millia lætantium in eo, quem adorat multitudo Angelorum, *Pſal.* 87.
Hujus familia tota eſt Mater, & nutritius pauperculus, bos, & aſinus.
In cujus veſtimento ſcriptum eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Apoc.* 19.
Hic audit filius Fabri, & mater eius dicitur Maria. *Matth.* 13.
Canent
Angeli Gloria in altiſſimis Deo.
Succinam ego.
Gloria in ſtabulo Deo.
Humilis

Glo-

Glorificat Patrem in fæno;
Humilem
Glorificat Pater in cælo.
O mi Jeſule
Humillime, & altiſſime
Pedibus, & plantulis tuis tenerrimis humillimè accido: defero tibi ſervitia mea, qui paſtores pauperculos non es dedignatus.
O mi Puſio!
Altum ego ſapiam, & enitar!
Cùm tu Altiſſimus te in ſtabulum demittas?
Aurum
Opes, & theſauros aggeram?
Cùm te pauperrimum, & omnium egentiſſimum conſpiciam?
Honoribus inhiem?
Ab omnibus adorari deſiderem?
Cùm te inter animalia, & in præſepio viliſſimo videam à matre reclinatum?
Cùm meminerim te à civibus tuis neglectum, & abjectum?
Abſit.
Sint mihi
Deliciæ meæ, amores mei, ſchola mea ſtabulum, & hujus Incolæ
Jesus Maria Joseph.

SENTENTIÆ.

Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Iſa. 9. O qualis Parvulus! S. Fulgen-

gentius *ſerm. 5 de Epiphan.* his eum deſcribit, portatur ut parvulus, adoratur ut Deus, Parvulus in præſepio, Immenſus in cælo? vilis in pannis, pretioſus in ſtellis; pauper & dives, humilis, & ſublimis. Rex Judæorum, ſed idem Creator, & Dominus Angelorum. Archelaus Hrrodis filius natus eſt in Palatio, Chriſtus in ſtabulo. Archelaus natus in lecto eſt poſitus, Chriſtus in præſepio reclinatus; & tamen ille contemnitur, hic quæritur, ille vix nominatur, iſte inventus adoratur.

Studeamus effici, ſicut iſte Parvulus; diſcamus ab eo, quia mitis eſt, & humilis corde; ne magnus Deus ſine cauſa factus ſit Homo parvulus, quia niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum. *S. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus eſt.*

Quid magis indignum? quid deteſtandum amplius? quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cæli parvulum factum ultra apponat homo ſe magnificare ſuper terram? Intolerabilis impudentia, ut ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat. *Idem ſerm 1. de Nativit.*

Solus deſcendit Dominus, ut multos elevaret, humiliavit ſe Rex noſter, ut milites ſuos exaltaret. *S. Fulgentius ſerm. de S. Stephano.*

Qui ſervi ſuſceperat formam, & Bethlehem præelegit Nativitati, Jeruſalem Paſſioni. *S. Leo.*

O Bethlehem parva, ſed magnificata à Domino! Magnificavit te, qui factus eſt in te,

par-

parvus ex magno. Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos feſtivum hodie Alleluja cantetur. Quæ tibi civitas non invideat pretioſiſſimum illud ſtabulum, & illius præſepis gloriam? in univerſa ſiquidem terra jam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Ubique de te dicuntur Civitas Dei, ubique pſallitur, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Ubique inquam, prædicatur, ubique clamatur, quia JESUS Chriſtus Dei Filius naſcitur in Bethlehem Juda. S. *Bern. ſerm. 1. in vigilia Nativit.*

In Stabulo Bethlehemitico agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur Lux non lucens, Verbum Infans, aqua ſitiens, Panis eſuriens. Videas, ſi attendas potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari, Deum denique lactantem, ſed angelos reficientem, vagientem ſed miſeros conſolantem. Videas, ſi attendas triſtari lætitiam, pavere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari: ſed quod non minus mirandum eſt, ipſa ibi cernitur triſtitia lætificans, pavor confortans, paſſio ſalvans, mors vivificans, infirmitas roborans, *S. Bern. ſuper miſſus. hom. 2.*

Ergò nec credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram. 2. Paral. 6. Fortiſſimus, magnus, & potens, Dominus Exercituum, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. *Jerem*, 6. Sed benè S. Auguſtinus *ſerm.* 16. *de Nativit.*

tivit. Quantus ibi erat, & quàm magnus, tam parvus factus eſt. Parvus factus parvos quærebat; Quid eſt, Parvos quærebat? non ſuperbos, non elatos, ſed humiles, & mites colligebat. Majeſtas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat.

Pretioſores ſunt panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius præſepe auratis Regum ſolijs; ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſæculi. Quid enim humilitate ditius? quid pretioſius reperiatur? *S. Bernard. ſerm. 4. in vigilia Nativit.*

Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Pſal. 48.* Agnoſce ergò ô bos poſſeſſorem tuum, & tu ô aſine præſepe Domini tui, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur. Cognoſce pecus, quem non cognoviſti homo, adora in ſtabulo, quem fugiebas in Paradiſo; honora præſepium, cujus contempſiſti imperium; comede fænum, qui panem, & panem Angelicum faſtidiſti. *Idem ſerm. 35. in Cantica.*

Comedunt Angeli Verbum de Deo natum, comedunt homines Verbum fænum factum. Pane ſuo vivunt Angeli in cœlo, & beati ſunt. Fæno ſuo vivunt homines in terris, & ſancti ſunt. Fænum quippe iſtud de prato virginalis uteri collectum factum eſt refectio jumentorum. Fænum ut fieret, latuit in Virgine, ſol in ſidere, artifex in opere. *Idem ſerm. de cœna Domini.*

S. Ilephonſus meditans lactentem Jeſulum ſic Deiparam alloquitur: Præbe lambenti mamillam,

lam, ut ipſe pro te præbeat percutienti maxillam; *Serm. 1. de Nativit. B. Virg.*

Pax hominibus bonæ voluntatis. O bona voluntas, per quam ad Dei ſimilitudinem reformamur, & Dei ſimiles efficimur. Ita amabilis eſt Deo bona voluntas, ut ipſe in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit. Bona voluntas illius humanæ Majeſtatis Trinitatem ad ſe inclinat, ſapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat, charitas ad deſiderium bonitatis inflammat, Paternitas in ea cuſtodit, quod creavit, ne pereat. *S. Aug. in Manual. cap. 25.*

Nihil offertur Deo ditius bonâ voluntate; voluntas enim noſtra ſolet ſic adverſa alterius, ſicut noſtra pertimeſcere; ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari; aliena damna noſtra credere, aliena lucra noſtra putare; amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere; inimicum etiam amando tolerare, nulli, quòd pati non vis, facere, nulli quod tibi juſtè impendi deſideras, denegare; neceſſitati proximi non ſolùm juxta vires ſuccurrere, ſed etiam prodeſſe ultra vires velle: quid ergò iſto holocauſto locupletius, quando per hoc, quod Deo immolat in ara cordis, anima ſeipſam mactat? ſed hoc bonæ voluntatis ſacrificium Deo nunquam plenè perſolvitur, niſi mundi hujus cupiditas perfectè vincatur. Nam quidquid in eo concupiſcimus, hoc procul dnbio proximis invidemus. Videtur enim quòd nobis deſit, quod alter aſſequitur.

quitur. Sanctus Gregorius hom. 5. in Evang. explicans illa verba Pſal. 55. *In me ſunt Deus vota tua quæ reddam, laudationes tibi. Ante Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate.*

HISTORIÆ.

SAncto Antonio de Padua adfuit Chriſtus in forma venuſtiſſimi infantis; qui primò inſedit libro, dein ſe in ulnas inſinuavit, ſuaviter arridens, & blandiſſimè intuitus. *Vita.*

S. Franciſcus cùm ſuper menſam legi audiſſet, *reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio*; mox menſa relicta ſurgens, & humi conſidens *nunquid ego*, inquit, *hominum viliſſimus, peccatis plenus, inutilis ſervus ad menſam ſeſſitabo, cùm Dei Mater in ſtabulo, cùm mundi Dominus in præſepio paupertatem nos doceat?* Ita abjectus in terram non ſine gemitu mendicatum panem comedit. *Vita.*

Idem ad carcerem Græcij ligneum præſepe ſtrui, ſtipulas & fæuum congeri, aſſellum & buculum adduci voluit. Ad rude hoc & paupertinum, ſed pium ſpectaculum multa hominum multitudo confluxit; perſonabat ſylva lætificis vocibus, frequentabatur copioſis luminibus; ſtabat vir Dei pietate ac ſenſu plenus, lacrymis infuſus, cæleſti gaudio delibatus, & ſub re Divina Evangelium decantabat. De naſcente quoq; Chriſto Rege pauperrimo verba fecit admirando animi

animi ardore. Addit Bonaventura *in vita ejuſdem cap.* 10. virum nobilem, & veri amantem Joannem deGræcio immiſtum plebi adfuiſſe,qui ſibi viſus ſit videre, formoſiſſimum infantem medio præſepii dormientem, quem Franciſcus videbatur velle excitare.

Naſcentis Chriſti Domini natalem Franciſcus Villagarzianus non conſuetis modis inter inundantes cœli delicias tranſigere conſuevit. Ut enim ſibi tantum myſterium magis imprimeret; domeſticum ſtabulum nocte ſubijt, atque ibi in præſepi quaſi recens natum Deum oculis ipſis cerneret, paulatim contemplando ſic exarſit; ut ſui jam minus potens in lacrymas, gemitus, atque interni gaudij, quo geſtiebat, conſcia ſuſpiria proruperit, noctis, locique ſecreto animos faciente. *Ro lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2.

S. Bernardus etiamnum puer dolore gravi capitis dejectus fuerat in lectum: mox adfuit anus, quæ incantationibus, & carminibus dolorem ſe poſſe pellere profeſſa eſt. Ubi hoc agi ſenſit nobiliſſimus puer, acerbè indignatus præcantatricem mulierculam & voce, & manu à ſe rejecit. Nec defuit ei auxiliatrix è cœlo dextera; nam continuò dolor remiſit, & adoleſcentulus è lecto abijt. Opportunè aderat nox naſcentis Chriſti, quam nemo non pervigilio veneratur. S. Bernardus, dum ſedet, & horam Divini officij operitur, in ſomnum ſolvitur; hic illi cœleſtis Puer velut recens natus ſpectandum ſeſe in quiete obtulit. Perſuaſum ſemper habuit Sanctus, eam fuiſſe

fuiſſe horam, quâ Chriſtus Lux orbis in lucem eſt editus; hinc in Divo ingens, & ſuaviſſimus ſemper affectus arſit, ad illud Chriſti nati arcanum. *Vita lib.* 1. *cap.* 2.

Invenitur in hiſtorijs, quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ matris ejus inventum fuerit ſepulchrum quoddam; in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum fuit, *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O ſol ſub Helenæ & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* S. Thomas Aquinas 2. 2. quæſt. 2. art. 6.

P. Bernardinus Realinus è Soc. Jeſu jam annum 78. agens obtinuerat à ſuperioribus, ut non alia per totam hyemem veſte uteretur, quàm ea, quam æſtate tota geſtaret; idque in memoriam ac venerationem frigoris illius, quod ſalutis noſttæ author in ſtabulo Bethlehemitico infans tulit. Quare cùm nocte Natalis ejuſdem confeſſionibus in templo excipiendis eſſet occupatus; ita frigore tum temporis ſæviente ſubitò obriguit, ut tremore quodam inſolito, qui reliquam dein vitam exercuit, illud ipſum monſtrare coactus fuerit. Quod inaudiens P. Rector, in cubiculum ſe reciperet, juſſit, & inibi calefaceret. At igne materiali minimè opus fuit: in cubiculum enim ut venit, myſterium illud meditari cæpit; tum in ulnis illius virgo Mater Infantulum ſuum depoſuit cæleſtibus genijs ſuaviſſimum melos concinentibus. Dimidiam ferè horam tenuerat hæc

optimi

optimi, ac ſancti Senis voluptas; cùm ex adjutoribus unus de ſuperioris mandato cubiculum, ut ignem exſtrueret, ingreſſus, illúmque conſpicatus hæſit attonitus, eum ſitu minimè conſueto, & apud ſe non eſſe advertens, ſubindéque audivit exclamare, *adhuc pauxillum ô Domina, adhuc pauxillum*, his verbis ſanctiſſimam Matrem chariſſimum ſuum depoſitum repoſcere ſignificans, quo ſe ille ſatiare non poterat. Quid animo illius factum ſit neſcimus, illud verò certum eſt per totam dein hyemem eum frigoris omnis fuiſſe expertem. Anni alterius acerrimum frigus æſtiva in veſte exigens ſic Deo placuit, ut Chriſto naſcenti ſacra nocte cubiculum lux Divina implerit, ſenſeritque ſe nomine appellari. Rogans verò quis eum vellit? En adſum, inquit Chriſtus, ſéque in ſplendido circulo infantem exhibuit, diductis à pectore veſtibus illum in cor ſuum tacitè invitans, demum ex illa erumpens luce in Bernardini amplexum evolavit; qui tam dulce pignus appreſſum pectori hora ferè media continens eum calorem ſuſcitavit, ut eſſet hyeme illa tota, quàm ante vivacior. *vita cap. 36.*

P. Raimundus de Prado an. 1603. nocte à tertia Octobris in S. Franciſci feſtum eunte, vidit S. Franciſcum Seraphicum è muris Manilam urbem contra Chinenſem defendentem. Alio tempore (etſi non hoc die) cùm Vice-provincialis munere fungeretur, pedéſque provinciam viſitarat, amiſſo recto itinere non ſine periculo

lo ceciderat; cùm ecce ſe illi ſpectandum objecit tenerrimus infans (cujus infantiæ myſterijs meditnndis animum crebrò paſcebat) Jeſus. Crux illi feſſos humeros premebat non ſine ſignificatione fatigationis, quam in dulciſſimi parvuli aſpectu videbat Raymundus incredibili animi voluptate. *Nadaſi* 17. *Febr.*

FRUCTUS.

PRimus. Jacente Deo infante in ſtabulo, in præſepi, inter bruta, eant nunc & inhient ſtruendis opibus vani mortales; dilatent phyllarteria ſua, & magnificent fimbrias ſuas. *Matth.* 23. Ament primos recubitus, & primas cathedras. Hoc ſibi ſolium, recubitum hunc imum, hanc cathedram elegit ſibi Dominus: & ſervus nequam aſcendat ſublime ſolium, & *ſupra cœli aſtra exaltet ſuper altitudinem nubium.* Iſa. 14. Quid ſuperbe cinis ſpatioſas ſedes, & magnifica tibi quæris palatia? Dominus propter te viliſſimum habitat diverſoriolum; Rex cœli in ſpelæo pecudum hoſpitatur. Aut hic diſce mores, aut alium tibi quære Dominum, & aliud pro cœlo habitaculum.

Secundus. Panni, quibus involutus eſt Divinus Infans, arguunt molles, & ſuperbas vanitates. *In ſignum*, inquit S. Bernardus, *poſiti ſunt panni tui Domine Jeſu, ſed in ſignum, cui à multis usque hodie contradicitur. Conditor Angelorum, ait S. Petrus Damian.* lib. 6. Epiſt. 14. *Dum in præ-*

ſepio

ſepio vagiens reclinatur, non oſtro ſed vilibus tegitur panniculis involutus. Erubeſcat ergò terrena ſuperbia, & arrogantia redempti hominis, ubi erumpentibus radijs exorta coruſcat humilitas Redemptoris. Iure faſtum hominum, veſtéſque delicatas exprobraret Infans DEUS, ſed infans neſcit verbo arguere, opere facit, & exemplo. Aſpice ſerve Dominum tuum, & imitare, quia non eſt ſervus major Domino ſuo. Joan. 6.

Tertius. Infantulus quoque Magiſter eſt humilitatis; jam in cunis opere monet, ut diſcamus ab eo, quia mitis eſt & humilis corde. Niſi efficiamur ſicut parvulus iſte, non intrabimus in Regnum cœlorum. Res eſt certiſſima S. Auguſtino *ſerm. 175. de tempore. Altus eſt Deus, erigis te, & fugit à te, humilias te, & deſcendit ad te; tanto quiſque pretioſior Deo eſt, quanto propter Deum ſibi vilior. Nihil eſt, quod nos ita Deo gratos, & Chriſto ſimiles reddit, quàm ſi vitæ promeritis magni humilitate ſimus infimi. Hâc ſi careamus perit omne, quod agitur, quia humilitate non cuſtoditur.* S. Greg. 23. Moral. cap. 7.

Quartus. Tranſeamus cum paſtoribus uſque Bethlehem, & videamus Verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. *Ecce* ut ait Quericus ſerm. 2. de Nativit. Dom. *Offertur tibi JEſus, curre obvijs manibus, expande ſinum, devotionem tuam tam affectus probet quàm actus. Filium, qui tibi natus eſt, ſpe magna venerare, ſuſcipe fide, amplexare charitate. Videamus* cum S. Auguſtino *ſerm. 3. de Nativit. Hoc verbum,*

T quod

quod factum eſt, quod oſtendit nobis; veniamus ad ipſum Dominum credendo, proficiamus gratias agendo, agnoſcamus perſeverando, veniamus ad illum, & inter nos concordemus. O felix infirmitas! venit ad ægrotum medicus, & doloribus vacat ægrotus.

Finio hanc conſiderationem verbis S. Bernardi *ſerm. 3. de Natali Domini.* quæ dant documenta & alia complectuntur. *Naſciturus*, inquit, *Dei Filius (cujus in arbitrio erat, quodcunque vellet eligere tempus) elegit, quod moleſtius eſt, præſertim parvulo, & pauperis Matris Filio; quæ vix pannos habuit ad involvendum, præſepe ad reclinandum; & cùm eſſet tanta neceſſitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis veſtitur tunicis, ſecundus pannis obvolvitur; non eſt tale judicium mundi: aut Chriſtus fallitur aut mundus errat. Chriſtus, qui falli non poteſt, eligit quod carni moleſtius eſt. Id ergò melius, id utilius, id potius eligendum: carnis prudentia mors prudentia ſæculi injuſtitia. Etiam nocte voluit naſci; ubi ſunt, qui tam importunè geſtiunt oſtentare ſemetipſos? Chriſtus elegit, quod ſalubrius judicat, vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? cujus judicium juſtius? cujus ſententia ſanior? denique tacet Chriſtus, non ſe extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cœleſtis exercitus; & tu ergò, qui Chriſtum ſequeris, inventum abſconde theſaurum. Ama neſciri, laudet te os alienum, ſileat tuum: adhuc autem in ſtabulo naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur, & nonne is dicit meus eſt orbis,* ter-

terra, & plenitudo ejus. Pſal. 49. *Quid ergò ſtabulum eligit, planè ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem? nec dum loquitur lingua, & quæcunque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant; ipſa quoque infantilia membra non ſilent. In omnibus mundi judicium arguitur, ſubvertitur, confutatur.*

Consideratio V.

De Circumcisione Domini.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JEſus. Luc. 2.

O cultrum immitem!
Saxo, & ferro quovis duriorem!
Quod tibi Jus eſt
In puellum innocentiſſimum?
In Sanctum Sanctorum?
In Filium hujus Virginis?
In Filium ipſius Dei?
Mi Jesule
Num legislator legi ſuæ ſubjacet?
Num Paſtor cùm oves ſignat, ſibi quoque
ſtigma inurit?
Num liber in cenſum mancipiorum venit?
Inſignibus ſervorum Filius non utitur.
At dulciſſime Puſio

Digitized by Google

Legi te ſubjicis, ut me doceas obedientiam,
& humilitatem tam parvus, tam
magnus Doctor.

Paſtor es, & quidem bonus, ſed & Agnum te
agere jubet amor, qui tollas peccata mun-
di, & tuo ſanguine maculam eluis
primam. *Joan.* 10.

Liber es, & fons libertatis: ſed & Filius es An-
cillæ; partus ſequitur ventrem; ſervus ſum
ego, clamas voce atavi, & filius an-
cillæ tuæ. *Pſal.* 118.

Ut populum tuum Iſraël tibi obſtringeres,
Te lege eorum obligas.

Ne hic legis auſteritatem obtendat, ſubterfugiat,
Eam vel parvulus non refugis, experiris, ſentis.
Atque hoc amor docuit.

Sed quanto dolore? quanto cruciatu?
Ipſo vulnere
Tenerrimo corpuſculo quàm maximè dolorifi-
co. Exaſperavit vulnus uſus rationis, quo Di-
vinus pollebat Infans, & apprehendens
ſectionem doluit.

O Agnelle jam rubicunde, & candide, *Cant.* 5.
ſponſe ſanguinum! *Exod.* 4.

Hoc ſanguine tuo jam incipis Agnetum
ſponſarum tuarum genas ornare.

Hoc rore deſideratiſſimo terram deſertam, *Pſ.* 62.
& inaquoſam incipis rigare, & ſolari
ſitientem.

Daturus ſuo tempore pluviam in tempore *Zach.* 1.
ſerotino pluviam voluntariã, quam ſegregabis
hæredi-

Digitized by Google

hæreditati tuæ, populo tuo, electo tuo, *Iſa.* 43.
pluviam benedictionis. *Ezech.* 36.
Aurora rubicunda ſpondet veſperi imbrem ſuper
faciem terræ, & illa dabit fructum ſuum. *Pſ.* 66.
Verùm quod huic vulneri eſt præmium?
Et vocatum eſt nomen ejus JESUS.
Tanti fuit hoc nomen obtinere!
Ex rore hoc
Dulciſſimo apum, & mentium cœleſtium nectare ortus eſt flos pulcherrimus.
Nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus *S. Bern.*
Nomen JEſu propitiatio pro peccato, etſi multo. *Pſal.* 24.
O Jesule
Ego admiſi, unde me damnare poſſes;
Sed tu non amiſiſti, unde ſalvare ſoles:
Nomen ſanctum tuum invocatum
eſt ſuper me. 4. *Eſdræ.*
Nomen Salvatoris, nomen ſalutis.
Nomen JEſu ſuper omne nomen ſuperexaltatiſſimum.
Cui omne genu flectitur, *Ad Philip.* 2.
Omnis apex inclinatur,
Omnis corona pedibus accidit ſupplex.
Nomen Jeſu turris fortiſſima, ſpes noſtra, *Prov.* 18.
In nomine hoc ſperemus inſurgentes
in nobis. *Pſal.* 43.
Veniet Goliath cum gladio, & haſta,
& clypeo;
Veniet David ad eum in nomine Domini

Exercituum. 1. *Reg.* 17.

Quare ſit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & uſque in ſæculum, à ſolis ortu uſque ad occaſum. *Pſal.* 112.

Semper ſit nobis in ſinu, ſemper in manu, quo omnes noſtri in JEſum dirigantur & ſenſus, & actus. *S. Bern.*

Oblivioni detur dextera mea, *Pſal.* 136.

Si non memor ero ô JEſu Nominis tui. *Pſal.* 44.

Gaudebo in Domino, & exaltabo in Deo JEſu meo. *Habac.* 3.

SENTENTIÆ.

V*Ocatum eſt nomen ejus JEſus.* In quæ S. Bern. *ſerm.* 2. *de Circumciſione.* Vocatum eſt, non verò impoſitum, nempe hoc ei nomen eſt ab æterno: à natura propria habet, ut ſit Salvator; innatum eſt ei hoc nomen, non auditum ab humana, vel Angelica natura.

Cum nomino Jeſum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni denique ſanctitate, & honeſtate conſpicuum. *Idem ſerm.* 15. *in Cant.*

Cùm audio nomen Abrahami, nomen Jobi, ſtatim occurrunt eorum facta; ita cùm audio SS. nomen JEſu, ſtatim occurrunt ejusdem dicta, & facta maxima. *S. Chryſoſt. hom. de nom. Abrah.*

Propterà exaltavit illum, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, *Ad Philipp.* 2.

Iſtis

Iſtis enim eſt terribilis in judicio, illis miſericors in auxilio, & his munificus in præmio. Inferna proſternunt genu trementes potentiam ejus; terrena curvant genu laudantes clementiam ejus; cœleſtia flectunt genua cantantes Sanctus. *B. Amadæus Hom. 6. de Laud. B. Virginis.*

Nomen ejus vocabitur admirabilis, conſiliarius. Deus Emanuel, Fortis, Pater, Princeps pacis. Admirabilis eſt Chriſtus in nativitate, conſiliarius in concione, Deus in miraculis, fortis in paſſione, Pater futuri ſæculi in reſurrectione, Princeps pacis in æterna felicitate. *S. Bern. ſerm.* 10. *ex parvis.*

Hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini Noſtri invocabimus. *Pſal.* 19.

In nomine ejus gentes ſperabunt. *Matth.* 12.

Si tentaris à diabolo; ſi ab omnibus hominibus opprimeris; ſi conficeris ægritudine; ſi doloribus fatigaris; ſi deſperationis agitaris ſpiritu, nomen Jesu edicito, *B. Laurent. Juſtinianus ſerm. de Circumciſ.*

Eſt nomen beatæ ſpei, quid enim eſt JEſus niſi Salvator? ergò propter temetipſum JEſu eſto mihi JEſus, eſto mihi Salvator benignus, noli Domine, noli attendere ſic malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum. O bone Domine JEſu, etſi ego admiſi, unde me damnare poſſis, tu non amiſiſti, unde ſalvare ſoles. *S. Aug. lib. de contrit. cord. cap.* 5.

Reſpirate perditi, venit enim JEſus ſalvum facere, quod perierat; morbidi convaleſcite, venit

enim Chriſtus, qui contritos ſanat unctione miſericordiæ ſuæ; exultate, quicunque eſtis grandia concupiſcentes; deſcendit enim ad vos Filius Dei, ut regni ſui faciat cohæredes. *S. Bern. ſerm. 1. de Vigil. Nativit.*

Pſallite nomini ejus, quoniam ſuave. *Pſal.* 134. Sacratiſſimum nomen JEſu crebrò invocare ſic ſtudeas, JEſu propter nomen tuum dulce, fac mihi ſecundùm nomen tuum. JESU nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen bonæ ſpei. *S. Aug. loc. cit.*

Senties indubitanter amænitatem quandam ſpiritualem, ſapidam non ſolùm in corde, verùm etiam in ore; quoties hoc ſanctum nomen fuerit à te cum devotione prolatum. *B. Laurent. Juſtinian. ſerm. de Circumciſ.*

Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto perfunditur; inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur; ſi ſcribas, non ſapit mihi, niſi ibi legero JEſum; ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit tibi JEſu; mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. *S. Bern. ſerm. 15. in Cant.*

O JEſu propter nomen tuum dulce obliviſcere ſuperbum te provocantem. Reſpice piè miſerum te invocantem. JEſu nomen tuum dulce, nomen confortans peccatorem. *B. Laurent. Juſtin. ſerm. de Circumciſ.*

HISTORIÆ.

S. Paulus in ſuis quatuordecim epiſtolis non adeò magnis ſecundùm aliquorum numera-

tionem SS. nomen JEſu ducenties decies, Chriſti verò quadringenties & ſemel, ſecundùm Genebrardum verò lib. 3. Chronolog. & alios ſolum nomen JEſu quingenties repetivit. Verè *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël.* Act. 9. Hoc patiebatur Paulus de nimio amore Chriſti, ut eum ſemper, quem diligebat, & ſuperfluè, & extraordinariè nominaret, ut ait S. Hieronymus *in* 1. *ad Epheſ.* Imò & poſt mortem S. Pauli caput ter nomen JEſu pronuntiavit. *Baron. anno Chriſti* 69.

De S. Ignatio Epiſcopo & Martyre tradunt S. Thomas *in opuſc. de expoſit. Orat. Dom.* Vincent. Belluacenſis *in ſpeculo hiſtoriæ lib.* 10. *cap.* 57. S. Antonius *part.* 1. *hiſtor. tract.* 7. *cap.* 1. *& alij.* Inter ſumma tormenta eum ſemper ſanctiſſimum nomen JEſu invocâſſe, JEſum ſuum amorem dixiſſe; & cùm Tyrannus mortem minaretur, niſi deſiſteret hoc nomen pronuntiare, reſpondiſſe ſanctum, *etſi de ore hoc nomen mihi abſtuleris, nunquam tamen poteris de corde eripere; hoc enim nomen cordi meo inſcriptum habeo, & ideò ab ejus invocatione ceſſare non poſſum.* In ejus dein occiſi corde aureis litteris repertum Nomen *JESUS Chriſtus.* Videtur Baronius hoc negare, cùm enim à leonibus ſit devoratus, putat probabile eſſe, hoc quoque abſumptum fuiſſe. Sed nunquid potuit Deus id ſervare ad teſtandam fidem, & amorem S. Martyris? Certè id ſervatum citati authores fide digni aſſerunt.

Digitized by Google

De S. Franciſco ſcribit S. Bonaventura, quoties ei nomen Domini occurreret, præ ſuavitatis dulcedine viſum labia ſua lambere; SS. verò Nomen JEſu cùm exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletum interius, exterius viſum totum alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmonicus quidam ſonus ipſius immutâſſet auditum.

S. Julianus ubicunque hoc nomen in libris legebat, præ dulcedine flebat, & ita madefaciebat paginas *S. Ephrem in ejus vita.*

B. Egidius Poncellanus è S. Dominici familia ad SS. Nomen JEſu auditum ſtatim in extaſin raptus cœleſtibus delicijs perfundebatur. *Hiſtor. Ordinis anno* 1265.

Cùm S. Martino militiam impiam detrectanti Julianus apoſtata ignaviã, & timorem objiceret: ait ad eum, *Si hoc ignavia & non fidei adſcribitur, craſtina die ante aciem inermis ſtabo, & in Nomine Domini JEſu ſigno crucis non clypeo protectus aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.* Sulpitius in ejus vita.

S. Antonius in quadam cum dæmone pugna teſte S. Athanaſio illi dixit: *Verè IEſus tandem tuas funditus ſubruit vires, & honore nudatus Angelico volutaris in ſordibus. Vix dum verba expleveram,* ait Sanctus, *& ille ſublimis nomine Salvatoris dejectus eſt.*

Abraimus Eremita diabolum in angelum lucis ſe transformantem his allocutus eſt: *In nullo ego te, & tuas inſidias pertimeſco, neque tua plurima phan-*

Digitized by Google

phantaſmata ac ſpectra terrorem mihi incutiunt; pro muro ſiquidem munitiſſimo & tutiſſimo eſt mihi nomen DEI mei, & Salvatoris IESV Chriſti, quem dilexi, & diligo, in quo nomine te increpo immundiſſime canis ac miſerabiliſſime. S Ephr. in ejus vita.

Henricus Suſo nomen ſanctiſſimum JEſu digitalibus litteris pectori inſculpſit: & cùm præ doloribus deficeret, alterum è cœlo lapſum nomen Jesu auro gemmíſque coruſcans accepit. *Hiſt. Ordinis PP. Prædicatorum.*

FRUCTUS.

PRimus. Ex dictis conſtat *ſumma Fiducia*, quæ in hoc nomine reponenda eſt. Catharinam Januenſem, ſeu adornam docens Chriſtus, quid ſub ſalutatione Angelica eſſet cogitandum, *Nomen IESV*, ait, *in corde tuo fixum ſit, eò tuta eris in omnibus adverſis.* Ex ejus vita Ballinghen. *Inter inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſperemus inſurgentes in nobis. Pſal.* 43. Hoc JEſu nomen tum inferis, tum morbis, & vitijs terrori eſt. *S. Chryſoſt. Hom. de laude Dei.*

Secundus. *Magna erga SS. Nomen reverentia*, quæ non ſolùm in hoc conſiſtit, *ut non aſſumes nomen Dei tui fruſtra.* Exodi. 20. Sed ut illud ſummo honore nomines, nominatum audias, auditum, vel viſum revereare, cultum ejuſdem exemplo S. Bernardi Senenſis promoveas. Semper perattentè piâque cura pronunties imitatus P. Petrum Fabrum primum S. Ignatij ſocium, qui ferè interim precabatur, ut Deus Pater, quoties

ties ipſe nomen Filij appellaret, reſpiceret omnes, qui vel vivi, vel in purgantibus flammis ſalute aliqua indigerent, & recordaretur omnium JEſu meritorum, & deſideriorum, quæ ipſe in terris degens pro ſalute hominum habuiſſet. *Vita lib. 2. cap. 3.* Aliqui nunquam nomen JEſu ſcribunt, niſi detecto capite, & litteris majoribus. Alij hoc nomine audito ſemper detegunt, etiam genu inflectunt. Timatzacca Japon ubi audijt hoc ſacrum Nomen, protinus ex equo deſiluit. *Annua Iaponiæ anno* 1601. Quidam tum ex amore, tum ob meritum augendum ita crebrò ſumma cum devotione pronuntiant. S. Franciſcus Xaverius per ipſam nocturnam quietem audiebatur clamans: *O mi IEſu, ô mi dulcis IEſu, ô mi IEſu cordis mei.* Bartolus lib. 4. num. 56. Non nulli cùm ſe ad quietem conferunt, vel manè ſurgunt, hoc nomen ſacratiſſimum fronti imprimunt juxta monitum, quod Chriſtus S. Edmundo dedit, ut ejus vita refert. Imò ferventiores alij cultello pectori inſcripsêre, vel ferro candenti inuſsêre; quâ re ſe quaſi ſtygmatica mancipia, ſed feliciſſima ſunt profeſſi. In more quidam habent hoc diviniſſimum nomen pulvinari, cui nocte incubituri ſunt, magna devotione manu inſcribere, ut hoc Protectore ſecuri *in pace dormiant, & requieſcant.* Pſal. 4. Alias devotiones alij ſuggerent Authores.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO VI.

DE PUERO JESU A PARENTIBUS IN TEMPLO INVENTO, ET IISDEM SUBDITO.

Fili quid feciſti nobis ſic? ego & Pater tuus dolentes quærebamus te. Et erat ſubditus illis.

Lucæ 2.

O Fili!
Cor meum! Amor meus! DEUS meus!
Quid feciſti nobis ſic?
Effare Virgo: effare Mater.
Quid ſibi vult verbum hoc
Sic?
Ah dolor eloquens eſt, ſed & mutus:
Eloquens eſt, & explicat ſe, cùm ſe evolvere poteſt.
Sed hoc ipſo nimius non eſt.
Nec opus eſt, ut amici Job ſileant cum eo ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & ſileant mœſti. *Iob. 2.*
Mutus eſt, cùm ipſa vehementia ſe impedit, & linguam facit elinguem.
Innuit ergò ſolùm, ut mutus, & vix eſt unius verbi potens.
Sic?

Verùm

Verùm ô verbum non unum, ſed multum,
vix una ſyllaba, ſed integra oratio.
Facunda, validè movens, & fortiter perorans.
Sic
Patrem, & Matrem reliquiſti
Tui amantiſſimos?
Noveras, quod cruciabatur ſpiritus noſter
in nobis, *Tob.* 10.
Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.
Dolore quanto?
Ineffabili, quia bonum amiſimus ineffabile,
Nos exanimante, quia animam amiſimus noſtram. Luctu inexplicabili; & irremediabilibus lacrymis, quia te oculorum noſtrorum lumen, ſolatium vitæ noſtræ, & omne gaudium amiſimus.
Exprimi hic dolor nequit;
Qùia nec amor concipi, vel explicari poteſt.
Menſura doloris eſt ardor amoris.
Et tamen pientiſſime JEſu,
Horum omnium gnarus clam parentibus in templo manſiſti, & per triduum ædibus
abfuiſti maternis?
Quia ſcilicet ſic placitum fuit æterno Patri;
In domo ſua is te volebat eſſe.
O amor! ô obedientia!
Amore, & obedientia etſi ſummis ſuperior.
Quid me facere convenit?
Num æterni Patris ſanctiſſimæ voluntati meam,
vel cujuſcunque alterius præferam?
At Mater mœſtiſſima

Siſte

Siſte lacrymas, pone luctum, exulta filia,
& Domina Sion. *Zach.* 9.

Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo. *Ierem.* 31.

Merces magna nimis! Ipſe Filius tuus.

Tridui triſtis moram, & abſentiam compenſabunt anni octodecim.

Quibus ſol tuus in domo tua nunquam occidet,
Ipſis noctibus eo fruere, recreabere,
Eum videbis.

Fulgebit ad nutum tuum; Lunæ hic ſol ſe ſubjiciet, obtemperabit obſequioſus.

Et erat ſubditus illis.

O quanta ſubjectio;
Lucifer renuit ſe ſubmittere ſuo Creatori;
Adamus inobediens erexit ſe ſuper ſe,
Filius DEI
Demiſit ſe infra ſe.
Promptiſſimus ſe ſubmiſit Creaturis
Creator.
Humillimus ſe inclinavit Matri, ſubjecit.

Exequitur mandata, prævenit, antevertit nutus
Clamat diebus, ac noctibus. *Ecce adſum. Iſa.* 51.

Adſuit Joſepho in opificio fabrili; & ex arbitrio patris ſui exercuit ut tiro, & pauperis filius.

Inſtrumenta paravit, humeris ſuis attulit, & retulit.

Aſſulas collegit, & ad nutum Patris omnia egit
Creator & fabricator mundi.

Adſuit

Digitized by Google

Adſuit Matri in rebus domeſticis, everrendo, diſponendo pauperem ſuppellectilem, cibum parando, miniſtrando.

Et hæc eadem præſtitit alacritate, qua dein ſanavit ægros, pavit eſurientes, excitavit mortuos.

Et ego vermis, pulviſculus terræ, peccans, & immundum lutum

Detrectem me propter Deum homini ſubdere,

Cùm Deus propter hominem ſe ſubdiderit homini?

Diſce humiliari terra, & limus, & ſub omnium pedibus incurvari.

Diſce voluntates tuas frangere, & ad omnem ſubjectionem te dare. *Thom. de Kempis lib. 3. cap. 3.*

Sed mi JEſu

Quamdiu obſcurus latebis, & te ſolem in ædibus anguſtiſſimis abſcondes, atque volens patieris eclipſin?

Anno ætatis tuæ trigeſimo populus, qui ambulabat in tenebris, videbit lucem magnam:

Habitantibus in regione umbræ mortis lux orietur. *Iſa. 9.*

O Deus abſcondite! *Iſa. 45.*

Mirabilis facta eſt hæc ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. *Pſal. 138.*

Quia tamen ſemel cæpi loqui ad Dominum meum, cùm ſim cinis, & pulvis. *Gen. 18.*

Interrogabo te, & reſponde mihi, *Iob. 42.*

Cùm

Cùm in momento Conceptionis fueris ſcientiarum Dominus, & inhabitaverit omnis plenitudo Divinitatis in te. *ad Coloſſ.* 2.

De te quoque in capite libri ſcriptum ſit, ut faceres voluntatem ejus, qui miſit te, *Pſal.* 39. & in medio cordis fuerit lex ejus. Voluntas verò Patris tui ſit ſanctificatio noſtra. 1. *Theſſal.* 4.

Cur non ſaltem adoleſcens in medio Doctorum aperuiſti theſaurum tuum? *Ierem.* 50.

Cur non diſpensâſti divitias ſalutis noſtræ ſapientiam, & ſcientiam? *Iſa.* 33.

Annus duodecimus, imò primum vitæ momentum ejusdem fuit ſapientiæ, virtutis, gratiæ, cujus erat triceſimus.

Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utroque? *Eccli.* 20.

Quantum potuiſſet promoveri gloria Patris æterni?

Quantum ſalus humani generis?

Verùm

Pater ſic planit ante te. *Luca.* 10.

O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ DEI?

Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus? ***ad Rom.* 11.**

Pater ſic placuit ante te, qui poſuiſti tempora, vel momenta in poteſtate tua. ***Act.* 1.**

Acquieſcat humana infirmitas, & diſcat obedientiam, diſcat humilitatem.

Si ipſe Filius DEI tam altum jecit doctrinæ ſuæ fundamentum.

Digitized by Google

Si vixit humilis annis triginta ; docuit humilis
ſolùm tribus.
Quid agendum erit Ejus imitatoribus ?
Palma tot annis radices egit ; & latuit ſub
terra ;
Et myrica unius diei mox ſe erigens
ſperet firmitatem ?
Denique
Melior eſt obedientia ; quàm victima, &
auſcultare magis, quàm offerre adipes
arietum. 1. *Reg.* 15.
Imitemur illum ſervum Centurionis ; cui cùm
dicit Dominus veni, & venit, vade,
& vadit. *Matth.* 8.

SENTENTIÆ.

PUer JESUS quærebatur inter cognatos, & notos ; nec invenitur. Fuge fratres tuos & tu, ſi tuam vis invenire ſalutem. *S. Bern. epla.* 107.

Non invenitur JESUS inter cognatos : & quomodo te bone JESU inter meos cognatos inveniam ; qui inter tuos minimè es repertus ? *Idem.*

Quamdiu virtus ; & DEI Sapientia quaſi infirmus aliquis, aut inſipiens latet in populo ? Quamdiu nobilis Rex & Rex cæli fabri filium te pateris appellari, pariter & putari ? O humilitas virtus Chriſti ! quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis ? parùm aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor ; & jam ſilere non poſſum ; impu-

impudenter me & imprudenter oſtentans : & Chriſtus cùm tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam timebat? Quid timeret à vana gloria, qui eſt vera gloria Patris? Utique timebat, ſed non ſibi; nobis timebat ab illa, quibus noverat eſſe timendum; nobis cavebat, nos inſtruebat; tacebat ore; ſed inſtruebat opere, & quod poſtea docuit verbo, jam clamabat exemplo. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. *S. Bernard. ſerm. 1. in Epiph. Domini.*

S. Vincentius *dom. octav. infra Epiph. conc. 4.* ſic ſcribit: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Dicam vobis unum ſervitium, ut Magiſter hiſtoriarum expreſsè dicit; quod Chriſtus cum alijs pueris ibat ad portandam aquam, & adhuc in Nazareth fons eſt, de quo JESUS Puer hauriebat aquam, & miniſtrabat Matri; præceptum parentum ex intima animi obſervantiam etiam præveniendo. Virgo de mane volebat recipere amphoram, ut portaret aquam: veniebat Chriſtus, & recipiebat amphoram dicens *Ego ibo*, O ſi quis dixiſſet, quare non facitis Michael, Gabriel? reſpondiſſent Angeli, *nos ſumus parati; ſed ipſe vult facere.* Hæc Sanctus.

Quæ pluribus explicat Leonardus Leſſius *de perf. Div. lib. 2. cap. 17. num. 136.* Ubi obedientiam JESU promptam, & humilem, obſcurúmque vitæ modum expendens erat, *inquit*, ipſe plenus Sapientia, imò Sapientia ipſa gubernans,

& diſponens omnia; & tamen tanquam inſipiens, & directione humana egens ſubijcit ſe parentibus pauperculis, ſimplicibus; eorum imperium, & ductum ſequitur; in obſervando vitæ modo tanquam aliquis è vulgo ignotus & inglorius ſe continens; & parentem putatitium in arte fabrili, rebúſque externis ad victum, veſtitúmque conquirendum adjuvans. Non enim credibile eſt, eum tanto tempore otioſum vixiſſe, ſed voluiſſe liberis dare exemplum, quomodo parentibus ſuis obedire, & auxilio eſſe debeant. Quàm mirabile erat mundi Fabrum & Conditorem homini fabro ſervire, inſtrumenta fabrilia porrigere, ex ejus præſcripto ligna ſecare, dolare, aptare, ſerram ex adverſo reciprocare, trabes machinis attollere, locare, componere, & alia more famuli, vel diſcentis fabrilia agere. Qua putas modeſtia? qua promptitudine? qua manſuetudine? nimirum inſtar obedientiſſimi Filij, & famuli. Hæc omnia faciebat Divinitatis ſuæ Majeſtatem obtegens, ſervi formam duntaxat præferens, in eâque humilitate homini plebeio inſerviens, & obedientiæ documenta proferens; ut omnem virtutem prius oſtenderet exemplo, quàm doceret verbo, factus obediens uſque ad mortem. Quod S. Gregorius attendens *ne perderet*, inquit, *obedientiam, perdidit vitam.*

Et erat ſubditus illis. Cui ſubjecti ſunt Angeli, Principatus, & Poteſtates, ſubditus erat Mariæ, & Joſeph propter Mariam. Mirare ergò utrúmque,

rúmque, & elige, quod amplius mireris, ſive Filij DEI benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem, Utrimque ſtupor, utrimque miraculum, id quod Deus fæminæ obtemperet, humilitas eſt abſque exemplo; id quod DEO fæmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. *S. Bern. ſerm. 2. ſuper Miſſus.*

Quid magnum ſit, ſi tu, qui pulvis es & nihil, propter Deum te homini ſubdis, quando ego omnipotens, & altiſſimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te ſubjeci? Factus ſum omnium humillimus, & infimus, ut tuam ſuperbiam mea humilitate vinceres. *Thomas de Kempis lib. 3. cap. 13.*

JESUS autem proficiebat ætate, ſapientia, & gratia apud DEUM, & homines. Lucæ 2. Servator noſter proficiebat, quemadmodum ætate, ſic & ſapientia, & gratia; non quod aliquod incrementum ſuſciperet (quid enim ex perfectis ab initio perfectus fuit) ſed quia hæc ſapientia & gratia paulatim hominibus detegebatur. *S. Greg. Nazian. orat. in S. Baſilium.* Idem ſentiunt *S. Bernardus, S. Cyrillus Alexandrinus in 1. Ioan.*

Quicunque Sanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviſcitur, felix eſt, qui quotidie proficit; qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. *S. Hieron. in Pſal. 83.*

Sanctus ponit aſcenſiones in corde ſuo, peccator deſcenſiones. *Idem.* Nempe cogitationes robuſti ſemper in abundantia. *Prov. 11.*

Digitized by Google

Quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat ſufficit. Juſtus ſum; qui dixerit, remanſit in via, non novit pervenire; ubi dicit ſufficit, ibi hæſit. *S. Aug. in Pſal.* 69.

S. Bernardus *epla* 91. ait, aut aſcendas neceſſe eſt aut deſcendas; ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt; minimè pro certo eſt bonus, qui melior eſſe non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam deſinit eſſe bonus.

HISTORIÆ.

CHriſtus inſcijs parentibus remanſit in Jeruſalem, nec inter cognatos & notos repertus eſt. Nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. 2. *Cor*. 5.

Die quadam, ait Pratum ſpirit. venêre cognati Cyriaci Monachi, ut illum viderent. Cùm ergo veniſſent ad locum, quærebant illius cellulam; quam dum quibusdam oſtendentibus didiciſſent, adeuntes pulſaverunt januam. Quibus cognitis ſenex DEUM oravit, ne ab ipſis penitus videretur. Et aperiens januam exijt de cellula ſua, & ab eis penitus viſus non eſt. Abiénsque in deſertum, redire tam diu noluit, donec illos receſſiſſe cognovit.

S. Pachomius, teſte Surio, cùm germana ſoror eum viſere veniſſet; nec videre eam, nec ab ipſa videri ſuſtinens per janitorem nuntiavit: *Ecce audiviſti me vivere, abi.* Tantum apud eam

valuit

valuit nuncius, ut vicinum monaſterium ingreſ-
ſa, mundo pariter nuntium remitteret.

Chriſtus ſemper proficiebat ætate, ſapientia, & gratia.

Zeno laudatus à Theodoreto ſemper DEI a-
ſcenſus in corde diſpoſuit. Talis etiam fuit S. Ja-
cobus ab eodem laudatus, qui in Divinis rebus
ſemper creſcebat. Talis S. Fulgentius, qui pa-
rùm putans omne, quod faciebat, de die in diem
melior fieri geſtiebat. Talis S. Pachomius, qui
plurimorum Patrum conſiderans Inſtituta dabat
ſemper operam ad majora virtutis augmenta
conſurgere.

S. Ignatius in hoc proficiendi ſtudio apprimè
excelluit, de quo Riban. *in ejus vita* ſcribit, quod
præſentem diem cum heſterno conferens, &
cum profectu profectum longius ſe quotidie pro-
greſſum, & ardentioribus in dies inflammatum
ſtudijs reperiebat. Quem P. Petrus Faber ſtre-
nuè imitatus eſt, de quo *vita lib. 2. cap.* 11. Stu-
debat omnem omnino diem ducere cum inſigni
aliqua progreſſione virtutis.

Chriſtus annis octodecim vixit occultus in te-
nebris quaſi domeſticis Patri cæleſti, & parenti-
bus in terra ſolùm notus. S. Gregorius Nazian.
Orat. 7. *de S. Cæſario* vivebat, ait Cæſarius, ſoli
DEO cognitus, quod majoris eſt pietatis.

Joannes ex opulentiſſimo pauperem ſe fecerat
diſtributis in egenos omnibus facultatibus ſuis,
ita ut ſtipem aliorum more emendicare cogere-
tur. Solebat is Conſtantinopoli, ubi ſedem fi-

 xerat,

Digitized by Google

xerat, vigilijs & orationibus vacare, ad ædem S. Sophiæ. Quodam veſpere dum hujus Eccleſiæ foribus aſſidet intentus precibus; proſpicit venientem eminus quendam veneranda canitie ſpectabilem mira luce circumfuſum. Qui ſimul atque ad fores acceſſit, demiſit ſe in genua, breviculam orationem fudit, & demum ſigno Crucis expreſſo fores aperuit. Ingreſſus in templum prolixè precibus indulſit, quibus peractis dum egreditur, obſerata porta, & iterum lux adfuit virum ſanctum domum deductura. Joannes, qui hæc omnia prodigia clam obſervaverat, proſequitur ſenem, advertítque illum ingredi vilem caſulam, pulſato leniter oſtio, & conjuge, ut aperiret, modeſtè monitâ. Placuit præterea admotis auribus explorare, quomodo reliquum noctis domi traduceret, & intellexit, illum inſomnem ſuendis calceis dare operam (erat opificio ſutor) neque his contentus pulſat fores, ſibíque aperiri rogat, deníque provolutus ad ſancti viri genua nomen inquirit, & genus vitæ, & virtutem. Senex ipſe quoque ſe in genua demiſit, aſſeruit ſe Zachariam vocari, de reliquo ſutorem ſe eſſe, miſerúmque peccatorem. *Planius amabò te*, inquit Joannes, *tam enim miranda vidi hoc veſpere, quando ad S. Sophiæ te contuliſti, ut obſtupeſcam, decernámque pedem hinc non efferre prius petitioni meæ quam ſatisfeceris. Ah!* repoſuit Zacharias, *fuit phantaſma aliquod, in mei gratiam DEUS miracula non patrabit. De iſtis aliàs*, ait Joannes, *nunc cedo vitæ tuæ modum. Pauca à me diſces*,

diſces, reſpondet Zacharias, *quod propter DEUM ago, eſt, ſervo cum uxore, quam vides, virginitatem illibatam; & ut ea occultior ſit, dico cæteris, uxorem ſterilem videri: reliquum laboris mei, quod à victu neceſſario supereſt, divido in pauperes, & cum metu diem Iudicij exſpecto. Hæc tota vita mea eſt non magni ſanè facienda.* His auditis Joannes cùm voto ſuo ſatis fuiſſet factum, abijt, & domum notavit. Reverſus poſt pauculos dies, reperit aliò ſe recepiſſe illos hoſpites declinantes omnem vanitatis occaſionem, cùm dubitare non poſſent, quin ille, cui ſe patefecerant, eodem eſſet rediturus. *Raderus in viridario. Ex Menæis Grecorum.* 17. *Novemb.*

In revelationibus S. Brigittæ *lib.* 4. *cap.* 74. legitur, quòd civitatis Nazarethanæ incolæ, eo tempore, quo Chriſtus ſuam agebat pueritiam, ſuúmque putativum patrem Joſephum in laboribus adjuvabat, ſoliti fuerint ſe mutuò invitare ad frequentandam hujus Sanctiſſimi Fabri officinam; ut benedictum hunc puerum, qui totus cæleſtes ſpirabat amores, ſuóſque ſpectatores inæſtimabili perfundebat lætitia, conſpicere poſſent dicentes. *Eamus ad filium Mariæ, ut hilares reddamur.* Ita revelationes *num.* 27. Et certè Chriſtus actiones formabat tam graves, támque ſuavibus, & amabilibus moribus pollebat; ut certa quadam & occulta vi, ac grata violentia corda & voluntates omnium ad ſe raperet: ſua negotia puerilia tanta cum gratioſitate, & venuſtate peragebat, ut captos ſuſpen-

ſosque teneret omnes. Et tamen etiam tunc erat pueri inſtar vulgaris in viliſſimis officinæ cujusdam pauperculi fabri miniſterijs occupatus, patris obedientiæ ſubjectus, abſque ulla ſplendoris, aut magnificentiæ apparentia. Verùm ut ait S. Hieronymus *ſerm.* 1. *in Matthæi cap.* 9. Fulgor ipſe, & Majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe venientes trahere poterat aſpectu.

Fructus.

PRimus. *Ex Chriſti obedientia diſce cinis & pulvis obedientiam.* Promptiſſima fuit, quia ſine cunctatione, imò parentum prævenit nutus: Quid tu? Integerrima fuit, quæ in nullis quantumvis vilibus, & difficilibus defecit. Quid tu? Sinceriſſima fuit, quia optima ex intentione ſe inprimis rectiſſimæ Æterni Patris, dein parentum terrenorum voluntati conformandi erat profecta. Quid tu? Fuit cum gaudio alacris; lætiſſimus omnia mandata dabat executioni, & geſtiebat imperantibus, imò ſolùm innuentibus obſequi, exultabat dicens *Ecce adſum.* Quid tu? Erat humillima: en DEUS homini, filius ſupremi, & cæleſtis Patris obedit Patri terreno, opifici pauperi, Matri ancillæ Domini humillimæ. Fuit cæca, non inquirendo, cur hoc vel illud imperaretur? non aiebat, cur impendor aratro fabricando, qui poſſum nutu totos mundos fabricare? Quid tu talentorum tuorum æſtimator, & quali-

qualitatum? Conſtantiſſima & perſeverans per annos 18. erat; ſubditus erat ille, qui in cunis dominabatur Angelis, infans linguas mutorum faciebat diſertas, parvulus & tenellus ſuſtentabat orbem, portans omnia verbo virtutis ſuæ. Rex Regum, Dominus Dominantium fabro lignario ſe ſubjecit. Quid tu? Quid tua tibi ſuggerere ſuperbia Diſce ergò omni creaturæ propter DEUM te ſubmittere, qui propter te tot annis ſe ſubmiſit, imò factus eſt obediens uſque ad mortem crucis. Diſce ſub obedientia vivere, & imitari JESUM, qui ſub obedientia, & alterius obedientia vivens plus egit latendo, & nihil agendo, teſte S. Bonaventura, quàm ſi, quidquid fieri potuiſſet, feciſſet.

Secundus. Jeſus autem proficiebat ætate, ſapientia, & gratia. Hujus exemplum imitemur *euntes de virtute in virtutem, donec videatur DEUS Deorum in Sion*. Pſal. 83. *In omni opere boni fructificantes & creſcentes*. ad Coloſs. 1. *Juſtorum uáque ſemita quaſi lux ſplendens procedat, & creſcat uſque ad perfectum diem*, Prov. 4. *Quaſi enim per quandam diem Sanctis incedere eſt mente ire ſemper ad meliora*. S. Gregorius hom. 3. in Ezechielem.

Tertius. *DEUS abſcondite quàm incomprehenſibilia ſunt judicia, & conſilia tua?* Te per annos tot occultum deliteſcere, qui miſſus fueras ad evangelizandum? inſtruendo orbi per doctrinam tam ſalutarem, & neceſſariam ſolùm dari annos tres, & eundem inſtrui per exemplum annorum octo-

decim

decim, qui tamen ipſi erant abſconditi ab oculis hominum? inter lares domeſticos? habebaris fabri filius, & agebas fabri filium, qui refectu-rus eras mundum. Dein quam prompta, humilis, cæca, fervens, indefeſſa, conſtans fuit obedientia, dum omnia mandata parentum exequebaris, imò præveniebas, occupabas omnia officia, etiam vilia quæcunque: heu quid ego feci? quid oportet me in poſterum facere? Inſuper tu æterna ſapientia ſciebas omnia peragere, diſponere prudentius, melius, dexterius: id non feciſti, ſed agebas, ut volebat pater, ut innuebat. Proh ſuperbiam meam deteſtandam, qua judicium meum Superiorum, & Majorum meorum judicio, ac imperio prætuli! Rurſum ea alacritate, gaudio, & intentione paternæ gloriæ augendæ everrebas domum, eluebas lances, colligebas ſarmenta, ad fontem ibas ad portandam aquam, qua dein ſuſcitaſti mortuos; quia ſciebas in Divino ſervitio non penſari præſtantiam operis, ſed rationem voluntatis, non quantum, ſed ex quanto quis agat. Cur ergo ſuperbum animal dedignor vilia, & lutum terræ fætidum ea cum tædio perago? O JESU humillime, & obedientiſſime doce me humilitatem, & obedientiam. Da JESU optime Magiſter ut diſcam obtemperare pulvis, diſcam me humiliare terra & limus, & me ſub omnium pedibus incurvare; diſcam voluntates meas frangere & ad omnem ſubjectionem me dare: cùm tu factus ſis omnium humil-

Digitized by Google

humillimus, & infimus, ut meam ſuperbiam tua humilitate ſubjugares.

Consideratio VII.
De duobus vexillis.

Quarto die hujus ſecundæ hebdomadæ S. Ignatius aſſignat meditationem de duobus vexillis, uno quidem D. N. Jesu Chriſti; Optimi noſtri Imperatoris; altero verò Luciferi, hoſtis hominum capitaliſſimi. Uterque omnes ad ſe vocat ſuo ſub vexillo congregandos: utriuſque deſcribitur perſona, refertur concio, & explicatur ratio, qua tum Optimus, tum Peſſimus Dux nititur homines ad ſua ſigna pertrahere, eóſque vel ſalvare, vel perdere. Lucifer quidem per divitias, honores, & ex his naſcituram Superbiam. Rex & Magiſter humilitatis oppoſitis artibus diabolum expugnandum docet, & ipſe ſuis præit exemplo paupertatis, abjectionis ſui, & humilitatis.

Hic

Digitized by Google

Hic eſt Filius meus dilectus; in quo mihi benè complacui: ipſum audite. Matth. 17.

Hæc vox Patris amantiſſimi eſt.
Qui adeò dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. *Joan.* 3.
Patris Clementiſſimi,
Qui non vult aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti. 2. *Pet.* 3.
Patris providentiſſimi, & munificentiſſimi,
Ecce Teſtem populis dedi Eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus. *Iſaiæ.* 55.
Non ergò aliquem dedit Pater Seraphinum,
Sed Ipſum Filium, ut Ipſum audiremus.
O cæcas hominum mentes!
Ut quid reſpiciunt in vanitates, & inſanias falſas? *Pſal.* 39.
Ut quid magis diligunt tenebras, quàm lucem? *Ioan.* 3.
Mortem magis, quàm vitam?
Luciferum libentiùs audiunt, quàm JESUM?
Homicidam ab initio libentiùs, quàm Salvatorem? *Ioann.* 8.
Iſne Orator mihi peroret, perſuadeat, moveat, & ejus in partes eam?
Qui Capitaliſſimus, & infenſiſſimus mihi hoſtis eſt?
Cui jugulum petit meum, ſitit ſanguinem?

Num

Num ex felle fluet mel?
Num ex veneno mihi ab hoſte ferociſſimo
propinato hauriam medicinam?
ſanitatem?
Proponit Lucifer divitias, opes, gazas
Perſicas;
Clamat Deus: Divitiæ ſi affluant; nolite
cor apponere. *Pſal.* 61.
Viſcum ſunt, hamus ſunt, latet anguis
in auro.
Gloriatur Ephraim. Dives effectus ſum, inveni
idolum mihi. *Oſeæ.* 12.
Nempe avaritia idolorum ſervitus
eſt. *ad Ephes.* 6.
Offert meretrix Babylonica poculum aureum,
ſed plenum abominatione, & immunditia.
Apoc. 7.
Oſtendit, & offert Satan omnia regna mundi,
& omnem gloriam eorum.
Sed offert; ſi Cadens adoraveris eum.
Matth. 4.
Ergo ut gloria potiare, tibi cadendum erit?
Si exaltaverit te, eris humiliandus?
Quis tanti emat pænitere, & ruinam?
Sed quæ Ruina?
Facta eſt domus illius ruina magna. *Lucæ.* 6.
Pro eo, quod eſt ſublimatus in altitudine,
& elevatum eſt cor ejus in altitudine
ſua;
Juxta impietatem ejus ejeci eum; operui eum
abyſſo,

Digitized by Google

abyſſo, à ſonitu ejus commovi gentes, cùm
deducerem eum ad Infernum.

Jerem. 49.

O Ruina Magna!

Audivimus Superbiam Moab, ſuperbus eſt
valde,

Et ceſſabit Moab eſſe populus, quoniam contra
Dominum gloriatus eſt.

Pavor, & fovea, & laqueus ſuper te habitator
Moab. *Ierem.* 48.

En! O anima

Ut extrema gaudij luctus occupat!

Prov. 14.

Audi, & Specta.

Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus
inſaniam,

Ecce quomodo computati ſunt inter filios
DEI! *Sap.* 5.

Hos videntes turbabuntur timore horribili,
& præ anguſtia Spiritus gementes.

Ibidem.

Quò deducet hos Siren diabolica?

Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors de-
paſcet eos. *Pſal.* 48.

Semper victuros, ſemper depaſcendos.

Quid ergò ages ò anima?

Sint oculi tui videntes Præceptorem tuum.

Iſaiæ. 30.

Domine ad quem ibimus? verba vitæ
æternæ habes. *Ioan.* 6.

Loquere

Digitized by Google

Loquere igitur Domine, quia audit ſervus
tuus. *1. Reg. 3.*

Quàm difficile eſt, in pecunijs confidentes in
regnum DEI introire! *Marc. 10.*

Facilius eſt per foramen acus camelum intrare,
quàm Divitem intrare in Regnum
DEI. *Lucæ. 18.*

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde
Matth. 11.

Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Lucæ. 13.*

Vidi Satanam tanquam fulgur de cælo
cadentem. *Lucæ. 10.*

Quid docet hujus Magiſtri Mater?

Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. *Lucæ. 1.*

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles,
divites dimiſit inanes. *Idem.*

Ita humillima Mater humillimi Filij,

Quæ ſe cùm Ancillam dixit, exaltata eſt ſuper
choros Angelorum.

Hæc igitur anima verba ſalutis in corde
repone;

Verba bona, verba Conſolationis. *Zach. 1.*

Beati, qui audiunt verbum DEI, & cuſtodiunt
illud. *Lucæ. 11.*

SENTENTIÆ.

AUdiam quid loquatur in me Dominus Deus
Pſal. 84.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, &
exultabunt oſſa humiliata. *Pſal.* 50.

Digitized by Google

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meũ leve. *Idẽ.*

Sequèmúrne ergò illum animarum latronem, & furem, qui *non venit, niſi ut furetur, mactet, perdat?* Joan. 10.

An eum, *qui venit, ut vitam habeant, & abundantius habeant?* Idem

Si ergò voci Dei tui aurem præparas interiorem, fuge curam exteriorem; ut expedito, & vacante interno ſenſu dicas cum Samuele, loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Vox hæc non ſonat in foro, nec auditur in publico, ſecretũ conſilium ſecretum quærit auditum. *S. Bern. ep.* 107

Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut locutus eſt hic homo. *Joan.* 7.

Heu miſeria ſuper miſeriam! mundus clamat *deficio.* Tu Domine clamas, *reficio*, & miſeria mea prava magis ſequitur deficientem, quàm reficientem. *S. Aug. in ſoliloq.*

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire Deo, & Mammonæ. *Lucæ* 16.

O quàm diſſimiles ſunt iſti duo Domini! Deus & Diabolus? Primus eſt ſuavis univerſis. *Pſal.* 144. De altero dicit Iſaias *cap.* 19. Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium. Deo ſervitur flendo per pœnitentiam, diabolo ridendo per laſciviam: Deo ſervitur vigilando in cuſtodia contra diabolum, diabolo ſervitur dormiendo in negligentia contra Dominum: Deo ſervitur aſcendendo de virtute in virtutem uſque

in

in cœlum, diabolo deſcendendo de vitio in vitium uſque ad infernum. Cùm ergò nemo poſſit duobus dominis ſervire, repudiemus alterũ ſcilicet diabolum, ut ſoli Deo ſerviamus. Præparate corda veſtra Domino, ut illi ſoli ſerviatis. *S. Bonavent. in ſerm.* 1. *in Dominic.* 4. *poſt Pent.*

Quomodo dies & nox miſceri non poſſunt, ſic nec injuſtitia, & iniquitas, nec bona opera & peccatum, Chriſtus, & Antichriſtus. Si ſuſceperimus CHRISTUM in hoſpitio noſtri pectoris, illicò fugamus diabolum; ſi peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit diabolus, protinus Chriſtus recedit. *S. Hieron. lib* 2. *contra Julianum in Principio.*

Non poteſtis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum; non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. 1. *Cor.* 10.

Si hominibus placerem ſervus Dei non eſſem: *Ad Galat.* 1. Quod explicans S. Greg. *ep.* 36. *ad Maximum*, Scito, inquit, quia placere Deo, & pravis hominibus nullus poteſt, in tanto ergò exiſtimet ſe fraternitas tua omnipotenti Deo placuiſſe, quantò ſe perverſis hominibus diſplicuiſſe cognoverit.

Quàm difficile, qui pecunias habent, intrabunt in Regnum cœlorum. *Marc.* 10. Cauſam dat S. Auguſtinus *lib. de verb. Dom. ſuper Matth. ſerm.* 7. Difficilis eſt, ut non ſit ſuperbus, qui dives eſt; nihil eſt enim, quod ſic generent divitiæ quomodò ſuperbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum ha-

Digitized by Google

bet vermem ſuum; alius eſt vermis mali; alius pyri; alius fabæ, alius tritici; vermes divitiarum ſuperbia.

HISTORIÆ.

Philiſthæi tulerunt arcam Dei, & aſportaverunt à lapide adjutorij in Azotum, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon. Cúmque ſurrexiſſent diluculò Azotij altera die; ecce Dagon pronus jacebat in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum: rursúmque manè die altera conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. *Reg.* 5. *Quæ poteſt eſſe conventio Chriſti ad Belial.* 2. Cor. 6. Benè S. Auguſtinus *ſerm.* 14. *in feſt. omnium Sanctorum. Si vis eſſe templum veritatis, frange idolum falſitatis; in cor tuum intrat arca teſtamenti, & ruet Dagon.*

Englgrave *part.* 2. *lucis Evang. Dominica* 14. *poſt Pent.* hæc habet. Legiſſe me memini, quod nonnulli feſtivum, ego omninò infeſtum duco; hominem repertum, qui tot hebdomadis Divo Antonio cereum accendebat, ſed & alterum porco ſeu dæmoni ei appicto. Cauſam rogatus reſpondit, *ſe Divo id cultus ac religionis deferre, ut proſit & opituletur, dæmoni verò ne obſit & adverſetur:*

tur: quaſi verò Sanctis, ac Deo poteſtas non ſit, hunc canem, & porcum compeſcere & alligare, atque omne auxilium, ad ſe ſolum confugientibus liberaliter per ſe elargiri. Et tamen, teſte S. Hieronymo *in cap.* 1. *Sophoniæ, Sunt, qui ſæculo pariter, & Domino ſe poſſe ſervire putant, atque duobus Dominis ſatisfacere Deo & Mammonæ, qui militant Chriſto, & obligant ſe negotijs ſæcularibus, & eandem imaginem offerunt Deo, & Cæſari.*

B. Arſenius relictis Arcadio, & Honorio Principibus diſcipulis ſuis, ſpreâtque aula in eremum venit, atque interrogatus cur tam ſplendido muneri, gratiæque Imperatoriæ ſe ſubduceret? Reſpondit, *Non poſſum me dividere Deo, & hominibus; non poſſum Regis gratiam, & Dei ſimul aucupari.* Vita.

B. Ægidius S. Franciſci Alumnus percunctanti quid Deo gratiſſimum accidere poſſit, reſpondens hoc unum inculcavit, *unum uni, unum uni, unum cor, uni Deo.*

FRUCTUS.

PRimus. *Labora ſic ut bonus miles Chriſti Jeſu.* 2. ad Timoth. 3. Si militibus ſæcularibus glorioſum eſt, ut hoſte devicto redeant in patriam triumphantes, quantò potior, & major eſt gloria victo diabolo ad paradiſum triumphantem redire? Offerre Deo acceptiſſimum munus incorruptam fidem, cohæredem Chriſti fieri, Angelis adæquari. *S. Cyprianus in Exhort. ad Martyres.*

 Sed

Sed hoc non obtinebitur, *niſi quis legitimè certaverit*. 2. ad Timoth. 8. Ergò ab omnibus abſtine; cùm ille hoc faciat, *qui in agone contendit*, *& quidem ut incorruptibilem coronam accipiat, tu verò incorruptam*. 1. ad Cor. 9.

Secundus. *Eſto miles fidelis uſque ad mortem, & dabit tibi Dominus coronam vitæ*. Apoc. 2. *Tene ergò, quod habes, ut nemo eripiat coronam tuam*. Apoc. 3. ut audias aliquando *Euge ſerve bone, & fidelis*. Matth. 25. Jam dediſti nomen Chriſto Duci, in ejus verba, & ſigna juraſti; renuntiaſti in Baptiſmo diabolo: quàm igitur turpe erit & nefarium eſſe perfidum? audi S. Cyprianum de duplici martyrio ad Fortunat. *Tu tam vili mercedula ſollicitatus deficis ad eum, à cujus tyrannide te Chriſtus ſuo ſanguine redemit? cujus jam totus es factus, hujus militiam profeſſus es ad ſalutare lavacrum, huic dediſti nomen, hujus Sacramenti initiatus es, accepiſti donativum, & pignus ſpiritûs; ne quid dubitares de promiſſo ſtipendio: ſimúlque diabolo denunciâſti perpetuas inimicitias; renunciâſti omnibus illius pompis, & voluptatibus, exſufflâſti, exſibilâſti. jurâſti in verba Redemptoris &c.* ita Sanctus. Si quis ergò miles juratus in verba Cæſaris profugeret ad Turcam, & ipſo inſtigante faceret ea, quæ ſciret ingratiſſima Cæſari; nónne comprehenſus ad ſupplicia raperetur, ut deſertor? ut perfuga? ut perjurus? abſit ergò: ut ego ingratus, & perfidus, à caſtris Dei mei transfuga ad illius maledicti tyranni hoſtis mei capitaliſſimi partes amplius tranſeam. Moriar centies, moriar millies, quàm ut datam fidem frangam.

Ter-

Digitized by Google

Tertius. Si ergò ſequor Chiſtum Ducem, ſequor eum, per quem *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. ad Galat. 6. Sum igitur ex illorum numero, qui *ſunt JEſu Chriſti, ideóque carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*. ad Galat. 5. Verùm num ita res ſe habent? quid conſcientia reſpondet? vivítne adhuc caro, & imperat? quid ejus ſatellites agunt? adhúcne bellum animæ movent? &c.

Efficacia hujus Meditationis.

Hieronymus Natalis diu reſiſtens Numini vocanti in exercitijs, vexillorum duorum conditiones cùm meditaretur; tandem aliquando tunc Deo ceſſit, cùm minime omnium facturus videretur. Nam verſandis quæ ad Christi vexillum optandum impellunt (qui ſcopus eſt ejus contemplationis) in ipſo legendi articulo tam perplexè, diréque exagitatus eſt, ut deficiente laſſitudine capite, & anguſtijs animo nihil abfuerit propius, quàm ut omnia deſperaret, atque abjiceret. Sed ea demùm noctis hora, quam velut ultimum conatum eidem impendit cogitationi, Deo propitijs oculis turbatum animum ſerenante tempeſtas momento poſuit; & ejus loco tantum flumen divinæ conſolationis mentem inundavit, ut ſumpto mox calamo in Dei conſpectu de genibus hæc verba ſcripſerit: *Hoc demùm ex ijs, de quibus hactenus mecum altercatus ſum, certè conficio; omnium, quæ me à Chriſto avo-*

cabant, nihil tanti eſſe, ut mea ſit dignum refutatione; quin & iis etiam, quibus primùm ab eo avocabar, ad eum nunc urgeor, atque corroboror. Nam ex ſerio omnium, diligentíque examine id mihi conſtat, nulla me dubitatione, pugnáque jactatum, niſi quam privatus mei amor, & abhorrens à cruce ſenſus corporis excitarunt. Nunc tantò certiùs Deum intelligo, id à me expoſcere, quantò pertinaciùs caro, mundúsque reſiſtant, quibus ſapere mihi poteſt, quod pietatem cœlúmque ſapiat: quare obſiſtat licet, quidquid poteſt mortali durum aſperúmque accidere, quicquid Cacodæmon ſuggerere. In nomine SS. Trinitatis Patris, Filij & Spiritus S. decerno, & ſtatuo Evangelica ſectari conſilia, & in votis Societatis IESV vitam traducere paratus, quæcunque in ea ſerventur, religioſè obſervare, & ad illa me voto, ſi à me exigitur, alligare; cujus mei propoſiti fidem cum ſumma reverentia, & tremore magnâ illâ confiſus Chriſti miſericordiâ, cujus nunc capio tam certa indicia, tota mente totóque animi conatu voti religione ſtabilio: Hujus Deo ſit gloria. Amen. Hoc die Nov. 13. Exercitiorum decimo octavo. Bartolus de Vit. & Inſtit. S. Ignatij lib. 2. num. 4.

CON-

Consideratio VIII.
De Christo a Joanne Baptizato.

A te debeo baptizari, & tu venis ad me? Matth. 3.

O Deus admirabilis!
Quàm exaltatæ ſunt viæ tuæ à vijs noſtris, & cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris?
Iſ. 55.

Tu venis baptizari à Joanne?
A ſervo Dominus?
A diſcipulo Magiſter?
A Lucerna Sol?
A voce Verbum æternum?
Ab homine Deus?
Sic nos decet implere omnem juſtitiam.
Matth. 3.

Ergò ô humilis corde!
Humilitas eſt omnis juſtitia?
At ô magni Conſilij Angele!
Suſpicio, admiror, adoro omnia opera tua;
Verùm,
Nunquid tu veniſti mundare peccatores?
Agnus tollere peccatum mundi? Joann. 1.
Cur ergò venis ad Ioannem baptizandus?
Agne immaculate eges lavacro?

Digitized by Google

Circumcidi volui, offerri in templo volui,
Matrem meam Purificationi ſubjeci.
Sic nos decet adimplere omnem juſtitiam.
Ergò humilis, & obediens Magiſter.
Obedientia, & humilitas ſunt omnis juſtitia?
O mitiſſime Jeſu!
Licet addere alterum verbum?
Circumciſio, & Purificatio ſunt à te Deo præſcripta:
Legislator te tuis legibus ſubdidiſti.
Sed Baptiſmus Joannis opus eſt voluntarium,
opus humilitatis, quod lex non præcipit.
Voluntariè ſacrificabo Patri meo, & me ſiſtam,
qui ſuo tempore offerendus ſum; quia ab
æterno ob tui amorem volui
offerri.
Ergò ô amantiſſime Jeſu!
Amor Patris tui, & amor Hominum,
Sunt omnis juſtitia?
Sed quæ conventio ſanctitatis cum iniquitate?
Tu Sancte Sanctorum te peccatoribus jungas? quaſi
unus ex ipſis?
Nunquid Medici eſt convenire ægrum?
eum accedere? ipſi loqui?
Tranſierunt Sacerdos, & Levita: quod inde
ſaucio ſolatium? Samaritanus equo deſcendit,
acceſſit; quantum inde opis? *Luc.* 10.
Medicus vulneratos non horret, ſed fovet:
non fugit, ſed amplectitur.
Verum
Hic Baptiſmus eſt confeſſio macularum, quas peccator
deſiderat elui.

Eſt

Digitized by Google

Eſt Medicina, quam expetunt illi, qui ſe
malè habere profitentur.

Ne igitur hi malè habentes hanc horreant
medicinam,

Ego pientiſſimus Medicus ſumam primus, &
meo exemplo animabo.

Attamen aliquid adimet opinioni ſanctitatis.

Ut enim tanta multitudo credet ſe à Te
purificandam,

Quem ad Ioannem more cæterorum venire cernit
ad ſe purificandum?

Nulla adhuc turbæ hæ viderunt miracula, plu-
rimi ſciunt te fabrum egiſſe,

Pauperem pauperis opificis arbitrantur filium;
à te, quod humanum eſt, alienum eſſe
non putant.

Annon expediret te huic concioni exhibere De-
um de Deo, Lumen de Lumine?

Ut cognoſcant Ieſum Chriſtum, quem miſit Pater,
Et vitam habeant æternam? Joann. 3.

Sed ô Homo tu cogitas, ut homo.

Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ
meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à
cogitationibus veſtris. *Iſa.* 55.

Ego gloriam meam non quæro. Eſt qui quærat.
O Jeſu humillime! (*Ioan.* 8.

Qui noſtram confundis ſuperbiam, & coar-
ctas phylacteria. *Matth.* 23.

Ita eſt, ita eſt.

In aquam deſcendiſti, caput tuum cœli apicem
baptizanti inclinâſti, baptizatus es fons
omnis puritatis. Et

Digitized by Google

Et ecce! cœlum aperitur, plaudunt Angeli, columba deſcendit candidiſſima, vox Patris auditur.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Quàm verum eſt,

Qui ſe humiliat, exaltabitur? *Matth.* 23.

O Anima!

Vis & tu eſſe filia dilecta, complacere Patri tuo cœleſti?

Humiliare ſub potenti manu Dei. 1. *Pet.* 5.

Magna eſſe vis, à minimo incipe.

Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitundinis,

De fundamento prius cogita HUMILITATIS. *S. Auguſt.*

SENTENTIÆ.

VOluit Chriſtus, ut ait *S. Baſilius ſerm. de Humilitate*, inter peccatores & publicanos à Baptiſta baptizari. Exaninivit nempe, *Teſte S. Bernardo ſerm.* 1. *de Nativit.* ut prius præſtaret exemplo, quod docturus erat verbo; ut non opponat homo, ultra magnificare ſe ſuper terram. Intolerabilis enim impudentia eſt, ut ubi ſe exaninivit Majeſtas, infletur vermiculus, & intumeſcat.

P. Petrus Faber primus S. Ignatii ſocius humilitatis ſtudioſiſſimus ſeipſum hortabatur: *Sta in ultimo loco, quamdiu poteris, ſectare viliſſima & abjectiſſima officia*; ex his enim gradum optimum in

in Chriſto crucifixo tibi poteris acquirere. *Vita lib. 2. c. 12.*

Quàm benè S. Bernardus loquens in Perſona Dei, ô homo! ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres; ſed quia te non vides, tibi places, & mihi diſplices. Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis, mihi, quia peccaſti; tibi, quia in æternum ardebis.

Redi ergò ad cor tuum, & diſcute ſubtiliter te ipſum, *ut monet Hugo de S. Victore lib. de Anima c. 6.* ac intellige, niſi quia Dominus adjuviſſet te, paulò minus habitaſſet in inferno anima tua. *Pſal. 93.* Diſpliceas tibi, & humilies te, quia anima quæque tantò pretioſior fit ante oculos Dei, quantò fuerit deſpectior ante oculos ſuos. *S. Gregorius lib. 28. moral c. 20.* Sis ergò cum S. Franciſco de Paula omnium poſtremus, ſed ſis ore, animo, opere.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui, ipſum audite.

Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. *Matth. 23.*

Magiſter non ſolùm verbo, ſed & opere, cœpit Jeſus facere & docere *Act. 1.* quare æquum eſt, ut juxta S. Bonaventuram *de Inſtitut. novit. part. 1 c. 13.* in omnibus factis & verbis ſemper in Filium Dei quaſi Exemplar reſpicias, incedens, ſtans, ſedens, comedens, tacens, & loquens, ſolus, & cum alijs.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ.

IUvat hic loci referre gratum animum, & devotionem Margaritæ à S. Gertrude in Valle Gratiæ Antiſtite. Hæc ter quot annis Baptiſmum ſuum renovavit, ſolita ejurare, aut approbare, quidquid eo die, quo fuit ſalutis fonte abluta, ritu Eccleſiæ Infans rogabatur. Ex illis temporibus fuit unum Sabbathi ſancti, quoniam eo die ſacræ baptiſmatis undæ renovantur. Alterum Pentecoſtes, ut deſiderium ſuum teſtaretur, quo flagrabat Spiritus ſancti baptiſmo perfundi; qui animæ ejus poſſeſſionem eo die adijt, quo fuit Chriſtianorum numero per piaculares aquas accenſa. Tertium diem delegit S. Margaritæ ſacrum, cuius nomine ſibi per luſtrales undas attributo gaudebat. Hoc triduo à negotijs, & conſuetudine cæterarum, ſe ſeducebat, ut ſibi ſoli, & ſancto huic Exercitio vacaret. Ubi gratias Deo de beneficijs in eo Sacramento acceptis agebat, ac memoria omnia illa repetebat, quæ olim Patrinus loco eius reſponderat: dein promiſſa quoque vitæ æternæ ſibi à Deo tunc facta, ſi quidem in fide ac obſequio perſiſteret, recolebat, aliáque quæ hac ſacra regeneratione adhiberi conſueverunt. *Vita.*

FRU-

Digitized by Google

FRUCTUS.

PRimus. *A te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Diſce & imitare humilitatem. En Deus homo, Magiſter, Dominus tuus ſe ſubijcit Præcurſori ſuo, petit ab eo baptiſmum, quo non indigebat, ſe coram eo inclinat, & Divinum Caput abluenti ſubijcit. Quid tu peccator? *erubeſcíſne abjectionem IESU Chriſti, & eius humilitatem imitari?* ut loquitur S. Baſilius. Jure miratur S. Bernardus *ô rem horrendam! Deus ſe deprimit, & terræ vermiculus ſe glorioſè extollit.*

Secundus. *IESUS ſtetit inter peccatores cum iiſdem baptizandus.* O JESU quid de te cogitabunt & dicent homines? O homo! diſce cum Chriſto contemnere judicia, & reſpectus humanos. Pudeat, *ait magnus Indiarum Apoſtolus Xaverius epiſtolarum nov. lib. 6. epiſtola 10.* Militem Chriſti vereri ſuſurros vulgi profani, & ullo reſpectu tangi judicijs eorum, qui terrena cæleſtibus præhabent. Deum ſequere, & imitare, cui Sacramentum dixiſti, ſecurus, quid contra te murmurent alienarum partium homines. Monet S. Dominicus, agendum eſſe, quod Deus vult, neque ſermonum habendam rationem.

Tertius. Venit Chriſtus longo tempore à Galilæa uſque ad Iordanem, ut baptizaretur. Voluit nos docere, qua humilitate, & reve-

Digitized by Google

rentia Eccleſiæ Sacramenta eſſent ſuſcipienda; quandoquidem baptiſmum hunc, qui futuri umbra erat, & imago, tanta humilitate Chriſtus ſuſcepit, & à longinquo veniens tanquam alius quivis particularis homo: ut intelligas; qua reverentia Eccleſiæ Sacramenta debeas ſuſcipere. *Didacus Stella in cap. 3. Lucæ.*

Quartus. *Ob baptiſmum SS. Trinitati inſimæ, & continuæ agendæ ſunt gratiæ*; cùm maximam gratiam quælibet è tribus Divinis perſonis in baptizatum conferat, & in anima efficiat admiranda. Pater enim in filium, ac cæli hæredem adoptat, atque in ſuam fidem recipit. Filius pro fratre, & cohærede admittit, ei fructus, & merita ſuæ ſanctiſſimæ Mortis indulget, & pro diſcipulo chariſſimo, & amico acceptat. Spiritus ſanctus animam ſibi deſpondet, eámque virtutibus Divinis, ac maximis dotibus inſtruit, & ſponſam ſibi dilectam exornat. Sanctiſſima Trinitas pro ſuo templo, ac domicilio eligit, illud ea voluntate ingreſſa, ut illic perpetuò per nexum amoris nunquam violandi verſetur.

CON-

Consideratio IX.

DE CHRISTO D. JEIUNANTE, AC TENTATO.

Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut teutaretur à diabolo. Matth. 4.

A quo fuit ductus?
A Spiritu ſuo.
Ergò ſponte ſe obtulit certamini generoſus Athleta?
Neceſſe erat, ut tentatio probaret ſeniorem Tobiam, quia acceptus erat Deo. *Tob.* 12.
Hic Filius dilectus eſt, in quo Patri complacuit:
Num neceſſe fuit & hunc probari?
Homo fuit; ſed & Deus, Verbum Patris Caro factum,
In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis. 2. *Coloſſ.* 1.
Et hunc probari neceſſum fuerit?
Fuit omnino.
Amor juſſit, qui nobis eum dedit Ducem, Doctorem, & Præceptorem. *Iſaiæ.* 55.
Doctor fuit noſter, ideò pugnavit, ut doceret manus noſtras ad prælium. *Pſal.* 17.

Dux noſter fuit, ideò pugnavit, vicit, ut conſideremus, quia forti univerſa arma abſtulit, & ſpolia eius diſtribuit. *Lucæ*. 11.

Pugnavit Imperator noſter, conflixit, triumphat; ut nos ad pugnam excitet, incitet ad prædam, invitet ad triumphum.

Quomodo enim coronabimur, ſi non certaverimus?

Quomodo certabimus, ſi non impugnemur?

Quomodo impugnabimur, ſi hoſtis abſit omnis?

Abſque hoc certamen non eſt: abſque certamine non eſt victoria.

Spolia hoſtibus victis detrahuntur.

Turpiſſimum eſt palmam uſurpare non meritam.

Sed quis pugnæ locus?

Ductus eſt in deſertum, in quo deliciæ, illecebræ, & alia hoſti tentanti opportuna ſubſidia non ſubmittuntur, non adſunt.

In loco deliciarum victus eſt primus homo. *Gen*. 3.

In locis humentibus, & ſecreto calami dormit Behemoth, & circumdant eum ſalices. *Iob*. 40.

Ut verò Jeſus ſe ad pugnam parat?

Nobis ut eſſet exemplo, dux cæterà fortis, & potens in prælio ſe armis inſtruit, *Pſal*. 23. Hoſti formidandis.

Jejunio

Jejunio ut eum exarmaret: oratione, ut
fugaret.

Dies quadraginta Jejunus inter preces
exegit.

Eglon Rex Moabitarum, & Agag Rex Amalecitarum pinguiſſimi ferro cecidêre
hoſtili. *Iud. 3. 1. Reg. 15.*

Dives ille epulatus quotidie ſplendidè herbam
hoſti porrexit, & ſepultus eſt in
inferno. *Luca 16.*

Gula primos parentes ejecit paradiſo.

Per jejunium poſteris Adam ſecundus aperuit
paradiſum.

Poſtea eſurijt.

Quis credat his armis inſtructum impugnandum?

O Miles Chriſtiane!

Noli unquam credere fuiſſe debellatum.

Homo dum es, militia eſt vita tua ſuper
terram. *Iob. 7.*

Quò ſanctior es, eò aptior ad prælium, eò
hoſti inviſior.

Naves, quo pretioſioribus mercibus ſunt onoratæ, ac divites; eò acrius piratarum
acuunt avaritiam, & irritant
rabiem,

Sed ô impudentiam Satanæ!

Per eadem illa arma oppugnavit Chriſtum hoſtis, quibus ad defendendum ſe utebatur.

Ipſum tot dierum jejunium, & hoc ſubſequens
Fames telum miniſtrat, & gladium.

Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.

Sciebat eſurientem, ſperabat cibi appetentem facilè aſſenſurum.

O Anima!

Cave, & allabora, ne in te aliqua prævaleat cupiditas!

Ea tentatori arma ſuggeret.

Hoſtis internus externum dirigit.

Attende quoque verſutum inimicum. Non ſuaſit is, ut lapides carnes ſapidæ, aliæve fiant cupediæ.

Norat tam auſtera ſibi indicentem jejunia, Sibíque adeò rigidum delicias averſaturum.

Sed parùm retuliſſet, ſive lapides in carnes, ſive in panes fuiſſent verſi.

Gula ſæpè cibi vilioris poterit eſſe appetentior, quàm delicati, & pretioſi.

Non cibus, ſed appetitus in vitio eſt.

Eſau ob pulmentum rufum vendidit primogenita. *Gen.* 25.

Virtus appetitui imperat.

Impetum primum fortiſſimus Pugil verbo Dei repreſſit.

Quo enim alio Verbum Dei gladio uteretur?

Aries admovetur alter magnæ in magna merita, & vitæ ſanctitatem præſidentiæ.

Quæ mereatur ab Angelis ſuſcipi, in manibus portari, & è pinnaculo templi præcipitem ſervari.

Sed nec hic, nec tertius ambitionis ſucceſsêre, quæ omnia Regna mundi oſtendit, & ſpopondit,

Si

Digitized by Google

Si cadens in terram adoraret.
Utrumque Verbum Dei Verbo Dei rejecit,
Dominus fortis, Dominus potens in prælio.
Pſal. 23.
Deſerto muto, ac tacente terra,
Cælum applauſit, pæana cecinit, veneratum
eſt.
Triumphatorem in Iſraël. 1. *Reg.* 15.
Et Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Matth. 4.
Quanta gloria manet victorem?
Quàm glorioſum ſpectari ab Angelis, Sanctis,
horum Regina, & ipſo Deo certantem
animari, coronari?
Quàm dulces fructus Victor decerpit?
Verè è petra mel ſuget dulciſſimum, & oleum
gaudij de ſaxo duriſſimo. *Deuter.* 32 *Iſai.* 61.
Vincenti dabitur manna abſconditum, & de lig-
no vitæ, quod eſt in paradiſo. Dabitur
calculus novus, & candidus, &
in hoc nomen novum. *Apoc.* 2.
Dabitur ſtella matutina lucens in perpetuas
æternitates. *Ibid. & Dan.* 12.
Quis pro tantis præmijs non prælietur prælia
Domini?
Generoſe David adorire Goliath, Gener regis
audies. 1. *Reg.* 17.
Generoſe Chriſti miles diabolo reſiſte fortis in
fide; filius Dei audies. 1. *Pet.* 5.
Præceſſit Dux, ſequere, ni maculam tibi in-
uri velis nunquam eluendam.
Præceſſit Imperator, vicit hoſtem, jacet. Et

 tu

tu trepidas jacenti inſultare ignave? Vicit Leo de tribu Juda, contritus eſt inimicus: & tu lepuſcule fugias, vel des manus, & à proſtrato ſternaris?

Decretum eſt in Curia ſuprema, non mutabitur.

Non coronatur, niſi, qui legitimè certaverit. *2. ad Timoth. 5.*

SENTENTIÆ.

D*Uctus eſt. IESUS à Spiritu in deſertum.* Deſertum eſt virtutum palæſtra, & pietatis fomentum, quamdiu exterioribus occupatus fui, vocem tuam intra audire non merui. *S. Bernard. de interiori domo. cap. 66.*

Sancti anima ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, fuge publicum. *Idem ſerm. 41. in Cant.* Verùm

Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis? *S. Gregorius.*

Si corpore in choro, corde in foro? *S. Thomas opuſc. 54. cap. 8.*

Si corpore humi proſtrato, mens tota domum & forum circumeat? *S. Chryſoſt. hom. 79. ad pop.*

Benè S. Ambroſius *lib. de Noë cap. 11.* hæc dicit Dominus, Intra tu; hoc eſt, intra teipſum, intra tuam mentem, intra tuæ animæ principale, ibi ſalus eſt, ibi animæ gubernaculum; foris diluvium, foris periculum.

Ut

Ut tentaretur à Diabolo. Propoſitum Chriſti fuit humilitate adverſarium vincere, non poteſtate virtutis; ut hoc ipſo hominem plus honoraret, & adverſarium plus vinceret, cùm non quaſi à Deo, ſed ab homine vinceretur. *S. Hieron. in S. Matth.*

Non poteſt quiſquam coronari, niſi vicerit; neque poteſt vincere, niſi certaverit; neque poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit. *S. Aug. in Pſal.* 59.

Nulla ſunt ſine tentationum experimentis opera virtutis; nulla ſine perturbationibus fides; nullum ſine hoſte certamen; nulla ſine congreſſione victoria. *S. Leo ſerm.* 1. *de Quad.*

Corona propoſita eſt; ſubeunda certamina, & ideò tentationem nunquam timere debemus; eſt enim cauſa gloriæ, materia triumphorum. *S. Ambroſ.*

Eccleſia inter tentationes vivit, ſed ſuccedit quies labori; recedit tentatio, manet benedictio. *S. Auguſt. hom.* 36.

Moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa; quia ſi habet pænam, habet & coronam. Non nocet ſenſus, ubi nòn eſt conſenſus; imò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat. *S. Bernard. de interiori domo.*

Tentatus eſt Paulus, quia elatus perire poterat; tentatus eſt, ne periret. Tentatio ergò illa vorago vitiorum, ſed cuſtodia meritorum fuit. *S. Greg. lib.* 33. *Moral.*

Cùm jejunâſſet 40. *diebus, & 40. noctibus, po-*

ſteà eſuriit. Benè monet S. Chryſoſt. *hom.* 60. *ſuper Gen.* Sentis, quòd hoſtem habemus perpetuum, & fæderis neſcium, unde nobis magna vigilantia opus eſt, ut eius fraudes vincere, ac ſuperiores eius conſtitui poſſimus. Non aliter vincemus, quàm ſi per vitam optimam ſupernum nobis auxilium conciliemus.

Scriptum eſt non de ſolo pane vivit homo. Tentatus à diabolo Dominus ſacri eloquij præcepta oſtendit; & qui eo verbo, quòd erat, tentatorem ſuum in abyſſum proijcere poterat, virtutem ſuæ potentiæ non oſtendit; quatenus ſuæ nobis patientiæ præberet exemplum, ut quoties à pravis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potiùs quàm ad vindictam. *S. Greg. hom.* 16. *in Evang.*

Mitte te deorſum. Vox Diaboli eſt, mitte te deorſum, quo ſemper omnes cadere deorſum deſiderat, perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt. *S. Hieron. ſup. cap.* 4. *Matth.*

Videte fratres, quàm debilis eſt hoſtis noſter, qui non vincit niſi volentem. *S. Bernard.*

Oſtendit ei omnia Regna mundi, & gloriam eius in momento. Lucæ 4. Benè in momento temporis temporalia, & terrena demonſtrantur, non tam celeriter conſpectus indicatur, quàm caducæ poteſtatis fragilitas exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpè honor ſæculi abijt, antequam venerit: quid enim ſæculi poſſit eſſe diuturnum, cùm ipſa diuturna non ſint ſæcula? *S. Ambroſ. in S. Lucam.*

Tunc

Digitized by Google

Tunc reliquit eum diabolus. Quomodo contritus & confractus eſt malleus univerſæ terræ. *Ierem.* 50. ubi Propheta intelligit diabolum. Cui reſpondet Origenes *hom.* 3. *in Ierem.* Chriſtus confregit malleum in deſerto, cùm tentatus dæmonem proſtravit, contrivit autem penitus in Paſſione. Unde

S. Antonius oppugnatus à dæmonibus varijs beſtiarum larvis illis inſultans dixit. *Si virium aliquid haberetis, ſufficeret unus ad prælium, ſed quoniam Domino vos enervante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores; cùm hoc ipſum infirmitatis indicium ſit, quod irrationabilium induitis formas beſtiarum. Si quid valetis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus dedit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum: ſi verò non poteſtis, fruſtra nitimini.* Vita.

S. Ignatius litteris operam daturus compluтum ad Cal. Aug. venit anno 1526. atque in hoſpitium pauperum divertit, cui ab Antezana vocabulum: ubi promptius cubiculum nactus fuit, quod illic unum pridem vacabat nimirum ſpectris umbrarum, & horribili ſtrepitu infeſtum. Neſcivit id Ignatius, unde viſis prima nocte formidandis ſimulacris, & audito immani fragore totus inhorruit: verùm ſtatim ſe recolligens reſumptis animis in genua aſſurrexit, ac locutus eſt, *ſi vobis poſſe aliquid in me datum eſt, en adſum paratus; agite de me, quodcunque Deus probaverit, cujuſcunque id manu fieri juſſerit; neque in vobis eſt nocendi metam*

vel puncto transgredi, quam ipſe vobis præfixerit. Sin autem vobis nocendi facultas non eſt; quò tot veſtrum ſimul ignavi, tot ſtrepitus ad interpellandam unius homuli quietem. Hic ſe Deo integrè committens, quidquid eſſent auſuri, fortiter experiebatur. Sed nihil in eum tentatum, & ex eo quies cubiculo reddita eſt. *Bartolus lib. 1. num. 23.*

Hoc die (23. Aug.) ſub examen veſpertinum Conſcientiæ, & Litanias B. Virginis mihi viſus ſum (ait P. Joannes Brefeuf Martyr in nova Francia) videre ingentem catervam dæmonum ad me venientium, ut me devorarent; ſed nullus potuit mihi nocere: & ij quidem, qui præibant, ſimiles erant equis inuſitatæ magnitudinis, pilo criſpo, & oblongo, tanquam hirci: cæterorum figuram non memini, ſed hoc ſcio, tot, támque diverſas fuiſſe formas, adeóque terribiles, ut nihil uſpiam viderim ſimile; duravit hæc viſio per ſpatium unius miſerere. Non memini me timuiſſe, ſed jacta mea fiducia in Deum dixiſſe. *Facite, quodcunque vobis permittat Deus, non enim capillum de capite meo evelletis ſine eius nutu, & imperio.* Alegambe *in mort. illuſt. pag.* 647.

Et Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Qui nempe ante erant ſpectatores. Animet nos ad pugnam S Ephrem. de pænitentia. *Certamen tuum non eſt leve, nec viſu dignum. Angelos & Angelorum Dominum in lucta, quæ tibi cum diabolo eſt, habes ſpectatores. Vincente te, & adverſarium*

rium proſternente plaudunt Angeli, & laudant Deum, qui tibi hoſtem vincendi dedit facultatem. Quapropter

Vide miles Chriſtiane, ut te geras. Proſpectant Angeli tui certaminis luctam, coronas gemmis coruſcantes tenentes in manibus, ut illas vincenti largiantur. Pudeat te, oro, pudeat in conſpectu cæleſtis Senatus, & Imperatoris æterni ſegniter pugnare. *S. Iuſtinian. in faſc. amoris.*

HISTORIÆ.

Tentationes proſunt ad animam purgandam, & mundandam. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. Prov. 25. Nempe *tentatio ignis eſt, in quo aurum rutilat, & palea conſumitur.* S. Aug.

S. Brigittæ quærenti cur Deus impuriſſimas cogitationes immitti permittat? reſpondit Chriſtus, *hæc eſt vera æquitas, ut quemadmodum aliquando me invito tam vanis mundi rebus ſe oblectavit, ita quoque nunc in vita moleſtis affligetur cogitationibus.* Bloſius, monili Spirit. cap 4.

Serviunt ad tuendam humilitatem & virtutem. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet. 2. Cor. 12. *Plantas nutriunt venti, & tentatio confirmat ad virtutem.* Nilus Abbas.

Antonius à monte Sicardo Capuccinus nocte quadam orans ſub auroræ crepuſculum videt

det templum ingredi nobiliſſimam hominum turbam, & poſt hanc virum omnes decore & majeſtate vincentem, qui Chriſtus erat. In ipſo altaris ſcabello ab Angelis parata ſede conſidens juſſit eum vocari, & ob multos labores exantlatos petere quidquid vellet; petijt ille peccatorum omnium remiſſionem, & in gratia perſeverantiam. Conceſſit illicò Deus, & eum ſua manu libro vitæ inſcripſit. Paulò pòſt ne ſuperbiret, Deo permittente à carne ſenex ita vexatus fuit, ut plus quàm ullus juvenis ſentiret moleſtiarum. Orabat, gemebat, jejunabat, flagellis, cilicio utebatur; flebat, proficiebat nihil: adeò tentatus, ut præ ardoris vehementia tentatio videretur intolerabilis. Paucis poſt diebus ægrotus ad cælos volavit. *Annal. PP. Capucc. anno Chriſti* 1550. *num.* 26. *&* 27.

Faciunt ad fervorem excitandum. Quando malignus perterret nos, atque probat; tunc frugi efficimur, tunc noſmetipſos agnoſcimus, tunc ad Deum omnes ſtudio recurrimus. *S. Chryſoſt. lib.* 1. *de Provid.*

Graviter quendam Priſcorum Patrum diſcipulum fornicationis Spiritus impugnabat, qui tamen fretus Divina ope fortiter æquè reſiſtebat, jejunia longa ſibi indicebat, orationes producebat, corpus opere nocturno affligebat. animadvertens igitur ſpiritualis ipſius Magiſter diſcrimen juvenis, *Vis*, inquit, *filij tantam à Domino tibi luctam deprecer*? cui diſcipulus, *equidem*

dem laboro Pater, ut vides, conflictórque haud modicè; ſentio tamen hoc interim lucri mihi accedere, quod ſæpius ad Deum per orationem, & mortificationem recurro. Quare Deum potius ora, ut mihi conſtantiam, ac patientiam largiatur, ut incruentam ex hac tentatione victoriam reportem. Hoc juvenis reſponſo lætus ſenex, *nunc demum*, inquit, *cognoſco fili, quantas in via virtutis progreſſiones facias; dum enim quis infeſto cuipiam vitio ſtrenuè it obviam; manet humilis ſolicitus, anxius, his anguſtiis laboribúſque ſenſim ad conſummatam animi puritatem pertingit.* S. Doroth. doctr. 13. & Patrum ſpirituale.

Augent merita & gratiam. Permiſit Deus tentari Joſephum primò graviſſima tentatione invidentiæ fraternæ; dein à muliere; ſed quanto bono patris, fratrum, gentis ſuæ, & totius Ægypti? quantæ gloriæ fuit materia?

Permiſit Deus tentari David à Goliath, exagitari à Saule. Verùm quanto bono? palma excrevit, quia preſſa fuit, hæc palma Chriſtum tulit.

Permiſit Deus tentari Danielem, mitti in lacum leonum, tres pueros in fornacem ardentem; ſed inde duo Reges potentiſſimi agnovêre Deum verum.

Dulciſſimi fructus victarum tentationum. Et acceſſerunt angeli, & miniſtrabant ei. Cùm S. Thomas Aquinas procacem fæminam titione fugâſſet; Angeli per quietem balteo renes ſtrinxere in ſignum conceſſæ illi perpetuò integritatis *Vita.* Abbas

Digitized by Google

Abbas Hellen aliquo mellis comedendi appetitu tenebatur, aderatque opportunitas oblato mellis alveolo; ſed fortis ſui victor ne tactu quidem mel libavit. Aliàs poſtquam tres ſeptimanas cibo penè abſtinuiſſet; reperit fructus à vento decuſſos, reliquit tamen intactos; tanti faciebat in rebus etiam minimis ſui victoriam. Verùm iſtud ita Deo placuit, ut Angelum illi ſubmiſerit, qui fontem indicavit, ubi tali cibo, potúque refectus eſt, ut fateretur, ſe lautiores delicias nunquam deguſtaſſe. *Palladius hiſtoria Lanſiaca. cap. 59.*

B. Angela à Fulginio poſt diuturna certamina tot redundavit cœleſtium voluptatum torrentibus, ut ſi omnes omnium hominum deliciæ, atque amænitates in unum cogerentur cumulum, præ illis nihil eſſent, eáſque vel Seraphinis inexplicabiles eſſe aſſerebat. *Pennequin in Iſagoge part. 1. cap. 21.*

Hinc non petunt Sancti liberari à tentationibus, ſed in his adjuvari à Deo. Quidam Sanctus Monachus, cùm Dominus ab eo tentationem abſtuliſſet, dixit mœſtus & flens: *Domine num ego non ſum dignus modica hac tribulatione?* S. Doroth. doctr. 13.

Nec abſimile Climachus *cap* 29. literis prodidit de B. Ephrem, eum in ſumma animi tranquillitate (cœlum terreſtre & impaſſibilitaté Climachus vocat.) Deo ſupplicaſſe, ut ſibi pugnas ſuarum tentationum pridem pugnatas inſtauraret, neq; materiam meriti ac triumphi denegaret.

S. Sa-

S. Sara Abbatiſſa per 13. annos graviter tentata, non orabat Deum, ut recederet tentatio, ſed tantùm: *Domine da mihi fortitudinem.* in Apophth. SS. PP. lib. 5.

FRUCTUS.

PRimus. *Tentationibus non terreri, magno animo eas excipere.* Quia neceſſariæ ſunt, *Eſto expeditus ad pugnam, ſi vis, habere victoriam, ſine certamine non potes venire ad coronam, ſi tentari non vis, recuſas coronari, ſi autem coronari deſideras, certa viriliter, ſuſtine patienter, ſine labore non tenditur ad requiem, nec ſine pugna pervenitur ad victoriam.* Thomas de Kempis lib. 3. cap. 19 *Simus itaque animoſi, penes nos eſt vincere; vinci ſi nolumus, non poſſumus, dæmonum eſt malas cogitationes ſuggerere, noſtrum eſt illas illicò expellere; voluntate ſuâ cadit, qui cadit, & voluntate Dei ſtat, qui ſtat.* S. Bernardus de interiori domo. Optimè Picus Mirandulanus: *Vocatur ad coronam, qui vocatur ad pugnam, atque ad eam præſertim, in qua nemo vinci poteſt invitus, neque nobis alijs, ut vincamus, armis opus eſt, quàm ut vincere ipſi velimus. Magna Chriſtiani felicitas eſt, quoniam in ejus arbitrio poſita eſt victoria, & omni vincentis voto, omnique cogitatione majora ſunt præmia. Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem.*

Secundus. *Confidere in tentatione Deo adjuvanti. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebo, quia*

quia tu mecum es. Pſal. 26. *Deus non ſic adeſt, ut ſervos ſuos tantùm ſpectet, ſed ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur.* Sanctus Cyprianus Epiſtol. 6. ad Martyres. De hac in tentationibus confidentia ſcribit Ludovicus de Ponte *Epiſt. ad amicum tentatum. In hujusmodi caſibus plus generoſa in Deum confidentia, quàm animi anxietas, & perturbatio meretur: Nam licèt propriæ infirmitatis conſcientia deprimat; concepta tamen de Divina miſericordia confidentia magis animum abjectum erigit; ſpe igitur bona pleni inclamemus: Exurge Deus, judica cauſam tuam, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi,* Pſal. 34.

HEB-

Digitized by Google

HEBDOMAS III.

LIBELLI EXERCITIORUM S. P. IGNATII MEDITANS PASSIONEM D. N. JESU CHRISTI.

PRÆFATIO.

HÆc quoque ſpectat ad viam Illuminativam, quia enim, ut ait Suarez *Tom.* 4. *de Religione lib.* 9. *cap.* 6. Perfectio Chriſti longo tempore comparatur, & præcipuè per virtutem Paſſionis, & mortis Chriſti, ac ejus meditationes; ideò hoc agitur in tertia hebdomade, in qua Paſſio Chriſti ad meditationem proponitur, unde etiam ad ſtatum proficientium, & Viam Illuminativam pertinet. *S. Bonaventura* cap. 75. *ſuarum Meditationum ait, Paſſionem Domini univerſum hominis ſtatum immutare, quod poſteà* in ſtimulo amoris Divini cap. 1. *pluribus docet, explicat quoque P. Jacobus Alvarez* Tom. 3. lib. 3. part. 2. cap. 3.

Quantæ verò ſit utilitatis meditari Paſſionem Dominicam indicat peritiorum ſenſus communis, qui putant nihil gratius Deo præſtari, nihil agi homini ſalubrius, quàm cum debita attentione conſiderare Paſſionem Domini. Albertus Magnus apud Ludovicum de Ponte part. 4. Meditationum *ejusmodi conſiderandi*

Digitized by Google

Quintus. Animandus eſt animus ad imitationem perfectam; *turpe enim eſſet, & intolerabile, nos quorum ſalus agitur, ea recuſare, etſi humilia & aſpera, quæ ille non dedignatus eſt pati, ut nos propter noſtrum bonum doceret, & animaret.*

Sextus. Concipiatur magnus Zelus animarum, *quas videlicet Deus tanti æſtimavit, tanto affectu amavit, tanto pretio emit.*

Notandum inſuper, geminam eſſe Compaſſionem, quæ ab authoribus non magni fit, quia fructus eſt exigui. Prima eſt purè naturalis, quâ nihil aliud fit, quàm ut meditans de dolente Chriſto doleat, atque illum lædentibus ac torquentibus iraſcatur; quo pacto erga cujusque hominis, imò & pecudis ærumnas tenerè afficimur. Hoc genus à Salmerone non laudatur, ſi ſola ſit in Chriſti paſſione; nihil enim inde vel intellectus, vel voluntas utilitatis in morum correctione percipit. Secunda Compaſſio eſt mollis & delicata, ſolùm inſiſtens dulcedini, & alijs gratuitis, ac ſuavibus donis; quæ partim experitur, partim ex aliorum atteſtatione cognoſcit à pijs mentibus in conſideratione SS. *Paſſionis obtineri. Etiam hanc reprehendunt S. Bonaventura apud Ludovicum de Ponte* part. 4. Meditat. *Coſterus Loartes, & alij in ſuis Præfationibus. Talis enim compatiens acquieſcit, velut prædæ, ejusmodi ſolatijs, neque ulterius progreditur, neque expendit vim genuinam illius* ad Rom. 8. Si tamen compatimur, ut & glorificemur. *Atque eò ſpectare videtur directorium libelli Exercitiorum, quando Compaſſioni alios affectus prætulit tanquam ad profectum ſpiritualem utiliores. Ejus itaque Compaſſio*

miſceatur tribus pretioſis affectibus: Dolore, Indignatione, Confuſione. Dolor excitatur de pœnis Chriſti, non quomodocunque, ſed mea culpa inflictis, ita ut pro incremento illarum acrimonia dolorum ex meo reatu augeatur. Indignatio inde oritur contra meipſum, non contra furentem Judæum, quia hujus rabies, & poteſtas ex meis peccatis ſcaturivit. Confuſio ſuccedit partim ob dictam cauſam, partim quod nunquam in meam ſalutem exarſerim, cùm videam ex pœnis, quantum in eam flagrarit Dominus.

Atque hi affectus excitabunt curam animæ, ac ſalutis; pro qua quid agendum, quid patiendum docebunt; ſtimulabunt ad pœnitentiam, ad extirpationem vitiorum, paſſionum edomationem, virtutum ſtudium, & Chriſti Domini imitationem &c.

Digitized by Google

Consideratio I.

CHRISTUS LAVAT PEDES DISCIPULORUM SUORUM.

Domine tu mihi lavas pedes?
Joann. 13.

O Apoſtole ſancte,
ut meritò admiraris? ut meritò interrogas?
Domine.
Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos. *Pſal.* 94.
Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus ſuper omnes Deos. *Pſal* 96.
Cujus Magnitudinis non eſt Finis. *Pſal.* 144.
Tu mihi?
O Combinatio extremorum nimis diſparium!
Verè abyſſus abyſſum invocat. *Pſal.* 41.
Tu Rex immenſæ Majeſtatis.
Mihi terræ pulviſculo, & nihilo?
Tu Dominus univerſorum. 2. *Machab.* 14.
Mihi piſcatori pauperrimo?
Tu Dominus dominantium, & Rex Regum. *Apoc.* 19.
Servo tuo indigniſſimo, viliſſimo?
Tu Filius Dei Vivi. *Matth.* 16.
Mihi putredinis filio? *Job.* 17.

Digitized by Google

Lavas pedes?

O Magiſter mi, humilis corde, te tantùm humilies? tantùm?

Tu non cœlos, ſed cœlorum apicem inclines, deſcendas, & ad ipſos pedes ſordidos abjicias? *Pſal.* 17.

Verè Domine inclinas manum tuam, *Iſa.* 31.

Dum pedibus meis eam ſubjicis.

O Magiſter dulciſſime!

Mirabilis facta eſt ſcientia tua, & humilitas ex me. *Pſal.* 138.

Et non potero ad eam.

Non mihi lavabis pedes in æternum.

O Petre!

Scientiam non obtende. Quod Magiſter facit, neſcis modò, ſcies autem poſteà. *Joan.* 13.

O Diſcipule reverens!

Cave, ne reverentia pœnas det amanti acerbas; timeo fulmen, ad cujus ſolum ſonitum ambæ tibi tinniant aures. 1. *Reg.* 3.

Si non lavero te, non habebis partem mecum.

O fulmen amanti terrificum!

Ergò ô Petre non lote non habebis partem cum illo Magiſtro? illo tuo?

Amplius lava me Domine, amplius, amplius. *Pſal.* 50.

Domine non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput. *Joann.* 13.

Viderunt, & audierunt hoc diſcipuli alij, attoniti obtinuerunt,

Pro lingua locuti ſunt oculi; dum largè fuderunt lacrymas. Ob-

Digitized by Google

Obſtupuerunt, admirati, contemplati ſunt tam admirabilem profundiſſimæ humilitatis, & charitatis flagrantiſſimæ exceſſum, quo Creator creaturis, Magiſter diſcipulis, tam ſervile exhibuit obſequium.

Et quidem

Tanto amoris tenerrimi affectu,

Tam humili corporis habitu,

Tam amabili vultu, oculis amæniſſimis,

Manu ad hoc obſequium blandiente, geſtiente;

Quod infinitæ erga ſuos charitati ſatisfaceret;

ad ſui provocaret imitationem;

accenderet exemplo.

Verùm num & Judæ hanc exhibuit Magiſter charitatem?

Propè dixerim majorem,

Mater ægræ proli ſolicitior adeſt,

Paſtor morbidæ ovi, plus invigilat,

Liceat demum exclamare,

Abyſſus abyſſum invocat.

Infinitæ bonitatis infinitam malitiam,

Infinitæ puritatis infinitam fæditatem,

Infinitæ charitatis infinitum odium.

Quid video?

Jeſum jacentem ad pedes Judæ:

Obſtupeſcite cœli ſuper hoc. *Ierem.* 2.

Ad pedes Judæ immundi, perfidi, proditoris accidat Jeſus?

Admiramini omnes, & obſtupeſcite. *Habac.* 1.

Cujus pedibus me peccator ego viliſſimus ſubſternam, cùm Judæ, quo non eſt nequior

alter, pedes occupet, & prenſet
Deus?
Cur non omnium me ſubſternam pedibus,
cùm videam Deum ante Judam pro-
cumbentem?
Nec ſolùm procubuit ad pedes ſui Proditoris;
Sed inſuper quanto lavit affectu fætentiſſi-
mum, & mephitim ſtygiam exha-
lantem?
Quot oſcula blandiſſima fixit?
Ut ſæpius oculo paterno amans ſuſpexit?
Ut lavit diutius, accuratius, amabilius?
Forſan ipſi oculi aquam affudêre.
Cupiebat JESUS amantiſſimus ſaxeum pectus
emollire,
vinculis charitatis volebat ſibi devin-
cire *Oseæ* 11.
Pedes grandi malo ſuo veloces ad effundendum
ſanguinem. *Pſal.* 13.
Deſiderabat amore expugnare odium,
Fide in diſcipulum ejusdem perfidiam,
Oblata gratia, favore, & clementia omni exhi-
bita reducere filium prodigum.
Sed amantiſſime Magiſter,
Æthiopem lavas, adamantem tundis,
oleum, aquam, & operam perdis.
O quantus ideò luctus Paſtoris, cùm videt o-
vem obduratam non redeuntem!
O quantus dolor Magiſtri, cùm videt electum
ex millibus diſcipulum pereuntem!
O quan-

O quantus gemitus, cùm videt Apoſtolum
ſuum Apoſtatam, & Proditorem!
O Peccator!
Vide, ne te mutato nomine veritas æter-
na lugeat, doleat, gemat.
Pro Juda nondum fuderat Chriſtus ſanguinem,
Pro te fudit in cruce. Et tamen
Aquam Judas inſuper habuit. Tu ſangui-
nem conculcas impius, ad gratiam
obdureſcis Redemptoris
Crucifixi.
Tu quoque ſuperbe
Diſce omnium pedibus caput tuum conculcan-
dum ſubjicere, ſub omnibus humiliari.
En Deum ipſum
ad pedes proditoris ſordidiſſimi, & diabo-
lici mancipij procumbentem!

SENTENTIÆ.

CHriſtum à ſtupendo humilitatis opere (nempe lotione pedum) non infinita dignitas, non majeſtas, non poteſtas excellentiſſima revocavit. Magiſter diſcipulorum, Dominus ſervorum, potentiſſimus Rex pauperum, Deus creaturarum infimarum pedes humi flexis genibus abluit. Exemplum nobis dedit humilitatis honoratæ. Quam S. Bernardus *homil. 4. ſuper miſſus* ait raram in mundo eſſe virtutem, *non magnum*, inquit, *eſt eſſe humilem in abjectione, magna prorſus & rara virtus eſt humilitas honorata.* Unde

Digitized by Google

Præclarè S. Auguſtinus *lib. de Virginit. cap. 33.* In ſummo honore tibi ſit ſumma humilitas, honoris laus, virtus humilitatis; humilitatem ſublimitatem eſſe oſtendit ſublimis Rex ad pedes proſtratus diſcipulorum. Valde excelſa, ſublimíſque humilitas eſt, quam tam excelſus ſublimíſque Rex amplectitur, ſuíque Regni proceribus exemplo demonſtrat, & commendat.

Quanta ergò humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem factus eſt parvus. *S. Gregorius lib. 4. moral. c. 18.*

Optimè S. Chryſoſtomus *hom. 30. in Acta Apoſtol.* Humilitas mater eſt, & radix, & columna, & fulcimentum bonorum, ſine illa abominabiles, & ſceleſti, & immundi ſumus. Eſto enim quis mortuos ſuſcitet, ac claudos ſanet, leproſos purget cum ſuperbia; nihil eò contaminatius, nihil magis impium, nihil ſceleſtius. Nihil tui ipſius eſſe puta; idcircò maximè humiliari, ac modeſtia uti debes, quia plura aſſecutus es dona, & quia alijs præteritis te minimè meritum reſpexit Dominus.

Et *hom. 6. ex varijs in S. Matthæum.* Fundamentum Philoſophiæ Chriſtianæ eſt humilitas, unde ſive jejunium, ſive orationem, ſive eleemoſynam, ſive continentiam, ſive quid aliud boni congregaveris, abſque humilitate defluit, & omnia pereunt.

HISTO-

HISTORIÆ.

S. Gallicanus vir conſularis, & Conſtantini Imperatoris Gener ad omnia ſervorum munera ſe abjecit, pedes lavit, pavimentum verrit, aquam manibus dedit, ut refert eius vita.

Laverunt pedes famulorum & pauperum S. Clara, S. Eliſabetha Thuringia, S. Laurentius Martyr, & quàm plures alij.

S. Martinus etiam tum miles ſuo famulo calceos detrahebat, eoſdem purgabat, & ipſi ad menſam miniſtrabat. Epiſcopus factus pedes eorum, quos domi ſuæ hoſpites excipiebat, lavabat, accumbentibus inſerviebat, aliáque obſequia, quæ ſervi Dominis ſolent, exhibebat. *Vita.*

S. Ulmarus Abbas in ſe recepit curam boves paſcendi, & ligna ad fratrum officinas portandi; qui cùm nocturnis horis ſe ſomno dediſſent, omnium purgabat calceos, & mundatos clam reſtituebat. *Surius in Iunio.*

S. Franciſcus Borgias Societatis habitu indutus Ognati ſolebat coquo famulari, purgare ollas, verrere pavimentum, comportare, aquam, & ligna, focum exſtruerer &c. Dein prandentibus miniſtrare, oſculari pedes, veniáque petita pro delictis cujuſque preces ſupplex ambire. *Hiſt. Soc. par.* 1 *lib.* 11. *num.* 53.

Quo die ſanctioris hebdomadæ Chriſtum diſcipulorum pedes lavantem Eccleſia recolit, idem S. Franciſcus ad tyrones verba faciens *nullum,*

lum, inquit, *hoc in mundo locum reperi, ſextum enim jam annum ad Iudæ pedes, mihi illum fingebam, nunc cùm Chriſtum attentè conſidero iis advolutum, lavare, tergere, ac oſculari, nullum mihi inde expulſo locum reperio.* Vita lib. 1. cap. 1.

P. Paulus Joſephus de Arriaga è Soc. Jeſu ſolebat feria V. Majoris hebdomadæ Indis duodecim egentibus pedes lavare, tergere, ſuaviari, illos paſcere, & veſte per annum emendicata donare. *Bibliotheca Scriptorum Soc.*

Eadem feria P. Petrus venuſtus eiuſdem Soc. inter alia pietatis opera etiam Chriſti Domini exemplo ſocijs lavit pedes; ut quo opere tum Dominus, tum poſteà S. Laurentins ſeſe ad Martyrium præpararunt, eo videretur ipſe ad certamen non ſentiens præmuniri pauló pòſt ab impio occidendus. *Allegambe in mort. illuſt. pag.* 42.

Joanna Luſitaniæ Princeps Alphonſi V. filia per majorem hebdomadam ſilentij tenax vix circa ea, quæ neceſſaria, verbum proferebat, & ne verbum quidem poſtremo triduo; quo interdiu noctúque perſeverabat in templo: cibum vix guſtabat, inſomnis, ac lacrymis abſorpta. Jovis die duodecim mulieres deformes, mendicas, & quæ nauſeam movere poſſent, induſtriè comparabat, harum ſordidos pedes depoſito regio ornatu, ancillari cultu (ne ab egenis noſceretur) infuſa in pelvim aqua flexis poplitibus ſedulò purgabat, purgatos tergebat,
terſos

terſos blandè oſculabatur; novis dein veſtibus ornatas nummo manibus inſerto dimittebat: inde iterum ſe in ædem ſacram recipiebat, uſque quo ſanctiſſimus Paſchæ dies albeſceret. *Vaſconcellus Anacephalioſi* 16.

FRUCTUS.

PRimus. *Admiratio, & gratiarum actio.* O humana natura, quantum te Deus magnificavit, & evexit, cùm ipſemet coram te in genua ſe demiſit, ſibique gloriæ & honori duxit humiliare ſe tibi, ſervire tibi, & benedictis manibus ſuis pedum tuorum ſordes abluere, & hac actione admiranda voluit illam immenſam charitatem, humilitatémque repræſentare, quâ peccatorum tuorum ſordes in ſe ſuſcepit, pro eis ſolvens, & qua lavit, mundavítque animam ſanguine. En manus illæ, in quibus Pater æternus poſuit omnia, ab ipſo tuis pedibus ſuppoſitæ ſunt. O gratiam admirandam! ô ſubmiſſionem obſtupeſcendam! quid retribues Domino pro tanto beneficio, quod retribuit tibi?

Secundus. *Imitatio Chriſti humilis, Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis; non eſt major ſervus Domino ſuo, neque Apoſtolus major eo, qui miſit eum.* Joan. 13. *Hoc eſt*, inquit S. Auguſtinus *tract.* 50. *in Ioan. Hoc eſt, quod ſuo exemplo voluit docere Dominus: hoc eſt, ô*

Beate

Beate Petre, quod neſciebas, quando fieri non ſinebas, hoc tibi ſciendum poſteà promiſit. Didicimus fratres humilitatem ab Excelſo: faciamus igitur invicem humiles, quod facit Excelſus. Cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus.

Tertius. *Obire vilia miniſteria. Scio*, aiebat S. Ludovicus filius Regis Siciliæ, dein S. Franciſci familiæ junctus, *nihil eſſe tam gratum Deo, quàm ſi vita meritis magni, tamen non magni, ſed humilitàte infimi videamur; cùm tanto pretioſior quis Deo ſit, quantò quis propter eum ſibi vilior.* Hinc ſanctus conſuevit omnia obire munia humilia, lances abluere & ollas, domum, culinam verrere, & cætera agere, quæ humilitas dictavit. *Vita cap.* 11. P. Martinus Alwerus è Soc. Jeſu cùm Valentiæ Domus Profeſſa bis quot hebdomadis verreretur, id à Socijs impetravit, ut ſordes ipſe ſolus colligeret, & efferret: unde poſitis humi genibus dulci quadam reverentiæ ſignificatione cumulata ſcopis purgamenta collegit. Hoc piè agenti adfuit Auguſta cæli Regina, & materna manu Martini faciem blandè mulcens, *Martine*, inquit, *valde valde in hoc mihi places, facias hoc, uſque dum aliud quidquam de te fiat.* Faſſus eſt poſteà ingenuè per annum integrum durâſſe ſuaviſſimam animi voluptatem; qua tota mens illi inebriabatur, ab ubertate verborum à Matre Dei, illi dictorum. *Annales Mariani Nadaſi num.* 349. *&* 978.

CON-

CONSIDERATIO II.
DE AGONIA, ET ORATIONE CHRISTI IN HORTO.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Marci. 14.

O JESU afflictiſſime!
Quid lego?
Cæpit contriſtari, & mæſtus eſſe. *Matth.* 26.
Cæpit pavere, & tædere. *Marci.* 14.
Quid audio?
Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.
Unde hoc in SS. animam tuam horum affectuum dominium?
Nunquid hæc unita Verbo gaudet, fruitur viſione Beatifica, quæ omnem excludit triſtitiam, & omnem infundit lætitiam?
Nunquid hæc fortis, & potens in prælio dominatur affectui, & ſub te eſt appetitus. *Pſal.* 23.
Sed hic Rebellis eſſe non poteſt, ſemper rationi obedientiſſimus. *Gen.* 4.
O Leo de tribu Juda cur quodammodo opem petis à tuis diſcipulis, timidis, dormiturientibus? *Apoc.* 5.

ſuſti-

Suſtinete, & vigilate mecum. *Matth. 26.*
In partem laboris vocas, & oneris.
O triſtiſſime JESU
Cur tuas anguſtias, & timores diſcipulis, & toti orbi manifeſtas?
O triſtiſſime JESU & Mirabilis!
Quàm exaltatæ ſunt Viæ tuæ à vijs noſtris?
Et cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris?
Superbia noſtra occultat omnes timores, ac metus,
Rupes inter fluctus inconcuſſa vult haberi.
Leones audiri cupimus, & animos mentimur, ac deblateramus heroicos.
At tu humillime JESU,
Etſi ſis Dominus fortis, & potens in prælio, *Pſal. 23.*
Etſi Dominus virtutum. *Ibid.*
Verus Leo de tribu Juda,
Triſtem fateris animam tuam uſque ad mortem.
De te vis ſcribi, & referri toti orbi,
Quod cæperis tædere, pavere, & mæſtus eſſe, quòd ipſum ſudaris ſanguinem.
Quare hoc?
Egiſti pientiſſimè hominem imbecillem, ut hominem inſtrueres imbecillem.
Docuiſti virtutem in infirmitate perfici,
Luctari contra torrentem eſſe fortis Natatoris,
Adamantem inter ictus emicare:
In adverſis ſe DEO ſubijcere eſſe virtutis.
Dein mi JESU

Agnoſco

Digitized by Google

Agnoſco me in te, qui doluiſti propter me
Cùm non haberes, quod doleres propter te;
Qui mori optabas propter me.
De meo ergo habes, quod triſteris.
Non de tuo, qui deſiderio deſideraſti Paſcha
Ultimum manducare cum diſcipulis,
Ut dein Agnus pro me immolareris.
Meam ergo egiſti perſonam: agnoſco
in Medico vocem ægroti; ob pullum infir-
matam gallinam, ob ſervum afflictum
Dominum.
Amorem ſtupeo, mirationem admiror,
ſuſpicio Bonitatem.
Verùm
Hæc ſunt opera tua magna, incomprehenſililia
Job. 9.
Qui etiam patiens facis mirabilia magna
ſolus. *Pſal. 135*
Eſt anima ter beatiſſima, Deum intuetur feliciſ-
ſima, & ideo omni circumfluit gaudio.
Sed amor tuus ardentiſſimus, infinitus, immen-
ſus,
Omnipotens
Cui non eſt impoſſibile omne Verbum. *Luca. 1.*
Fœdere obſtupeſcendo, & humanam mentem
excedente junxit duo extrema ſibi extremè
adverſantia,
Summam Lætitiam, Summam Triſtitiam:
Ita, ut utraque dominaretur, utraque vigeret,
& tamen neutra alterius jura turbaret.

O quantum Amabiliſſime JEſu Tibi debeo
gratiarum, obſequij, amoris?
Qui, ut pro me plus paterere. & dolor eſſet dolens, omne tibi ſubtraxiſti ſolatium.
Et fel voluiſti guſtare abſque omni prorſus melle, fel puriſſimum, ideò amariſſimum.
Voluiſti olim cum tentatore pugnare in deſerto
poſt jejunium dierum quadraginta.
Matth. 4.
Ut noſtras manus doceres ad prælium cum hoſte
infernali ineundum. *Pſal.* 17.
At hæc pugna ſolùm fuit ab extrinſeco illata.
S. Greg.
Suggeſtio Satanæ ſolùm auribus excepta:
quieta domi erant omnia, & pacata.
Nunc verò ut etiam contra hoſtem internum
& animi paſſiones doceres certare;
Sponte, & voluntariè ex amore intenſiſſimo
cum ſummo dolore tuo voluiſti
Triſtari, tædere, pavere, atque mæſtus eſſe.
Sed Amor mi!
Quid opus erat tanta triſtitia
Ad mortem uſque, & effuſionem ſanguinis?
Cur occupas rabiem tortorum?
Flagellatus, Coronatus, Crucifixus,
Ante flagellationem, coronationem, crucifixionem.
Quantùm prodigium!
Amor cruciat, fundit ſanguinem, & niſi ipſe ſibi
amor obſtitiſſet, interemiſſet.
Verè fortis ut mors dilectio! *Cant.* 8.
Imo

Digitized by Google

Imo fortior morte,
Quæ volens mortis dolores excepit;
At ne moreretur, ſervavit vitam,
Ut vita diutius moriendo diutius pateretur, & diutius vivendo diutius ſuum teſtaretur amorem.

Verùm quæ cauſæ tantæ triſtitiæ?

O JESU!

Vidiſti clariſſimè; & ſingillatim mea, & totius mundi peccata graviſſima, turpiſſima, innumera, Tibi luenda.

Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum. *Iſai. 53.*

Quantum horret regius Princeps centone lacero ſordidiſſimo; & fætentiſſimo veſtiri!

Inſuper Innocentiſſime, quod non rapuiſti, ſciebas à Te exolvendum. *Pſal. 68.*

Cernebas ergò ſuper te Patrem iratum, qui te vulneraturus; & attriturus eſſet propter Scelera noſtra. *Iſaia. 53.*

Intuebaris Juſtitiam Divinam in te armatam, quia dimiſiſti dignum morte virum. *3. Reg. 20.*

Non ignorabas acerrimos dolores; tormenta, ignominias; blaſphemias, & ipſam Crucem te manere.

Et horum atrocitatem ſingulorum, & omnium oculo mentis perſpicaciſſimo penetrabas penitiſſimè.

Hinc horror naturæ ad cor ſanguinem citantis, & re-

& rejectum rurſum in membra effundentis,
atque cutem penetrantis.

Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decidentis in terram. *Lucæ. 22.*

O inauditum omnibus gentibus dolorem!
O ſudor pretioſiſſime!
Myrrhæ primæ, & probatiſſimæ.
Sana omnem languorem, & infirmitatem
noſtram.
Sana me.
Qui dixiſti, à vulneribus tuis ſanabo te.
Jerem. 31.

Inſuper mi JESUS,
Videbas tam acerbam, & pretioſam mortem
pluribus non profuturam, ac innumeros
ſuâ culpâ æternùm damnandos.
Diſcipulorum dilectorum ſcandalum, & fugam,
Petri Vicarij tui negationem trinam,
Judæ proditionem, & ſuſpenſionem,
Populi tui adeò dilecti abjectionem, & excidium:
Matris tuæ triſtiſſimæ gladium acutiſſimum
ipſam animam pertranſeuntem.
Luca. 2.
Unius ex his vivax apprehenſio intenſiſſima potuiſſet excitare dolorem, & elicere
ſanguinem.
Quantus ergò fuerit O mæſtiſſime JEſu, cùm
ſingula, & omnia vivaciſſimè cum omnibus
ea aggravantibus fuêre objecta?
explicata?
Verè repleta eſt anima tua malis. Conturbatum
eſt

eſt cor tuum, & formido mortis cecidit
ſuper te. *Pſal.* 87.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. *Pſal.* 54.

Meritò gemis,

Ædificavit in gyro meo, circumdedit me felle, & labore, ſed & cùm clamavero, & rogavero, excluſit orationem meam.

Thren. 3.

Etſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, non inveni.

Pſal. 68.

Ergò ab hominibus derelicto cælum
adfuit.

Apparuit illi Angelus de cælo confortans Eum.

Luca. 22.

Quanta, & quam mira dignatio!

Solatium omnis fons conſolationis ab Angelo pro conditione humana admittit,

Oceanus guttam à rivulo,

Sol radium à lucerna,

Creator à creatura levamen.

Probaſti nempe amor meus ex infinita benignitate tuâ te nobis ſimilem, ſolatio indigentem, te veros pro nobis pati angores.

Ut nos doceres in agonia conſtitutos de cælo petere auxilium, nec id petentibus deeſſe.

SENTENTIÆ.

TRiſtis erat uſque ad mortem, non propter mortem, mors enim voluntaria triſtitiam habere non poterat, in qua futura erat univerſo-

rum lætitia, univerſorum refectio: quomodo enim anima ejus timore turbata eſt, qui fecit aliorum animas non timere? Triſtis ergò uſque ad mortem erat, donec conſummaretur gratia. *S. Amb. in Apolog. David.*

Cæpit triſtari & mæſtus eſſe, Matth. 26. Caro factus permiſit carni, ut pateretur. *S. Cyrill. Alexand. lib.* 4. *in Joan.*

Mæſtitiam illius confitere, pavorem dilige, tædium venerare; de tuo hoc habuit, non de ſuo, te agnoſce in illo, pro illo lacrymare, qui doluit propter te, mærore ſuo quid agere debeamus indicavit. *B. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſti agon. cap.* 6.

Ego nuſquam magis pietatem ejus, majeſtatémque demiror; minus enim contuliſſet mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum: ergò pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret, & ſequeſtrata delectatione Divinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur; ſuſcepit enim triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur. *S. Ambr. in S. Lucam. Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte.* Agnoſco, agnoſco in Duce belli puſillanimorum trepidationem, agnoſco ægroti vocem in Medico, agnoſco infirmatam gallinam cum pullis, conſidero charitatem, ſtupeo miſerationem, expaveſco dignationem. *S. Bern. ſerm. de S. Andrea.*

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Hæc vox Capitis ſalus eſt totius corporis, hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes confeſſores

accen-

Digitized by Google

accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia? Quis tent[illegible]onum turbines? Quis poſſit perſecutorum ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus, & pro omnibus Patri diceret Fiat voluntas tua? *S. Leo ſerm. 7. de Paſſione.*

Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. O Dulciſſime JEſu quanta fuit paſſionis tuæ acerbitas, jam exhibitæ, cujus adhuc abſentis diſtincta apprehenſio, ita naturam terrendo concuſſerat, ut ſudare ſanguinem cogeretur. *Ven. Beda.*

O anima nimio labore ſudatum eſt, & non exivit nimia rubigo ejus. *Ezech. 24.*

Immunditia tua execrabilis eſt, quia mundare volui, & non es mundata â ſordibus. Væ tibi amaritudo peccatorum noſtrorum (*ut cum S. Bernardo loquar*) propter quæ ſolvenda tanta amaritudo neceſſaria eſt.

Flevit nempe amariſſimè, non aquam tantùm, ſed & ſanguineas lacrymas. *Taulerus de vita & paſſione Chriſt cap. 36.*

S. Catharina Senenſis in epiſtoli quadam teſte Englgrave *in cælo Empyreo pag.* 393. ſcriptum reliquit poſtremam illam Chriſti luctam, quam Agoniam vocant, neutiquam ex imminentium tormentorum horrore, metúque aliquo mortis exortam fuiſſe; verùm ex ardentiſſimo amore, ſtudióque patiendi, ac potiſſimùm ex dilatione moriendi in cruce.

Quod clarè S. Ambroſius aſſeruit dicens *Non ex metu mortis, ſed ex mora noſtræ redemptionis.* Un-

de *S. Bernardus ſerm. 3. in Cant.* Conſiderate fratres, quantum ſit diligendus, qui ſe tradentem ad mortem ſie hortatur. *Quod faci, fac citius.*

HISTORIÆ.

S. Adelgundis cùm ei à B. Virgine fieret optio petendi, & impetrandi quod vellet; hoc unum poſtulavit, ut ſibi ex voluntate & regula dirigerentur omnia, ſuam ſuorum in ſe poſitam eſſe deſideriorum ſummam, ut voluntas DEI in ſe compleatur. Vera ſcilicet Imitatrix illius, qui in horto dixit. *Non mea ſed tua fiat voluntas.*

S. Franciſcus Saleſius dicere ſolitus erat, nihil ſe velle, nihil ſe nolle; omnem ſuam voluntatem in oceano Divinæ voluntatis eſſe abſorptam, libertatem omnem irrevocabili donatione Divinæ ſe Majeſtati conſecráſſe. *Vita.*

Quædam virgo teſte Bloſio *in Monili ſpirituali* eas animi anguſtias, & à DEI amicitia velut avulſionem adeò acerbam patiebatur, ut ſuas pænas pares inferorum tormentis crederet. Inter has tamen precabatur. *Memento quæſo Domine te Deum meum eſſe, tuo ego arbitrio me planiſſimè committo, atque ſubijcio pro tempore ac æternitate; hoſque angores perferre ſum parata duratione interminabili.* Hanc cum Divina voluntate conformationem Deus ampliſſimis gratijs, & cæleſtibus delicijs abundantiſſimè fuit remuneratus.

Abbas

Abbas quidam, cui diſcipulus per imprudentiam in menſa olera peramara appoſuit, rem omnem diſſimulavit; guſtans poſteà diſcipulus errorem agnovit, & veniam petijt. Cui abbas *voluntas DEI fuit, ut talia mihi apponeres; ſi enim Deus alia voluiſſet, effeciſſet, ut alia apponeres.* Eviratus in prat. Spirit.

Quidam Cœnobita cùm omnia Monaſterij bona Divinæ providentiæ ſubjeciſſet, ſeque totum Divinæ voluntati permiſiſſet pro tempore & æternitate; ajebat, *ſi ſcirem Divino decreto jam conſtitutum, ut ad inferos detruderer, nollem vel unico momento Dei voluntati obſiſtere, & ſi poſſem dicendo unum Pater & Ave illud evertere, aut immutare, duo tantùm Deum rogarem, unum ut tota æternitate ſanctiſſima ejus voluntas in me impleretur; alterum ut mihi eam faceret gratiam, qua nunquam vel minimam contra ejus decretum cogitationem admitterem.* Quam precationem iterabat quotidie. *Pennequin in Iſag. part. 1. cap. 26.*

FRUCTUS.

PRimus. *Suam voluntatem Divinæ ſubdere exemplo Chriſti.* Optimè S. Anſelmus ſimilit. cap 8. *Solus Deus quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam, quam ſequatur, non habeat ſupra ſe. Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo auffert quaſi ſuam coronam; ſicut enim corona ſoli Regi convenit, ſic propria voluntas ſoli Deo: & quemadmodum Regem*

graviſſimè offenderet, qui coronam ei aufferret, ſic homo Deum plurimum offendit, qui ſibi rapit, quod Deo convenit. Sed ſicuti propria voluntas Dei fons eſt & origo omnis boni, ita propria voluntas eſt exordium mali. Ita Sanctus. Hujus rei gnara S. Gertrudis ſuæ voluntati nihit conceſſit. Cùm illi enim aliquando apparuiſſet Chriſtus, una manu ſanitatem, altera morbum offerens, dediſsétque opinionem alterutrum eligeret, quod placeret; neutrum elegit, ſed plicatis in crucem manibus, & in genua procumbens *O mi Domine* inquiebat, *volo, ut non meam, ſed tuam attendas voluntatem: Ego ad utrumque parata ſum, neutrum eligo: tuum eſt diſponere, utrum hoc vel illud mihi relinquas.* Bloſius *in Monili ſpirit. cap.* 11. Verè *Optimus ille miniſter tuus eſt, qui non magis nititur hoc à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potius hoc velle, quod à te audierit.* S. Auguſt. *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 26. Oremus igitur cum S. Ignatio: *Suſcipe Domine univerſam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam omnem; quidquid habeo, & poſſideo, mihi largitus es, id totum tibi reſtituo, & tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolùm cum gratia mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliquid quidquam ultra poſco.*

Secundus. *Oratio conſtans.* Oravit Dominus tertiò eundem ſermonem: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, & factus in agonia prolixiùs orabat.* Lucæ 22. Non ad unam horulam, ſed aliquorum opinione ad ipſas tres horas orationem hanc ardentiſſimam extendit; & quidem cùm tæderet, paveret,

veret, & triſtis eſſet anima uſque ad mortem; cùm præ anguſtijs animi ſudaret ſanguinem, & hujus guttæ decurrerent in terram. Quibus nos docere voluit Dominus, qua conſtantia etiam inter tot, & tantas difficultates divinæ voluntati ſit inhærendum; quo ardore, attentione, continuatione precibus ſit inſiſtendum. *Si primò non exaudiris*, monet S. Gregorius *in Pſal. 6. Pœnit. ab oratione ne deficias, imò precibus, & clamore inſiſtas: vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci; ita tibi dicit, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Tertius. *Diſcamus Domini exemplo nullam rem aggredi niſi pravia oratione.* Hujus defectu ferè pleraque noſtra infelicem ſortiuntur effectum; telam ordimur, ſed Deo non conſulto, hinc finis minimè ſecundus: nempe ea, quæ ſine Deo cœpta ſunt, ſine Deo finiuntur. Tota nocte laborantes nihil capimus, *fruſtra vigilamus, niſi Dominus cuſtodiat civitatem.* Pſal. 126. Videlicet niſi eum invocaverimus cuſtodem, & rogaverimus *ut confortet ſeras portarum noſtrarum.* Pſalmo 147.

Quartus. *Devotio, & reverentia in precibus.* Chriſtus pro te oraturus in faciem proſternitur; tu in tua cauſa quid facis? ubi animi attentio? ubi ſubmiſſio? ubi ſeria devotio? vide corporis tui compoſitionem: an non ſæpè ludenti, nuganti, dormitanti, quàm oranti ſit ſimilior? quid dicam de oculorum, aurium, mentis evagationibus, & ſexcentis alijs, dum oras ineptijs?

atque

Digitized by Google

atque his audes convenire Regem Regum, ſupremum cœli Principem, qui coram terreno Regulo agens ad omnem te componis modeſtiam, ac reverentiam?

Quintus. *Contemptus commoditatum corporis &c.* Urias è Davide Rege ſuo juſſus domum ire aiebat, *Arca Dei, & Iſraël, & Juda habitant in Papilionibus. & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam* 2. Reg. 11. En vera & viva Arca Dei, in qua habitat omnis plenitudo Divinitatis, jacet in terra! En non Joab, non Iſrael, non Juda habitant ſuper faciem terræ; ſed ipſe Deus Iſrael, ipſe Dominus exercituum proſtratus jacet ſuper faciem terræ lacrymis diffluens, ſudans ſanguinem! & tu ingrediaris domum tuam, ut comedas, & bibas, &c? Per ſalutem animæ tuæ non facias rem hanc. 2. *Reg.* 11.

CONSIDERATIO III.

FLAGELLATIO CHRISTI.

Ego in Flagella paratus ſum.

Pſal. 37.

O Virgo Virginum Sponſe!
Tu veſtibus tuis à carnificibus exueris? nudaris?
Qui paſceris inter lilia caſtiſſimus, *Cant.* 2.

Ocu-

Digitized by Google

Oculis nudus objiceris gentis infrunitæ, petulcæ?
Quanto dolore?
O JEſu caſtiſſime!
Tua nuditate meam inverecundam tege nuditatem, & Adamum primum Adame ſecunde vellere tuo veſti innocentiſſime Agne.
O JEſu triſtiſſime!
Tu columnæ alligatus, & nudus ſtas,
Qui Reges purpura veſtis, & comis?
Alia
videlicet tibi debetur purpura.
At quæ amor mi?
Purpura domi nata, è corpore tuo, ac venis proditura omnibus.
Te JEſu humillime, & abjectiſſime vermem dixiſti. *Pſal.* 21.
Tu vermicule ligni tenerrime ex
Te ipſo rubebis. 2. *Reg.* 23.
Verùm
Quantis hoc ſtabit ictibus, vulneribus?
Supra dorſum tuum fabricabunt peccatores, prolongabunt iniquitatem ſuam. *Pſal.* 128.
Heu quid video?
Jam circumdant te canes multi, vituli multi. *Pſal* 21.
Tauri pingues obſident te: rugiunt catuli leonum parati ad prædam. *Pſal.* 103.
Ululant lupi ad agnum diſcerpendum.
Quid audio?

Vir-

Virgarum ſonitus, flagellorum crepitus, flagellantium blaſphemias, ſpectantium riſus, & cachinnos.

Ictus numero ſexies mille, ſexcentos ſexaginta ſex. *S. Bern.*

O numerus horrificus!

Et hi ictus inflicti fuêre ab hoſtibus impijs, idololatris, feris, crudelibus; incitatis à furente in innocentem rabie; inſtigatis à Judæis; ſtimulatis à dæmonibus. Et hi inflicti fuêre manu validiſſimâ, lacertoſis brachijs, mutatis torturæ immanis inſtrumentis; & his attritis ſubſtitutis novis; ipſis quoque tortoribus ſuccedentibus, cùm priores erant viribus, ſed non furore laſſi.

Et hi inflicti fuêre innocentiſſimo, tenerrrimo corpori, patientiſſimo, nil querenti, ſed ad plura ſe æterno Patri pro homine offerenti.

Quid ad hæc cogitas? dicis anima?

Nec verberum fuiſſet finis, aut numerus; niſi virtuti rabies non exaturata, ſed laſſata ſuccubuiſſet: quæ ipſa vulnera, cùm reliquum non eſſet, vulneravit.

Sed erro.

Non læſit vulnera, cùm vulnus fuerit unicum, livor, & plaga unica.

Sicut aqua effuſus eſt amor tuus, quia omnes rivi ſanguinis ſunt aperti. *Pſal. 21.*

Non eſt ſanitas in carne ejus, omnis diſcerpta eſt. *Pſal. 37.*

Non

Digitized by Google

Non eſt pax oſſibus ejus, cùm ictibus
patuerint, *Eodem*
Et hæc omnia crudeles hoſtes di-
numeraverint. *Pſal.* 21.
Quid hoc amor mi Vulnerate?
Lego multa flagella pectoris. *Pſal.* 31.
Sciens, & non faciens voluntatem Domini
vapulabit multis. *Lucæ* 12.
Tu innocentiſſimus, obedientiſſimus es Filius;
Ea, quæ placuêre Patri, feciſti ſemper, *Joan.* 8.
& ſemper cum eodem operatus es. *Joan.* 5.
Quæ ergò eſt Juſtitia?
Peccator, ſervus inobediens vapulat multis:
Tu Filius obſequentiſſimus plurimis?
Sed amor
hic jus dixit, hanc tulit ſententiam.
Mi JEſu
Ex amore nimio me nocentiſſimam Juſtitiæ
Divinæ victimam dimiſiſti.
Quia ergò dimiſiſti virum dignum morte,
vadem æquum eſt ſatisfacere. 3. *Reg.* 20.
O amor infinite!
Quid retribuam tibi, qui pro me ſervo nequiſſi-
mo tantum, & innocentiſſimus, & ama-
biliſſimus luis?
Fundam ſanguinem?
Sed nocentiſſimus eſt, digniſſimus quem canes
Lingant, & porci ſpurciſſimi conculcent.
3. *Reg.* 21.
Fundam lacrymas?
Licet capiti meo ſceleſto quis det non fontes,
ſed

ſed Maria lacrymarum, nihil conferet.
Peccatrices ſunt, immundæ ſunt, lutulentæ.
Ut ergò ſint gratæ,
Scio quid agam.
Immergam in piſcinam Probaticam, quæ *Joan. 5.*
dicitur Miſſus. Ad te ergò Miſſum à Patre cur-
ram afflictus, & his thermis ſaluberrimis
ut Naaman in Jordane recipiam
ſanitatem, *4. Reg. 5.*
& ſalva fiet anima mea. *Gen. 32.*

SENTENTIÆ.

TAm inclementer ad columnam eum ligaverunt, quòd, quemadmodum legitur, caro illius funes, quibus vinctus fuit, prorſus operuit. Quin & hoc ſcriptum reperimus, tam crudeliter fuiſſe ligatum, ut ſanguis ex digitorum unguibus erumperet. Id verò ea de cauſa fecerunt ne ex eorum manibus laberetur, quandoquidem maleficum & impoſtorem eum habebant. *Ita Taulerus.*

S. Gertrudis, inquit Lorinus *in Pſal. 21. ex Coſtero*, quinquies mille & quadraginta verbera in flagellatione Chriſti inflicta ſcribit. S. Bernardus plura numerat, alij pauciora.

Ego, ego ſum tui plaga doloris, tuæ culpæ occiſionis. O mirabilis cenſuræ conditio! peccat iniquus, & punitur juſtus: quod perpetrat ſervus, exoluit Dominus: quod comittit homo, ſuſtinet Deus. Quo Nate Dei, quò tua deſcendit

dit humilitas ? quò tua flagravit charitas ? ego ſuperbivi, tu humiliaris : ego gulæ parui, tu inediâ afficeris : ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem &c. *S. Aug. Medit. cap.* 7.

Non flagella vacant, quia flagellatus eſt ipſe, ne nos flagellaremur. *S. Ambroſ. lib.* 10. *in S. Lucam.*

Totum corpus vulneribus aperuit, ut eſſent tot ora in admonendo, quod vulnera producta. *S. Petrus Chryſolog. ſerm.* 120. & *S. Bern. ſerm.* 120. *in Cantica.*

O charitas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit ? nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuiſſet, ſi charitatis vinculum defuiſſet. *S. Laurent. Juſtinian. lib. de ligno vitæ.*

Pectus illud DEI capax flagella ſecuerunt. *S. Hieron. in cap.* 24. *Matth.* & *in Iſaia cap.* 50. Pectus Dei capax flagella conciderunt.

In toto corpore ſuo fuit ita plagis, livoribus, & vulneribus affectus & obtectus ; quòd non remanſit in eo nec una portiuncula illæſa, quantum acus pungere poſſet : ſed omnia erant vulnerata, percuſſa, conquaſſata. *S. Anſelmus in cap.* 27. *Matth.*

Cujus oro tam ferreum pectus tanta non emoliret benignitas Redemptoris ? ligatur, cæditur, totóque flagris corpore diſſipatur. Nunc ſcapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt, vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt. Hinc livor tumens, inde

Bb ſan-

Digitized by Google

ſanguis erumpens, variatum cute detracta corpus adeò ut membrorum compages viſibiles fierent. *B. Laurent. Iuſtin. de Triumph. agon. Chriſti cap.* 14.

Patent mihi tua viſcera per tua vulnera. *S. Auguſtinus.*

Certè à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. *Thren.* 1.

S. Hieronymus relatus à Gloſſa ordinaria Miniſtros flagellationis his deſcribit. Sex carnifices accedunt, duo eorum virgis ſpineis, duo loris nodoſis, duo catenis ferreis; incipiúntque primi totis eum viribus percutere; adduntur vulnera vulneribus, decurrit ſanguis. Primis defeſſis ſuccedunt ſecundi, & novis vulneribus vetera cumulant; quos mox tertij ſubſequuntur, qui uncinis carnem & pellem avellunt.

Quibus addit Laurent. Juſtinian. Inter ipſos ille beatior, illéque præſtantior credebatur, qui infligendis verberibus crudelior extitiſſet. *In Tract. de Triumph. Chriſti agone, c.* 10.

S. Magdalena de Pazzis *Vit. part.* 6. in extaſi cognovit Chriſtum à triginta paribus hominum, id eſt ſexaginta Miniſtris fuiſſe flagellatum; cùm alijs alij novi, recentéſque ſuccederent. proh! tot carnifices in innocentiſſimum, & tenerrimum corpus Jeſu! verè fecerunt in Jeſum, quæcunque voluerunt. *Marci* 9. Uti & in coronatione, ac crucifixione. Verè turba hæc carnificum concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas. *Job.* 16. Unde colligo vulnera fuere

re multa, & ictus validiſſimos, quos ſcil. non à debili, ſed gigantis manu expectes.

Flos omnis carnis & totius humanæ naturæ repletur livoribus, & fracturis. Fluit undique regius ſanguis de omnibus partibus corporis, ſuperadditur, reiteratur, ſpiſſatur livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam; quouſque tam tortoribus, quàm inſpectoribus fatigatis ſolvi jubetur. S. *Bonavent. Vita Chriſti, cap. 76.*

HISTORIÆ.

FLagellatio, ut peracta fuerit, Beatiſſima Virgo S. Brigittæ his verbis retulit lib. 1. Revel. cap. 10. *Flagellabant corpus ejus ab omni macula & peccato mundum. Ad primum ergò ictum ego, quæ ſtabam propinqua, cecidi quaſi mortua, & reſumpto ſpiritu vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum uſque ad coſtas, ita ut coſtæ ejus viderentur; & quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cùmque filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtaret, ut in eo non inveniretur ſanitas, nec quid flagellaretur: tunc unus concitato in ſe ſpiritu quæſivit. Nunquid interficietis eum ſic injudicatum? & ſtatim ſecuit vincula ejus. Inde Filius meus induit ſe veſtibus ſuis: tunc locum, ubi ſtabant pedes Filij mei, totum repletum vidi ſanguine, & ex veſtigijs Filij mei cognoſcebam inceſſum ejus.* Hæc & his ſimilia etiam *lib. 4. Revel c. 70.* memorat audiviſſe B. Brigitta, quæ *lib. 4. cit. cap. 7.* ſcribit milites tam diu, támque atrociter

Chriſtum flagellaſſe, ut is demùm debilitatus, cùm porrò pedibus inſiſtere non poſſet, in proprium ipſe ſanguinem columnæ circumfluum collapſus decubuerit. Has revelationes plures referunt authores.

S. Vincentius *in illud Iſaiæ cap. 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* expendens, inſtrumento triplici Chriſtum cenſent flagellatum virgis viridibus & ſpinoſis, dein loris nodoſis, filis ferreis intentis, ſeu catenulis. Idem oſſa humani corporis ducenta ſexaginta ſex aſſerit è Medicorum ſcientia; Chriſtum verò ita flagellatum ait; ut cuivis oſſium plaga triplex infligeretur, citatus *Vincentius à Drexelio in Chriſto moriente, cap. 3. §. 4.*

Brigitta è Nortmannis orta illuſtris ſanctitatis vidua Chriſti flagellati quinque millia quadringentas ſeptuaginta quinque plagas numerat, *Apud cit. Drexelium.*

S. Tereſiam ab amore non quidem impuro, ſed tamen imperfecto abſtraxit Chriſti ad columnam alligati & flagelli effigies animo objecta. Erat illa cute lacera, plagis totum corpus operta, maximè verò in altero brachio, juxta cubitum. Hîc non modò vulnus ſpectabatur, verùm etiam carnis horrendæ diſruptæ fruſtum pendebat. Fortaſſis (*inquit Ribera in ejus vita lib. 1. cap. 7.*) hanc plagam funis, quo adſtrictus erat Salvator, affrictu ſuo inflixit.

Maria Ragia è tertio S. Dominici Ordine inſimi pietate religioſa die quodam ſacro Angelo-

rum

rum pane paſta Chriſtum vidit columnæ alligatum, multis, & diris conciſum vulneribus, ac veluti flumina quædam lacrymarum ex oculis profundentem. Ad quam illa, *Eheu mi bone JESU! Quàm diris te modis mea habuêre ſcelera?* Reſpondit Chriſtus, *Ita ſit mea filia, hæc pro hominibus paſſus ſum, qui tamen nihilominus me peccatis ſuis pergunt laceſſere.* Tum illa tota in lacrymas ſoluta: *O nimium vera ſunt hæc mi Domine! ſed quin tantam aliquando miſerorum hominum cæcitatem miſeratus acriori miſericordiæ illuſtras radio, quo ſe à peccatis ſuis tandem abſtineant?* Hic Chriſtus nudato lateris vulnere *Manum*, inquit, *huc affer, mea ſponſa, & dolorem vide.* Tetigit iſta, & ingenti ſtatim amoris velut incendio rapi ſe, & incendi ſenſit. *Vita lib. 3. cap. 5.*

S. Franciſcæ Romanæ revelavit Chriſtus in flagellatione ſua veſtimenta ſua à Judæis petulanti dolo abſcondita fuiſſe, & à ſe requiſita magna ſua ignominia, ſarcaſmis, & verberibus à tergo incuſſis. *Vita lib. 3 cap. 6.*

Cùm Senis duo inſigniter flagitioſi latrones jam ad mortem ducerentur, & curribus impoſiti ferro diſcerperentur; nemo unus erat, qui perſuaſione ulla animos illorum inducere poterat, ut confeſſione ſacra ſeſe expiarent: imò blaſphemas contra Deum, Sanctóſque voces identidem jactabant. Erat eodem tempore S. Catharina apud Alexiam ſociam, & diſcipulam ſuam, cujus ædes tranſibant infelices illi. Tum Alexia properè ad Catharinam, ut ei rem hanc

oppidò triſtem properè indicaret. Catharina ſtatim ſeſe pro deſperatorum hominum ſalute ad exorandam clementiam Salvatoris dedit, ideò maximè commota, quòd cùm per feneſtram proſpexiſſet, viderit ingentem dæmonum turbam illos miſerrimè exagitantium. Ubi tandem ad urbis portam perventum eſt; ecce adfuit illicò oculis obſtinatorum latronum conſpicuus Salvator totus vulneribus conciſus, nec videri ab illis ſolùm voluit, ſed & audiri, dum ad pænitentiam illos largiſſima veniæ ſpe eſt cohortatus. Nec fefellit optatus in obſtinatis eventus. Etenim uterque confeſtim inclamare Sacerdotem cæpit, nec mori prius velle, quàm ſuam quiſque pro ſe conſcientiam expriâſſet. *Vita* 29. *April.*

Dæmonis Dominicum de Cuncha coadiutorem Soc: JESU mirè tentantis, ac excruciantis ſævitiam magnis delicijs compenſavit; Dominus quando illi ſe ſpectandum obtulit nunc columnæ alligatum, nunc crucem baiulantem, ſed aſpectu apprimè amabili. *Annuæ Prov. Luſitaniæ Colleg. Olyſip. anno* 1644.

Fructus.

PRimus. *Tantus exceſſus Amoris, patientiæ, fortitudinis, quantum à nobis exigit exceſſum compaſſionis, compunctionis*; & omnimodæ ad ardua & aſpera quæque reſignationis; promptitudinis ad ſpontaneas pænitentias, & corporis afflictiones aſſumendas; ad flagella omnia, quæcúnque veniant de manu Juſtitiæ Divinæ & Miſeri-

Miſericordiæ patienter excipienda? Flagellatur filius innocentiſſimus, & ſervus nocentiſſimus flagellari renuat? flagellatur filius pro ſervo, & ſervus pro ſe nolit quid pati? quæ non rapuit exolvit. *Pſal.* 68. & ille, qui rapuit, non exolvat.

Secundus. *Patientia inter flagella ab eo inflicta, qui quem diligit caſtigat.* ad Heb. 12. En tantos flagellationis immaniſſimæ dolores mitiſſimus Agnus ſic excoriatus & dilaniatus quàm forti, conſtantique animo tulit? Ut modeſta fronte, ſereno ore, vultu tranquillo in tanta Carniſi? cum laniena conſtans, invictúſque duravit. quot interim Diviniſſimos actus Zeli gloriæ Patris, & humanæ ſalutis, compaſſionis, alióſque more ſuo frequentavit? Quid ego? à Deo ſervus, mancipium ob tot delicta flagellatus ego? Quid convenit me agere impoſterum? *In omnibus ergo exhibebo memetipſum ſicut DEI miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis &c.* 2. Cor. 6.

Tertius. *Totus mi JESV, mea cauſa, unum corpore toto vulnus fuiſti*; poſtquam verbera penè ſine numero excepiſti. Totum tuum corpus vulneribus aperuiſti, ut in admonendo me eſſent tot ora, quot vulnera. O Domine ubi ubi te aſpicio, annon dicere ubique cogor. Quis ſimilis tibi in vulnere corporis? Quis ſimilis tibi in amore cordis? Totum te mihi aperuiſti, dum totus unum pro me vulnus factus fuiſti. Patent jam mihi tua viſce-

ra per tua vulnera. Hic ergo his in vulneribus habitabo, quoniam elegi ea.

Finio hanc conſiderationem affectu pio cujuſdam S. Scriptoris. O JEſu vere ſponſe ſanguinis! clamamus omnes ad te eadem, qua Judæi voce, ſed non eadem mente, *Sanguis tuus ſuper nos*, & ſuper animas noſtras. Sanguis tuus, quem in Prætorio Pilati expreſſit non tam hoſtium furor, quàm tuus in hoſtes amor, ſit ſuper nos. Sanguis tuus à Spiritu S. formatus, ut ſancti ſimus, ſit ſuper nos: Sanguis tuus ut remittat peccata noſtra, ſit ſuper nos, quia ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Sanguis tuus ex Sacroſancto corpore tuo effuſus, ne ſimus rei corporis, & ſanguinis tui, ſit ſuper nos; ſed ut poſtquam dealbaverimus ſtolas noſtras in Sanguine tuo, poſſimus à te redempti cum electis tuis modulari illud ſacrum carmen *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo.*

Consideratio IV.

De Coronatione Christi.

Spinas, & tribulos germinabit tibi. Gen. 3.

O Adame ſecundè!
Ergo eandem cum Adamo primo ſententiam audis? idem fulmen ſentis?

Spinas,

Spinas, & tribulos germinabit tibi.
Innocens cum nocente, ſanctus Sanctorum cum reo, eidem ſubjiceris maledicto?
Utinam etiam eodem modo!
Spinæ in primum hominem inobedientem animadverterunt; cum ſpem ſegetis luſerunt, ſuffocarunt, aratrum fatigarunt, & manus evellentes ſauciarunt.
Sed quid hoc?
Supplicium leviſſimum, ludus fuit.
Luſêre quidem & milites petulantes cum Duce ſuo;
Verùm
Ludum egerunt tragicum, cruentum, funeſtum, acerbiſſimum, triſtiſſimum.
O JEſu flagellate!
Dum ſolutis funibus ad columnam in ſanguine tuo jaces, & cogeris fatigatiſſimus veſtes reſumere;
Dæmon, & barbara ſatellitum rabies novam apparavit ſcenam inviſam, inauditam:
Te regem appellabant Judæorum Principes;
Romana furia decrevit coronam.
Decrevit cæteros Regibus debitos honores, & novam jam purpurato purpuram.
At decreto diriſſimo, quia ludicro!
Cogunt igitur univerſam cohortem. *Matth.* 27.
Si tamen hi coguntur, qui volunt.
Omnes incitante dæmone advolant, & novum Regem culturi cum pompa ferali in ſuum deducunt Prætorium.

Digitized by Google

Qualis ſtructus eſt huic Regi thronus?
Scabellum humillimum, ſeu potius pro
ſolio ſolum.
Diſce ſuperbe, num conveniat te primos *Luc.* 14.
accubitus eligere, & primas cathedras
in Synagogis? *Matth.* 23.
Accedit Tribunus, & cum nomine Regio coro-
nam offert, eloquenti Sarcaſmo.
O Coronam!
Horrentem ſpinis, ſentibus hiſpidam, paliuris
aſperrimam, viſu horrendam ſolo!
Et hæc caput ſanctiſſimum, innocentiſſimum
perforet?
O Filiæ Sion
Egredimini, & videte diadema, quo Salomonem
coronabit Mater ſua, imò non Mater,
ſed noverca crudelis.
Adſunt protinus lanienæ immanis miniſtri
deteſtandi.
Et capiti divino ſpinas infigunt, im-
primunt, immergunt.
Ah furore quanto!
Niſu quanto!
Dolore quanto!
Ipſum ſæviſſimi penetrant cranium.
O dura Mater!
Cur non obſtitiſti, ut non læderetur
Pia Mater tam pij capitis?
Ad ipſum uſque ſpinæ pertinent cerebrum,
ſedem ſapientiæ, ſedem vitæ.
Et quot illæ?

Certè

Digitized by Google

Certè fuêre complures, cùm aliqui in capite ſeptuaginta duas, alij plures, nonnulli mille numerant punctiones. *S. Chryſoſt. & S. Bern.*
En peccator! hæ ſunt cogitationes tuæ ſuperbæ, invidæ, laſcivæ &c.
Hæ lancinant caput ſanctiſſimum.
Ah doloroſiſſime JEſu!
Vivis? natura non ſuccumbit adeò læſa?
Imò vivis mi JEſu, vivis!
Ut plura pro me nocentiſſimo pati poſſis.
Ergò Deus admirabilis! *Iſaiæ 9.*
Miraculis opus eſt, ut graviora pro me patiare, & per prodigia tibi crux conſcendenda eſt?
O anima quid tu ad hæc?
Clamabíſne cum illis, coronemus nos roſis, & ſpinas cedas ſponſo tuo? *Sap. 2.*
O quàm turpe eſt membrum delicatum ſub capite ſpineo? *S. Bernard.*
Luſus cœptus pergit:
Coronati humeris injiciunt lacernulam laceram purpuræ, coloris jam emortui.
Sanguine Chriſti roſeo reviviſcere debuit.
Nec ea totum texit corpus.
O Ammonitis crudeliores!
Hi in Lêgatos Davidis Regis injurij fuêre;
Iſti ipſum Davidis filium nudârunt, & veſtierunt, ad confuſionem, & riſum egêre utrumque.
Fruſtum purpuræ obſoletæ fuit, vix dorſo tegendo ſuffecit, reliquum corpus ludibrio expoſuit,

ſuit; quàm infami?

O anima quid tu ad hæc?

Placétne cum divite illo veſtiri byſſo & purpura? *Lucæ* 16.

Indui veſtimentis gloriæ? *Iſaiæ* 52.

Qui veſtiuntur mollibus, in domo hujus Regis non ſunt. *Matth.* 11.

At ubi ſceptrum Regium?

O ſceptrum cæteris reſpondens inſignibus!

Arundo fuit.

Symbolum mobilitatis; vanitatis, fragilitatis.

Scilicet Regem talem putabant impij decere tale ſceptrum.

Ah mi JEſu!

Ego ſum illa arundo vento agitata, *Matth.* 14. opprobrium tuum.

Teneat me dextera tua. Non movebor *Pſal.* 138. in æternum. *Pſal.* 14.

Securiſſimus ſum in hac manu tua benedicta, & mitiſſima.

Arundinem quaſſatam non confringes. *Matth.* 12.

Reliquus eſt hujus tragædiæ actus ultimus.

Adoratio novi Regis.

An exhibitus fuerit majori petulantia, an ſævitia dubito.

Erat militum impiorum numerus 1125.

Singulos pudebat non eſſe impudentes.

Singuli roboris ſui experimentum faciebant.

Singuli præmium roboris aufferre cupiebant. heu crudelis!

Singuli credebant ſe Cæſari ſervire, cùm in hunc ſin-

ſinguli ſævirent, & injuriam huic illatam
eſſe Cæſaris gloriam.
Ut hæc inſania irritavit animos, & manus?
Accedebant ſinguli; & jocantes ſalutabant
Novum Regem,
Ave Rex Judæorum!
Quem ſumma humilitate juſſu Patris adorant
omnes Angeli. *ad Heb.* 1.
Hunc ſummo ludibrio adorant caculæ
viliſſimi.
Flectunt genu irriſores, conſpuunt faciem ſpurciſſimi, percutiunt genas ſæviſſimi, caput
arundine.
O quale opprobrium!
Irrident, inſultant, exibilant, blaſphemant,
alapas ingeminant, & ſputa fætentiſſima
agglomerant uſque, & uſque.
O JEſu doloroſiſſime quis tibi animus?
Manſuetiſſimus, patientiſſimus, fortiſſimus
pacatiſſimus.
Obtuliſti te æterno Patri ad atrociora.
Obtuliſti pro me doleres hos, paratus pati
atrociores.
Obtuliſti pro ipſis tuis tortoribus pientiſſimus
Advocatus.
Paſſus es, ut me doceres pati.
Ego etiam à viliſſimo contemptus indigner?
Ego ſuſpirem laudes, honores, & Alta?
Ego roſas exoptem, titulos prenſem, præconia
ſomniem?
Ego de dolore quopiam conquerar?

Obli-

Digitized by Google

Oblivioni detur dextera mea, ſi non meminero *Pſal.* 136.
Tui patientiſſime JESU.
Oblivivioni detur dextera mea, ſi non meminero
Tui humillimi, & mitiſſimi corde,
JESU.

SENTENTIÆ.

S. Aponius in Cantica explicans verba illa *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis, & lætitiæ cordis ſui.* Cant. 3. Dicit diadema hoc eſſe coronam ſpineam, quæ in die Paſſionis vertici Redemptoris noſtri venerando fuit ſuperimpoſita; atque hic dies ab ipſo dies lætitiæ, & deſponſationis appellatur.

S. Brigitta *Revel. lib. 7. cap. 25.* refert ſibi Jeroſolymis exiſtenti à Deo revelatum eſſe oculos, aures, atque os Domini cruore è ſpinarum vulneribus oppleta fuiſſe, atque vultum contectum.

Pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur! Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum! *S. Bern. ſerm. 5. in Feſto Omnium Sanctorum.*

Plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus. O Rex gloriæ JEſu Chriſti (verbis utor S. Bernardi *ſerm. de Paſſ. cap. 4.*) corona omnium in te confitentium, te ſequentium, pro te pugnantium, manentium in te, quis te tam amaro vinculo confuſionis addixit? ecce operuit con-

confuſio caput tuum, & faciem tuam amabilem. Ingeritur tibi à generatione prava, & amaricante honor deriſorius in corona.

S. Cyrillus *Catecheſi* 12. vocat hanc coronam myſterium, ſolatium peccatorum, & diſſolutionem maledictionis.

Spineam coronam geſtare voluit, ut ſolicitudines vitæ noſtræ extirparet, & ſpinarum geſtatione omnes in ſecuritatem aſſereret. Ipſe in doloribus erat, ut nos dolore careremus. *S. Athanaſ. ſerm. de Paß.*

S. Bonaventura *in vita Chriſti cap.* 26. adducens de cæcitate oculorum Chriſti ex ſpinea coronatione S. Bernardum ſic loquentem: Ait etiam alibi Bernardus; Meditare paſſionem Crucifixi corporis, & vide, ſi aliquid eſt in eo, quod non peroret ad Patrem. Pro te Divinum illud caput multiplici ſpinarum denſitate denſatum uſque ad cerebri teneritudinem confixum eſt, dum configitur ſpina, *Pſal.*31. Spinis peccatorum ſuorum ait Dominus per Prophetam circumdedit me populus iſte.

Deipara B. Brigittæ ſic locuta eſt. Aptaverunt coronam de ſpinis capiti ejus, quæ tem vehementer reverendum caput Filij mei pupugit, ut ex ſanguine defluente replerentur oculi ejus.

Similiter ad eandem Chriſtus Dominus legitur dixiſſe. *lib.* 7. *Revel. cap.* 16.

Chriſtus JEſus quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? ex ſpinis, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis;

Si

Si ob hæc caput ei tuum debes; tale ſi potes, ei tuum repende, quale ſuum pro te obtulit: *Tertul. de Corna milit. cap.* 14.

HISTORIÆ.

B. Theonilla rubis ſe coronari ad imitationem Magiſtri patienter tulit.

In Hiſpania non procul Toleto puer octennis, cui nomen Chriſtophorus, à Mauris coronatus eſt ſpinis, atque cruci affixus.

In Anglia Licolniæ eodem genere tormenti S. Hugo puer à Judæis extinctus eſt.

Ziſchka, Bohemiæ clades, viros religioſos undecim Carthuſianos ſpinis coronari, & vijs publicis duci juſſit, ante eos ſaltante ſannione, in Sacerdotis habitu cum calice. Sed ea nocte plexus eſt capite, atque captivi in libertatem vindicati. *Pontanus lib.* 1. *Bohemiæ piæ.*

Godefridus Bullionius noluit in ea urbe regiam coronam capiti ſuo imponere, in qua Chriſtum Liberatorem ſuum ſpinis coronatum recordabatur. Unde accidit, ut nec in hujus nec in aliorum Regum Jeroſolymitanorum ſtatuis, vel imaginibus aliæ videantur coronæ, quàm veprium ſimilitudine horridæ. *Guilielmus Tyrius lib.* 8. *de bello ſacro. cap.* 9.

S. Eliſabetha Regis Hungariæ filia cum amorem ſuum ſpinis horrentem vidit in mundo ſuo muliebri ingenuè erubuit, *mihi*, inquiebat, *caput gemmis, tibi ſentibus riget, ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumſpicis, & eheu! non invenis!*

De

Digitized by Google

De Catharina Riccia pientiſſima virgine refert Author vitæ apparuiſſe ei Deiparam virginem, & obtuliſſe coronas tres auream, argenteam, & ſpineam; ut ex his, quas ipſa vellet, ſibi deligeret; elegiſſe autem argenteam, quòd auream ſperaret in cœlo ſe recepturam. Sed monita mox à Matre virgine, *quid ageret, haccine eſſet in filium ſuum fides? hic affectus? atque imitationis amor?* His monitis confuſam Catharinam ocyus, rejectâ argenteâ coronâ, ſpineam popoſciſſe.

B. Ritta de Caſſia ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini auditâ de ſupremis Chriſti cruciatibus concione adeò eiſdem affici cœpit; ut domum reverſa ſe ad pedes Crucifixi abjecerit rogans enixè, ut ſaltem unius ſpinæ ex corona ſua dolorem ſentire poſſet. Cùm ecce ſpina una lucida immixta radio ex corona in frontem ejus immiſſa eſt, quæ vulnus ac dolorem non modicum ei excitavit, qui totâ vitâ reliquâ eam non dimiſit. Vermibus ſcatebat plaga, quos Angelos ſuos vocabat; ſanies tamen ex ea fluens nulli, niſi ipſi, ſua graveolentia moleſta erat; quam tamen æquo animo toleravit, propter eum, qui in ſancto, Divinóque capite tanta pro nobis pati voluit.

Hippolytus Galatinus Florentinus, proſtitutæ pudicitiæ fœminam ingenioſo commento aggreſſus eſt. Tabellam, in qua Chriſtus Dominus ſpinis cinctus tempora, multóque fluens ſanguine eleganter erat pictus, ſpeculi ad morem

Digitized by Google

adornavit, ſuſpendítque ad feneſtram, ut vanæ fæminæ aſſolent: tum ſe ad iſtud identidem veluti ad ſpeculum corporis contemplabatur. Id conſpicata meretrix mirari, & viri vulgò ſancti, & gravius levitatem plusquam muliebrem irridere. Tum Hippolytus, vultu ad dolorem pietatémque compoſito, novi generis ſpeculo procacem in mulierem obverſo illius oculos everberavit, animúmque improviſo ſpectaculo attonitum ita perculit, ut mox impetrata ab Hippolito imagine ſæculi transfuga in pudicitiæ caſtra ſe contulerit. *Ro in exemplis Virtutum.*

In ægrotatione ex gravi lapſu contracta dum nocte quâdam P. Bernardinus Realinus è Soc. Jeſu vigilat; ſublevatus eſt à Deo ad ſpectandum in cœlo Chriſtum in crucem ſuffixum, & ineffabili gloria circumfuſum, dulciſſimè ſibi loquentem. Ex quo præter liquidiſſimam, quam hauſit voluptatem, viſus eſt ſibi fidei arcana manifeſta in luce perſpexiſſe. Alia vice confectum ſupplicijs ſe Chriſtus eidem exhibuit, acceptámque de capite ſpinarum unam, ſed abſque cuſpide, Bernardini capiti imponens quæſivit num doleret? cui æger, nihil penitus ſe dolere, quòd etſi ſpina eſſet, mucronem in Divino capite reliquiſſet; proin nihil cruciatûs, ſed multum gaudij apparere. *Vita cap. 3.*

Dormienti Landſpergæ Novitio è Soc. Jeſu cùm eum mœror importunus oppreſſiſſet; Chriſtus Dominus apparuit duas ferens coronas, è ſentibus utramque, alteram verò ex horridioribus,

bus, atque alterutram obtulit. Elegit novitius horridiorem, & narravit ſe poſteà viſo, ſermonéque Domini admirabiliter recreatum. *Annua Germ. ſup. Dom. Probat. Landſperg. A.* 1588.

Ex ſpinis coronæ Dominicæ una aliqua Tuderti aſſervatur, quæ perpetuo miraculo verè ſibi ſacro, eâ ſcilicet die, quæ anniverſaria ejus coronationis recurrit, amœnos ſe in floſculos induit. *Joann. Rho de Paſſ. Dom. cit. ab Englgrave in cœlo Empyreo Feſto 3. Paſch. pag.* 316.

FRUCTUS.

PRimus. *Solari dolores capitis meditatione ſpinarum Chriſti.* Cùm P. Petri Fabri primi S. Ignatij Socij caput imbecillimum vis doloris torqueret; repetebat ipſe ſpinis obſitum caput Chriſti, & horridis vepribus cruentatum: atque his cogitationum fomentis tum doloris temperabat ardores, tum dulces liqueſcebat in lacrymas, quin etiam deſiderabat vehementer ſuum caput ad ſpinoſum Domini caput applicari, ejus ſpinis configi, & convulnerari, *Vita lib.* 1. *c.* 4.

Secundus. *Ad immortalitatem alia non eſt via, quam arcta illa, aſpera, & ſpinis plena.* Hac itaque via contendere debemus ad vitam, *in tribulationibus, in neceſſitatibus &c. in multa patientia,* 2. *Cor.* 6. Hanc viam caput præijt, cur membra reluctemur ſequi? *Pudeat*, inquit S. Bernardus ſerm. 5. de omnibus Sanctis, *ſub ſpinoſo capite membrum vivere delicatum.* Via ad inferos ampla eſt, roſis

ſparſa; ſed terret exitus ſpinis horridiſſimus. Sequamur ea, qua præceſſit Caput noſtrum; ibimus tuti, è ſpinis naſcuntur roſæ, è cruce in Paradiſum itur.

Tertius. O anima tibi, ut olim S. Catharinæ Senenſi proponuntur coronæ duæ aurea & ſpinea; *utram eligis?* en avido alacrique animo, atque vultu ſereno Rex tuus, *Cujus regnum non eſt de hoc mundo*, acceptat ſpineam amore tui, ut tuæ ſuperbiæ faſtum ſupprimat, ad veram tui deſpicientiam, & opprobrij ſui conſortium alliciat. Quid tuarum eſt partium? cujus es mentis? num ſpinea rejecta auream apprehendes? ſcilicet ejus eris felicitatis, ut & in hac vita auro fulgeas Regina, & in altera cœli audias Regina? Deciperis; recepiſti bona in vita tua. Scis quid ſequelæ ab Abrahamo fuerit illatum, cùm diviti loqueretur Epuloni Luc. 16.? Byſſus, purpura, aurum ſpinas germinârunt & tribulos infelici, à quibus æternùm cruciabitur. Spinas ſi tu amaveris, æternùm florebis, exultabis.

Quartus. *Fallacia mundi.* Pro ſceptro *dederunt arundinem in dextera ejus.* Quale ſceptrum? quale eſt illud, quod dat, Mundus; nempe fallax, fragilis, corruptibilis, infidus, & mendax mundus. Arundo vento agitatur, frangitur, decipit innitentem ſibi, imò *ejus manum perforat. 4. Reg. 18. & Iſa. 36.* Intus vacua ludit oculos, & in ſe confidentem deſtituit. Talia ornamenta mundus porrigit, cùm firmiora, & nobiliora non habeat. Hiſce ergò inniteris ô anima? ſuper hoc

bacu-

Digitized by Google

baculo arundineo ſpem pones tuam, qui Deo cœli à nefarijs in opprobrium obtruditur? hoc tu ſuperbies, qui Regi gloriæ ludibrium eſt?

Consideratio V.

ECCE HOMO! *Joann.* 19.

Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem. Cant. 3.

Spectaculum lugubre!
Egredimini Regina Saba, & omnes filiæ alienigenarum.
Videte Regem veſtrum.
Spectaculum funeſtum!
Sed forſan non noſcetis eum? credetis ſimulacrum hominis, & deformem ſauciati larvam?
Adeò in eo non eſt ulla ſpecies, ullus decor, & non eſt aſpectus, unde nec reputatus eſt, deſpectus eſt. *Iſa.* 53.
Sed docebit vos Pilatus.
Ecce Homo!
Hic ipſe eſt Verbum Patris, miſſus à Patre, Caro, & Homo factus eſt.
Et tantus tantùm mutatus ab illo!
Ecce homo
ſpecioſus forma præ filijs hominum. *Pſal.* 44.

Stat coram te noviſſimus virorum, vir dolorum, & ſciens infirmitatem. *Iſa.* 53.

Ecce Homo.

Quantùm Pater miſericordiarum dilexit te? propter te hominem vulneravit, percuſſit, attrivit, & humiliavit Filium ſuum.

En quantum!

Ecce Homo.

Qui non poſuit Deum adjutorem ſuum. *Pſal.* 51.

Quid ais homo?

Non poſuit Deum adjutorem ſuum?

Hoc virtutis fuit, hoc amoris immenſi.

Hic homo verus erat homo: verus erat Deus, Homo Deum adjutorem non poſuit.

Ne Deus adjutor impediret Redemptorem.

Pati, crucifigi, mori pro homine voluit.

Non potuiſſet, ſi Deus adjuviſſet.

Non potuiſſet redimere, quem fecerat. *S. Aug.*

Niſi fieret Ipſe, quod fecerat, & pateretur.

Ipſe pro eo, quod fecerat.

Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me? ſed volentem. *Pſal.* 21.

Ecce Homo.

Frater non redimit, redimet homo. *Pſal.* 48.

Non ſufficiebat ullus frater.

Quia omnis frater & ipſè reus erat.

Pomum ex ipſa radice corruptum, uti ſervabit à putredine alterum ex eadem progna-tum corruptione?

Ducit

Ducit uva vicina ab uva livorem, & malum.

Ecce redimet homo, Deum Patrem habens ſine Matre,

Et Matrem ſine Patre.

Agnus immaculatus: in quo iniquitas non eſt. *Levit.* 22. *Job.* 32.

Ecce Homo.

Reſpira tandem infirme ex languore annorum octo ſupra triginta: noli dolere, noli conqueri, Hominem non habeo. *Joan.* 5.

Ecce homo, qui ſuis doloribus tuos curat, Sibi dolor, tibi medicina.

Qui vinctus, & ligatus dat tibi facultatem abeundi.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Surge ſanus, quia hic homo languores tuos, & noſtros tulit. *Iſa.* 53.

Tolle grabatum tuum, quia ægrotationes noſtras ipſe portavit: *Idem.*

Ambula per ſemitas juſtitiæ, & noli amplius peccare, ne deterius quid tibi contingat. *Ioan.* 5.

Ecce Homo.

Propter te ô homo prodigium patientiæ, obedientiæ miraculum, manſuetudinis ſpeculum, humilitatis documentum, virtutum omnium Magiſter, amoris incendium.

Inſpice peccator, & oderis peccatum tam crudele in Deum Hominem:

Inſpice Juſte, & fac ſecundum exemplar, quod

tibi in Monte hoc omnis ſanctitatis monſtratum eſt.

Non interroges quæ tu pateris, ſed quæ paſſus eſt ille. *S. Bern.*

Inſpice anima ſancta, diſce diligere te tantùm diligentem, diſce dilecto compati, eidem aſſimilari.

Similitudo amantium vinculum eſt.

Dein

Quò deformior eſt ſponſus, eò ſit tibi ſpecioſior.

Vulnera amantium ſunt decora.

Flammæ ſunt.

Ecce Homo.

Quis crederet, ſi non Romanus aſſervaret Præſes?

Adeò deformatus eſt, adeò dirè tractatus,

Et homo ita inhumanè habitus, ut ipſe de ſe diceret.

Ego autem ſum vermis, & non homo,

Opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Pſal.* 21.

Quantùm ergò ô homo debes huic homini, & non homini, propter te adeò ſeipſum exinanienti? *Ad Philipp.* 2.

Túne impie

Cum Pontificibus, & turbis clamabis

Crucifige, Crucifige eum? *Luc.* 23.

Fiéſne homo hæreditas Dei quaſi Leo in ſylva, quæ dat contra Deum vocem? *Ierem.* 12.

Non habemus Regem, niſi Cæſarem. *Ioann.* 19.

Túne

Tuíne dentes erunt arma, & ſagittæ, & lingua gladius acutus? *Pſal. 56.*

Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori. *Ioan. 19.*

Verùm
Clamas, vociferaris,
Abſit hoc à me, abſit æternùm.
Sed num ex illis es, qui labijs Deum honorant? *Marci. 7.*
Quid aliud agis, cùm peccas?
Rurſum crucifigens tibimetipſi Filium DEI, & oſtentui habens. *ad Philip. 6.*
Superbia tua arundinem porrigit.
Cogitationes improbæ capiti ſpinas inſigunt,
Deliciæ corpus totum ſauciant, vulnerant.
Luxus veſtium inijcit lacernulam.
Ecce Homo!
A te crudelius quàm à Carnificibus habitus!
Ecce Homo!
Et tu Chriſtianus hoc feceris? ſervus Dei? & forſan Sacerdos Altiſſimi?
Serve meus, populc meus quid feci tibi. *Mich. 6.*

SENTENTIÆ.

EXivit ergò JESUS portans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum, & dixit eis. *Ecce homo.*

Non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. *S. Aug. tr. 16. in S. Ioan.*

Quàm decorus es mihi Domine Jeſu etiam in ipſa tui depoſitione decoris? *S. Chryſoſt. hom. 6. de paſſ.*

O noviſſimum, & altiſſimum! ô humilem & ſublimem! ô opprobrium hominum, gloriam Angelorum! *Idem.*

Ecce homo non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Si Judæi Regi invidetis, flagellatus eſt; jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris convitijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt. *S. Aug. tr. 116. in Ioann.*

Quid adhuc tua dormitat affectio? imò non dormitat, ſed mortua eſt, ſi huic beneficio non reſpondet; in dictis ſuis ſuſtinuit Dominus contradictores; in factis obſervatores; in tormentis illuſores; in morte exprobratores; & nos omnes cupimus amicos & laudatores? *S. Bern. in Cant.*

Ecce Homo. O vim amoris! itáne ſummus omnium factus eſt imus omnium? quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius triumphat de Deo? quid tamen tam non violentum? Amor. *S. Bern. ſerm. 64. in Cant.*

Amnonem illum filium Regis Davidis Jonadab eius patruelis interrogavit, quare ſic attenuaris macie fili Regis? cui ille paucis reſpondit, *Amo.* Quære ex dilecto tuo, filio Regis

Regis æterni, ſtante ante te, quare ſic emaciaris macie fili Regis? reſpondebit paucis *amo. Prorumpant*, inquit B. Laurentius Juſtin. *de connub. verbi & animæ cap. 5. in medium probra, contumeliæ, blaſphemiæ, illuſiones, ſputa, alapæ; ſtagella, corona ſpinea, ſceptrum arundineum, purpurea veſtis, effuſio ſanguinis, cruciatus, ignominiæ, & diræ mortis: omnia hæc habent voces ſuas Amoris.*

Solus homo non compatitur, pro quo ſolo Ecce Homo Deus patitur. *S. Hieron.*

HISTORIÆ.

Ecce Homo contemplare & imitare documentum, ac exemplum generoſæ patientiæ.

Interrogatus olim S. Elzearius Ariani in provincia Comes à Delphina conjuge, unde hoc haberet, quod nulla unquam in re, nullóque caſu vel aliquod perturbati, aut irati animi ſignum daret? Reſpondit, ſe, quotieſcunque aliquid adverſi accideret, memorem fieri, quantas injurias Chriſtus toleraſſet, atque ita omnem ſubitò iram deferveſcere. Idem non rarò à ſuis domeſticis, vel etiam nauci hominibus contemptui habitus, injuriiſque affectus ſalutari hac cogitatione omnem impatientiam compeſcuit propoſita Chriſti illuſi paſſione, *age*, inquiebat, *mi Elzeari, ſi te tui famuli, aut alius quiſquam cæderent; ſi barbam vellerent; nullis*

lis non indignis modis tractarent; quid id totum eſſet ſi cum iſs, quæ Servator tuus Jeſus tua cauſa paſſus eſt, compararetur? Hac ratione comprimebat exorientem choleram; non enim omne non nihil ex ea ſentiebat: eodem referebat, quicquid adverſi occurrebat, nunquam viſus, aut gravius queri, aut quidquam acerbius ferre. *Vita.*

S. Thereſiæ ita aliquando Chriſtus locutus eſt. *Ille Patri meo cæleſti omnium chariſſimus eſt, qui quamplurimis, maximiſque afflictionibus exercetur; & vide filia mea, & animitus perpende vulnera mea, & fatere, quàm nulli tui dolores ſint, vel cum eis conferri poſſint.* Quæ verba tantum virgini patiendi deſiderium attulerunt, ut deinceps nec ſine dolore voluerit eſſe unquam, nec quidquam jucundius acciderit, quàm ſi colaphis cæderetur, pedibus conculcaretur, conſpueretur, injurijs, calumnijs, maledictis impeteretur. Ribera *in vita lib. 4. cap. 7.*

Anna de S. Bartholomæo, ubi adolevit, florem ætatis Chriſto conſecravit: ante ciner alibus tamen ferijs non potuit quin Matris urgente imperio choreas frequentaret. Ubi dum à chorago primæ nobilitatis ad ſaltationem peteretur; oculos fortè cum animo ſuſtulit, & ecce in ictu oculi exhibuit ſe Dilectus omninò cruentus hoc unum piè queſtus *pergere ſe dare vanitati, dum ille in tormentis torqueretur, importunam hanc eſſe Muſicam ſuo luctui.* Diſparuit ille, & illa hoc ſaucia telo generoſo ſaltu, mundo,

do, ac chorago ſpretis, ad Chriſtum Sponſum confugit. *Barri in anno ſancto part.* 1. *cap.* 7.

Narrat Bernardinus de buſto 1. *parte. Roſarij, & ſermonum ſerm.* 7. *part.* 3. de adoleſcente ſcelerato; qui à fido ſuo Sodali de ſeria pænitentia monitus eum joco aliquo, aut futura ſub mortis tempus confeſſione ſemper eludebat. Non diu pòſt cùm in morbum incidiſſet, ab eodem de inſtituenda tandem confeſſione admonitus benè conſulenti non paruit. Triſtis hic domum redijt ad nocturnam quietem ſecundùm quam viſus eſt ſibi videre Chriſtum Dominum, eo habitu, quo à Pilato de loco ſuperiori Judæis eſt exhibitus, lacero flagellis corpore, & corona ſpinea redimitu. Vidit eum accedere ægrotum, & his audijt alloquentem. *Ecce lacerum ſpinis caput, & totum vulneribus ſaucium corpus, ſed & apertum latus! his tibi etſi indigno parta paratáque eſt Dei miſericordia, ſi modò vitam tuam præteritam deteſtatus ad me convertaris.* Ad hæc æger *magnam Domine ſcio eſſe miſericordiam tuam, ſed neque minorem eſſe juſtitiam; cui cùm nullo meo merito ſatisfacere poſſim, non video, quomodo hac ſalva à miſericordia tua veniam peccatorum ſperare valeam ac debeam*, imò ſubjungit Chriſtus *à miſericordia mea vales, & debes veniam ſperare, quia pollicitus ſum, eam humiliter petenti nunquam negare.* Sed pergit miſerandus adoleſcens Juſtitiam Miſericordiæ præferre, cùm nihil boni in ſe, quo gratiam conſequatur, inveniat; ſed

totum

totum juſtitiæ illius rigori deſperata ſalute tradere ſeſe; tum Chriſtus iratus expreſſum dextra de lateris vulnere ſanguinem in moribundi faciem proijciens *hic*, inquit, *Sanguis meus in die Iudicij teſtis erit oblatæ tibi à me miſericordiæ, quam per inſanam obſtinationem tuam, ac ſummam ingratitudinem contempſiſti.* Expergeſactus hoc viſo Sodalis accurrit; reperit mortuum, & quidem faciem eius recenti reſperſam ſanguine.

FRUCTUS.

PRimus. *Conſideratio Dominicæ Paſſionis Ecce Homo. Si quis Ieſum Chriſtum intuetur ſanguine ſuo perfuſum, non video, quid poſſit cuiquam laborioſum videri.* S. Nicolaus Tolentinus. Nec ipſæ purgatorij pænæ. S Franciſcus aiebat, *qui probè expendit, quæ Chriſtus noſtri cauſa egerit, ac paſſus ſit, potéſtne jure queri, ſi in hac vita omnes purgatorij pænas toleret.*

Secundus. *Ecce adduco eum vobis foras. Ioan.* 19. Audiamus ergò Magiſtrum noſtrum è ſuggeſtu, & ſpectemus archetypon obedientiæ, ſubmiſſionis, modeſtiæ, charitatis, patientiæ, quod virtutum omnium abſolutiſſimum eſt. Audiamus *Præceptorem gentibus datum*, qui omni quidem vita jam verò quidem maximè coram auditorio frequentiſſimo è cathedra ſublimi ſuum illud artium, ac ſcientiarum compendium tradit *Diſcite*, inquiens non lingua ſed opere, *quia mitis ſum & humilis corde.* Matth. 11.

Tertium

Tertium ſuggerit Drexelius de Chriſto moriente part. 2. cap. 4. Hoc ipſum *Ecce Homo* ſub re Divina pijs mentibus commendatiſſimum ſit, dum enim Sacerdos Sacroſanctam Euchariſtiam monſtrat: Hoc unâ veluti pronuntiat *Ecce Homo* pro nobis infanda paſſus; quo quidem tempore hæc Divi Franciſci precatiuncula uſui eſſe poteſt, *Domine Deus cæleſtis Pater, reſpice in faciem Chriſti Filij tui, & miſere mei*, huic precatiunculæ addetur cogitatio iſta. *Ecce Homo, quàm ego ad iſtum hominem infirmus, & nihili homo ſum? quàm inflammatus, & furens libidinibus? quàm non ſum Angelus?* O Pater miſericordiarum *Ecce Homo. Ecce tuus Filius, qui in corde ſuo omnes homines amore ſummo complectitur, reſpice hunc hominem, & propter ipſum parce mihi, & da gratiam ad emendandam vitam, & firmandam in bono perſeverantiam.*

Quartum idem ſubminiſtrat, *dum Chriſtum inducit reprehendentem ſuperbum hominem, & libidinoſum atque iracundum his verbis.* O homo arrogans & faſtuoſe, Ecce homo aſpice quales gemmæ à mucronato hoc ſerto defluant? vides armillas meas funes. En jam ſecundùm per veſtem illudor, ſed neque tu ceſſas veſtitu tuo inſolenti, & ad omnem luxum facto illudere mihi. Quæſo te, ſta juxta me, & ornatum caput tuum cum meo; tuas manus, tuáſque veſtes cum meis confer; & diſcrimen maximum erubeſce. O homo libidinoſe Ecce homo quàm turpe ac diſſimile tu membrum

es

es ſub hoc ſpinoſo vulnerato capite, & quamdiu te patiar, ut non præſcindam te tanquam membrum mortuum? Tu non ceſſas ſub oculis meis & corpus, & animum conſpurcare, nec tuas ipſe ſordes, ac libidines erubeſcis. Te nunc per ſanguinem meum, & tot ſanguinis rivulos rogo, idque hoc unum, ut antequam carnis appetentiæ ſatisfacias, hæc mea vulnera numeres: chlamydem amove, & totum corpus oculis obire poteris, num adhuc peccare perſiſtis? arbitrium tuum non tollam, ſed tu cave pœnam. O homo iracunde & invide Ecce homo, tu quàm primùm vel minimum læderis, mox vindictam, & verbera meditaris: quot vel uno anno cudis fulmina in pectore tuo, quæ jacis in adverſarios tuos lingua tua? Ecce manibus ligatis ſto ante te, ignis & fulmen in mea quidem manu ſunt, ſed tego & contineo; tu obſecro exemplum meum imitare, teipſum contine, injurias diſſimula, vindictam ſubſtringe; *mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore.* Deut. 32.

Quintus. Væ mihi miſero! cùm venerit dies illa, & aperti fuerint libri; tunc demiſſo capite præ confuſione malæ conſcientiæ, ſtabo trepidus & anxius cùm dicetur *Ecce homo, & opera eius.* S. Bernardus in Medit. cap. 2.

Con-

CONSIDERATIO VI.

DE CRUCIFIXIONE DOMINI.

Crucifixerunt eum.

Matth. 27. Marci. 5. Lucæ. 21. Joan. 19.

Duo apud hiſtoricos Evangelicos ſolùm lego
verba.
Crucifixerunt eum.
O ſancte Spiritus!
Quid ſibi vult relatio tam brevis? tam ſuc-
cincta narratio?
Tanti myſterij, tanti doloris.
Tantæ lanienæ, tantæ patientiæ.
Tanti Odij, tanti amoris.
An nolebas paginam ſacram inaudita hac im-
manitate cruentare?
An innuebas illam vel ſolùm explicare eſſe
nefas?
Quantum ergò fuerit perpetrâſſe?
An vel ipſe calamus tuus ſibi diffidebat quan-
tumvis longa relatione veritatem rei
exponere?
Hoc non Beatiſſimum Numen:
Sed volebas piorum, amantium, compatien-
tium mentibus
Hanc relinquere expendendam tragædiam.

Sciebas, etſi hæ omnibus ſæculis uſque, & uſque expenderent,
Semper tamen fore quid reliquum;
S. Franciſcus.
Quod inveſtigarent, dolerent, cui illacrymarentur, & in Crucifixo dolente quærerent dolentem Crucifixum;
Nec tamen omnem invenirent, dolores exhaurirent omnes.
Sufficit amanti innuere.
Ergò ô anima
Curre, ac conſcende montem Myrrhæ, & aloës, probatiſſimarum, amariſſimarum:
Montem Calvariæ.
Spectatricem age ſedulam:
Cùm tua delicata indoles non permittat in hac tragica ſcena perſonam agere patientem; ſaltem compatere.
En!
Montem aſcendit IESVS.
Non ut Iſaac vegetus, & pauca portans ligna. *Gen. 22.*
Sed Crucem trahens ingentem, & ponderoſam, ſub qua tantus Gigas ſuccubuit: & dum traxit, vix traxit Spiritum.
Aſcendit IESVS.
Sed quæ fatigatiſſimo oblata refocillatio?
Num data ſicera mærenti, & vinum ei, qui amaro fuit animo? *Prov. 31.*
Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum.
Matth. 27.

De

De vinea Sodomorum fuit vinum hoc, & de
ſuburbanis Gomorrhæ. *Deut.* 32.
Uva eorum fuit uva fellis, & botrus
amariſſimus.
Verè Carnificum horum ferociſſimorum vinum fuit fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile. *Ibidem.*
Guſtavit tamen JESUS, ne ſua linguæ deeſſet afflictio.
Guſtavit, ut ob gulam tuam pænas daret.
Stat ergò Agnus innocentiſſimus ad occiſionem
ductus. *Iſai.* 53.
Quàm patiens? mitis? humilis? obediens?
promptus? & nunc maximè amans?
Offert ſe æterno Patri adimplens propitiationem ſuam in te. *Eccl.* 18.
Offert ſe tibi in acquiſitionem ſalutis. 1. *Theſſ.* 6.
Hoſtiam ſalutarem. 2. *Mach.* 3.
Quid interim canes rabidi?
Hi crucem auferunt, ut lanienæ accomodent;
perforant in extremitatibus, ut
clavos admittat:
Sed foramina plus æquò diſtantia faciunt, ut
brachia, & pedes poſſint funibus ſummo
dolore diſtendere, & ipſos corporis
nervos rumpere.
Iſti ceu catuli leonum irruunt, ſpineam coronam
abripiunt. heu quanto dolore!
Alphonſus Salmeron.
Spinis nonnullis in capite fixis remanentibus,
alijs vi extractis, utriſque hoc motu violen-

to irritatis, & magis ſævientibus,

Illi coram tanta multitudine ſpectantium petulantiſſimè cæleſtem Adamum, & verum generis humani ſervatorem Noe, Amoris ſancti vino ebrium denudant ſcelerati.

Heu quanta caſtiſſimi pectoris verecundia!

Alphons.

Veſtes ſanguinolento corpori tenacius adhærentes, & per crucem, ac funes appreſſas, atque agglutinatas una cum cute abſtrahunt. *Salmeron.*

Heu quanto dolore tenerrimi corporis!

Ecce anima

Hoſtiam Divinam paratiſſimam ad immolandum!

Agnum manſuetum portatum ad victimam!

Jerem. 11.

Alacri animo properantem ad ſacrificium conſummandum!

Mille ſuſpirijs tuam redemptionem expetentem, anhelantem, ſuſpirantem!

Irruunt Carnifices barbari, & non paterna manu, ut Iſaac olim, ligno imponunt, ſed crudeli, inhumano, & immitiſſimo furore impetuoſiſſimè ſuper crucem dejiciunt.

Heu quanto cruciatu!

Riſu, & cachinno Pontificum!

Plauſu, & gaudio Judæorum!

Obedientiâ verò JESU, & ſuſpirio reverenti ad æternum Patrem!

Ecce

Digitized by Google

Ecce hic ſum Pater mi, uſque ad crucem me humiliare voluiſti pro ſalute generis humani.

Ecce placet, accepto, me offero pro his, quos dediſti mihi. *S. Bonavent.*

O anima!

Non diffluis lacrymis? amore conflagras?

En vide!

Novum crudelitatis inventum, doloroſiſſimum Ablata reponitur corona.

S. Greg. Nazian.

Denuò renovantur vulnera, vel exacerbantur; ſanguine fluente replentur oculi, obſtruuntur aures, & facies tota deturpatur. *S. Brigitta.*

Hæc verò corona quantos crucifixo, ac pendenti creavit dolores?

Caput laſſum, ſi in cruce reclinare volebat, ſpinæ magis infigebantur, pungebant acrius.

In ipſa Crucifixione, & ſub tantis doloribus non reclinare quantum tormentum?

Dein trahunt manus, ac pedes cum funibus ad loca clavorum, rabie crudeliſſima, ita ut omnes nervi extenſi rumperentur.

S. Brigitta.

Infigunt clavos obtuſos per eas manuum pedúmque partes, quæ nervoſiſſimæ ſunt, & in quibus os ſolidius erat. *Taulerus.*

S. Bonav.

Nec infixerunt ſolùm, ſed foderunt manus, &

pedes, & diſtenti omnia dinumeraverunt
oſſa. *Pſal.* 31.

Fluxerunt ergò ex paradiſo cæleſti quatuor
flumina. *Gen.* 2.

Ad irrigandum, mundandum, ſanandum
Orbem terrarum inaquoſum.

O Anima!
deteſtare crudelitatem Carnificum.

Fuêre quorundam opinione ictus malleorum ſexaginta quatuor, quorum plurimi ex ipſa rabie in manus, & pedes immediatè deciderunt. *Vincentius Carafa in faſciculo Myrthæ lib.* 3. *conſid.* 6.

Ait Eccleſia in Miſſa de Paſſione Domini:
Inſurrexerunt in me viri iniqui, & abſque
miſericordia quæſierunt me
interficere.

Rurſum O Anima!
In hæc te abijce flumina, merge, ſubmerge,
Nunquam felicius enatabis, quàm cùm
ſubmerſa fueris.

Actáne eſt omnis tragœdia?
Reſtat ſcena lugubris, plena doloribus, ignominijs.

Sic affixum Cruci è terra in altum impij Satanæ Miniſtri inhumanè ſuſtollunt, mox in ſcrobem ſatis altè defoſſam crudeliter deijciunt non ſine ingenti omnium vulneratorum membrorum concuſſione. *Taulerus.*

En exaltatum Filium DEI! *Joan.* 12.

Exal-

Exaltatus fuit à Moſe ſerpens, ſed quanto
populi totius cultu? *Num.* 21.
Exaltatus Homo Deus.
quàm incondito clamore, ac blasphemo carnificum de fixo crudelitatis trophæo lætantium?
quàm rabida vociferatione Pontificum certatim
Crucifixo inſultantium?
quàm amaris ſanaſmis, maledictis, & blaſphemijs inſanæ multitudinis præſentis?
Ne quid deeſſet ludenti crudeliſſimè furori,
ſuffigunt crucibus alios duos
Hinc & hinc JESUM autem medium. Joan. 19.
Et cum iniquis reputatus eſt. *Marci.* 15.
Imò horum Princeps, dux, & coryphæus.
O Sol hæc aſpicis?
Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, & ſol obſcuratus eſt. Lucæ. 23.
O Terra!
Hæc ſuſtines, quæ non Abelis, ſed Divinum
ſanguinem ſuſcepiſti? *Gen.* 4.
Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. Matth. 27.
O Petræ molliores cordibus Judæorum, &
carnificum!
Cum magno clamore expirante Jesu
Quid mortui agitis?
Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Matth. 27.
Vita nempe mortua fuit, ut viverent
mortui.

Digitized by Google

O Anima!
Nunquid & tu ex fætenti ſcelerum tuorum prodibis monumento, & vives Chriſto?
Da receptæ vitæ indicia certa:
Cum Centurione, & ijs, qui cum eo erant, time, exclama,
Verè Filius Dei erat Iſte. Matth. 27.
Cum omni turba morti Chriſti præſente
Luca. 23.
percute pectus tuum, & revertere.
De vitio ad virtutem.
De morte ad vitam.
Quia reverſa eſt domum turba: nunquid finita tragœdia?
Abjerunt quidem ſpectatores:
Sed actorum crudelitas epilogum nondum agit.
Pontifices (quod dolebant) in viventem ſævire amplius non poterant: in mortuum igitur incitant militem.
Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.
Joan. 19.
Num ex hoc vulnere doluit Dominus?
Doluit, quia Mater præſens doluit.
S. Bonavent.
Unum erat cor Filij, & Mariæ,
Una anima.
Caro JEſu, caro erat Mariæ. *S. Aug.*
Fixit ergò lancea cor utrumque, & doluit utrum.

utrumque, cùm unum vulneravit.

At tibi O anima!

Hæc lancea quantum attulit emolumenti?
Miles non percuſſit, aut vulneravit latus,

ſed Aperuit.

Ut tibi vitæ oſtium panderetur.

S. Auguſt.

Hæc eſt porta Domini, juſti introibunt
in eam. *Pſal.* 117.

In hac die fons patuit domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris. *Zach.* 13.

Exivit Sanguis & Aqua.

Quare dele ò Fons Divine culpam, quam non feciſti, lava animam meam, quam tua imagine ſignaſti: munda cor & corpus, quæ redemiſti.

Hugo de S. Victore.

Aqua abluat, ſanguis redimat.
Vulnus in cor Dei me admittat,
Altiſſimum verè erit refugium meum.

Pſal. 90.

In æternum non commovebor.

Pſal. 111.

SENTENTIÆ.

D*Inumeraverunt omnia oſſa mea.* Pſal. 21. Quæ verba S. Bernardus ſic explicat. Dinumeraverunt omnia oſſa mea, ac ſi diceret:

Tantùm diſtentus ſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & à ſummo deorſum, ut corpore nudo in modum tympanicæ pellis diſtento facilè poſſent omnia oſſa mea dinumerari.

Aſſentitur B. Laurentius Juſtinianus his verbis: Tunc juxta vatis oraculum univerſa SS. Corporis oſſa numerabilia facta ſunt. Tunc tanquam texentium pannus redemptoris caro in ligno diſtenta eſt. Et velut brutorum pellis Chriſti membra ſunt clavis in cruce firmata.

Ne maneamus in nobis, ſed domicilium figamus in aperto latere Chriſti. Nam ſine illo nihil poſſumus; & licèt poſſemus, nollemus tamen aliquid ſine illo aggredi. Totum in illo, totum cum illo, totum propter illum habere nos oportet. Totum noſtrum ipſum eſt. *S. Franciſcus Saleſius.*

Agnoſce quam gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari: ſi enim non eſſent ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquid pro eorum remedio Filius DEI moreretur? *S. Bern. ſerm. 3. de Nativit.*

Sol obſcuratur, petræ ſciſſa ſunt &c. Solus homo non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur. *S. Hieron.*

Pater ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Non dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. *S. Aug. tract. 52. in S. Joan.* qui *ſerm. 223. de temp.* ſic eundem alloquitur. Quid vis? vindicari? vide pendentem, & tibi de ligno tanquam tribunali præcipientem: vide penden-

pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum facientem: vide pendentem ſi vindicari vis. Vindicari vis? vide pendentem, vide precantem. *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

Ferrum pertranſijt animam ejus &c. Patet arcanum cordis per foramina corporis: patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Quid in viſcera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis, & mitis, & multæ ſis miſericordiæ. *S. Bern. ſerm. 6. in Cantica.*

Benedictus, qui ut nidificare poſſem in foraminibus petræ, manus, pedes, & latus perforari ſibi tulit: & ſe mihi totum aperuit; ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abſcondito tabernaculi ſui. *Guerricus Abbas ſerm. 4. in Ramis Palm.*

Pone tibi latibulum in Crucifixo à facie timoris Domini; hoc eſt ab ipſo fuge ad Ipſum, à Judice ad Redemptorem, à tribunali ad crucem. Quin non ad ipſum tantum, ſed & in ipſum fuge. In foramina Petræ ingredere. *Idem loc. cit.*

Tremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado; fundatus enim ſum ſuper firmam petram, petra refugium herinaceis. Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur; quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus eſt propter

pter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Criſti morte ſalvetur? *S. Bern. ſerm. 53. in Cantica.*

Foderunt manus meas, & pedes meos. Pſal. 21. Quàm fuit doloribus immenſis correptus cùm grandis & obtuſus clavus vi multa per venas, nervos, & oſſicula, quæ in manibus concurrunt, ineffabili cum dolore adigeretur? Et quia obtuſus admodùm, & craſſus erat clavus, cutem ſimul attraxit per vulnus, quod totum implevit, & obſtruxit. *Taulerus de Paſſione Domini cap. 34.*

Tota ſpes mea in morte Domiini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium meum, ſalus, vita, & reſurrectio mea. Peccavi peccatum grande, & multorum mihi ſum conſcius delictorum; nec ſic deſpero, quoniam ubi ſuperabundaverunt delicta, ſuperabundavit & gratia. *S. Aug. in Manual. cap. 22.*

Tota ſcientia S. Bernardi fuit Crux Domini. Ejus hæc ſunt verba: Hæc mihi in ore frequentia, ſicut vos ſcitis, hæc in corde meo ſemper, ſicut Deus ſcit; hæc ſtylo meo admodùm familiaris, ſicut apparet; hæc mea ſublimis interim Philoſophia ſcire JEſum, & hunc crucifixum

Imitatus eſt S. Paulum, qui 1. *Cor.* 2. Nihil unquam arbitratus ſum me ſcire niſi JEſum, & hunc crucifixum.

Quàm ſpe ſua exciderunt Judæi, qui (ut ait Chryſoſtomus *Hom. 2. in ep. ad Philipp.*) ſtudio morte crucis Chriſtum interimere ſategerunt, ut probroſum quoque efficerent: ut etſi nemo

pro-

proptereà abſtineret, quòd occiſus eſſet, abſtineret tamen vel ideò, quòd hoc pacto occiſus eſſet. Sed decepti ſunt. Clamat magnus Apoſtolus Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini Noſtri JEſu Chriſti. *ad Galatas* 6.

Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplectendum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus in cruce. *S. Aug. lib. de Virgin.*

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Joan. 19. Et ecce aquæ redundantes à latere dextro. *Ezech.* 47. in quæ verba *S. Bernardus ſerm.* 7. *in Pſalm.* 90. Dextrum ſibi propter me paſſus eſt latus fodi, quod videlicet nonniſi de dextera mihi propinare vellet, nonniſi in dextera locum refugij præparare juxta illud quod ab Ezechiele prænuntiatum. *Et ecce aquæ redundantes à latere dextero.*

Dominici corporis de latere dextero aquæ viventes, aquæ ſalutares egreſſæ ſunt. *Rupertus in* 3. *Reg. cap.* 6.

Accedamus cum fiducia ad Chriſti latus, & in illa profunditate benignitatis immenſæ totaliter immergamur. Accedamus cum fiducia ad Chriſti latus, & intremus ipſum. Accedamus chariſſimi, accedamus & moriamur cum ipſo. Accedamus ad latus ejus, & ſugamus ſanguinem ejus, quia hoc beneplacitum ejus eſt. Non faciamus illum fruſtra talia pati, non permittamus hunc ſanguinem effluere ſuper terram.

Fiant

Fiant corda noſtra receptacula, & vaſa ſanguinis Domini Noſtri JESU, & ejus inebriati doloribus dicamus. Nobis autem abſit gloriari niſi in Cruce D. N. JEſu Chriſti Crucifixi. *S. Bonavent. ſtimul. Div. Amor. part.* 1. *cap.* 13.

Finio cum magno Crucis Amatore S. Franciſco Xaverio, & cum eo crucem amplector ſupplex, ac quibus poſſum totis animi viribus exclamo.

Tu tu mi JEſu totum me
amplexus es in cruce;
Tuliſti clavos, lanceam,
multámque ignominiam.
Innumeros dolores
ſudores & angores,
ac mortem. Et hæc propter me,
ac pro me peccatore.

HISTORIÆ.

S. Anſelmus in dialogo de Paſſione differens de Chriſti Crucifixione cum Maria Deipara tale ab ea reſponſum accepit. Cùm veniſſent ad locum Calvariæ ignominioſiſſimum, ubi canes & alia morticina projiciebantur; nudaverunt JEſum, unicum Filium meum totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta fui: tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis ſuis. *Ita Dialog. Anſelmi.* B. Brigitta de hac nuditate Chriſti ſic ſcribit *lib.* 1. *Revel. cap.* 10. Stante autem Filio ſicut natus erat, unus accurrens apportavit ſibi velamen, quo ipſe exultans intimè

vela-

velabat verenda ſua. Ita ſancta cum B. Anſelmo citata *à Mancino de Paſſione Dom. lib. 4. diſſert. 8.*

S. Brigittæ *lib. 1. Revel. cap. 10. lib. 4. cap. 70. lib. 7. cap. 15. 25.* revelatum eſt inter alia, quòd illa extenſio Chriſti in cruce fuerit adeò dira, ut venæ ac nervi diſrupti fuerint: factum verò illud funium adminiculo, quo tum uſi ſunt carnifices, poſtquam affixa cruci dextera, viderunt præparatum ſiniſtræ manui foramen longius poſitum, quàm ut ille ſine violenta diſtenſione pertingere eò poſſet. Utrumque Joannes Eckius *tract de Paſſ. art. 5. conſid. 4.* hiſce verbis expreſſit. Manus altera obtuſo clavo, ut gravior eſſet dolor, cruci affixa eſt; altera verò quando jam foramen attingere non poterat, ſic extenſa eſt, ut venæ dirumperentur. *Ita ille.* Hinc dinumeraverunt omnia oſſa mea. *Pſal. 21.* In ea editione, qua utuntur Maronitæ, legitur ululaverunt omnia oſſa mea, quaſi denotetur ſtridor oſſium tunc palam exauditus, cùm membra conjecto in crucem Chriſto atrocitate immani fuêre deducta in adverſas partes.

Rurſum S. Brigittæ retulit Beatiſſima Virgo ſic manus Chriſti depoſiti de cruce diriguiſſe, ut non poſſent deponi niſi circa umbilicum; nec brachia flecti, & componi potuiſſe ſupra pectus, ſed ventrem; nec genua extendi, ſed eminuiſſe, ut in ipſa cruce obriguerant.

Devotæ cuidam perſonæ referente Joanne Landſpergio *de Paſſ. exemp. 27. lit. E.* Divinitus revelatũ fuit, tam gratum fore Domino, ſi in extenſionis

ſtitêre, & cum illo loquentes auditæ fuerunt. Delatus eſt ergo ad ſuperiorem, quòd neſcio quas mulieres in cubiculum admiſiſſet. Id cùm Petrus non negaret, & magnum ſe peccatorem faſſus cœleſtes illas hoſpites ſilentio tegeret; ad Eſinum cœnobium pœnitentiæ cauſa relegatus eſt. Ibi cùm nocte quadam in templo coram Crucifixi imagine ſuum dedecus ſecum triſtis animo agitaret & cum Chriſto amicè quereretur dicens: *Quare bone JEſu permittis, ut tanta ignominia ſervus tuus innocens afficiatur*? eundem audivit de cruce reſpondentem: *Et ego quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobrijs, & morte crucis turpiſſima condemnarer? ex me diſce opprobria & ignominam patienter ferre.* Ribad. 29. Aprilis. Bzovius anno 1227.

Cuidam de nocte quadam Chriſtus in cruce aſpectabilis fuit, humi depoſitus, velóque tenui, ac perſpicuo contectus. Viſus tunc, ſibi fuerat dormiens è lecto ſurgere, velúmque retegere, ut venerabundus ſacra Domini vulnera deoſcularetur. Verùm refixa à cruce manu Salvator vultu indignabundo hominem ſubmovit, neque eum ad ſacrorum vulnerum oſculum, aut amplexum admiſit; quia proximo ſuo iratus verbo amico, & affectu fuerat dedignatus. *Cæſarius lib. de tentat. cap. 29.*

Stephanus Abbas ſuggerebat hoc monitum tribus junioribus Monachis, qui Deo ſervire cupientes aliquod ab eo contra paſſionum vehementiam remedium poſtulabant; hoc eis dedit

reſponſum, *quod habeo, hoc dico vobis, ego die noctúque nihil aliud aſpicio, quàm Dominum JEſum Chriſtum in cruce pendentem.* Joannes Moſcus in Prato ſpirit.

Atque hoc fecit ſine dubio magno ſuo fructu. Nam Chriſtus ipſemet S. Gertrudem *apud Bloſium in Monil. ſpirit. cap.* 1. his allocutus eſt, *Filia, qui cum devotione me crucifixum aſpicit in vita, ego illum benigno oculo aſpiciam in morte.* Imò ut citatus Bloſius ait: *Quoties quis intimo devotionis affectu Chriſti è cruce pendentis imaginem contemplatur, toties Chriſtum amico intuitu, &*, ut Bernardus ait, *oculo amoroſo viciſſim illum contueri, atque reſpicere.*

Eadem divinitùs edocta fuit, quòd homo attendens imaginem crucifixi in corde ſuo cenſere debeat Chriſtum Dominum ſibi blanda voce dicere: *En vides quomodo cauſa tui amoris pependerim in cruce nudus, deſpectus, totóque corpore vulneratus, ac per ſingula membra diſtentus; & adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur; ut ſi saluti tuæ expediret, alitérque æternam felicitatem conſequi non poſſes, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo.*

Idem Chriſtus Dominus ſuam dilectionem S. Brigittæ his explicavit, *Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis, atque incomprehenſibilis eſt, ſicut erat tempore Paſſionis meæ: & ſi fieri poſſet, ut toties morerer, quot ſunt animæ in inferno; promptiſſima voluntate, & perfectiſſima charitate corpus meum traderem, eandémque Paſſionem, & mortem*

Digitized by Google

pro qualibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus Bloſius citatus.

Carolus Flandriæ Marchio in honorem quinque vulnerum ſui Salvatoris quotidie quinque pauperes recens veſtiebat, qui per annum mille octingentos viginti quinque efficiunt: *Molanus in ſanctis Belgicis* 20. *Martij*.

Quàm ingrati ſint peccatores & impij in Chriſtum patientem docet ipſemet, cum quadam nocte S. Brigittæ apparuit, quaſi ea rurſum hora crucifixus, atque hæc dixit: *En ut excruciatus ſum*? ille exiſtimans eadem hora id factum, ait ad eum, *Ecquis mi JEſu tam durus ac ſævus in te fuit*? cui Chriſtus, *illi, qui me contemnentes peccatis ſuis offendunt, & charitatem meam negligunt, rurſum me crucifigunt*. Surius.

B. Margaritam de Cortona Chriſtus de cruce his eſt allocutus, *plures Judæi ſunt, qui me hoc tempore crucifigunt, quàm fuerint in die Paſſionis meæ.* Vita 22. Febr. apud Bollandum.

S. Laurentius Valerianum Imp. minantem, & monſtrantem ignes, rotas, ſcorpiones, beſtias his eſt allocutus. *Hanc menſam appeto, hanc ſitio: Non eſt famelicus qui eſcam, nec ſitiens, qui potum deſiderat tam avidè, quam ego omnia hæc tormenta ambio, & ſitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Chriſto meo.* Corn. in Lucæ 12. Verſ. 50.

FRUCTUS.

PRimus. *Chriſtus myrrhatum vinum ſolum guſtavit teſte S. Matthæo.* Modeſtiſſime igitur calicem illum amarum propinavit, ut conſortes crucis ſimus quoque paradiſi, & regni participes; ſocij pugnæ & victoriæ; amici in lacrymis, & in gaudijs. Simus memores illius Jeremiæ Thren. 4. *Ad te quoque perveniet calix.* Reſpondeamus ergò cum Regio vate Pſal. 115. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Si volumus inter amicos Chriſti & cohærede s numerari, dicamus cum B. Paulo, *gaudeo in paſſionibus, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti,* ad Coloſſ. 1. Ergò paremus nos, ad quos (nil certius) perveniet calix. Chriſti manus (ò quàm amica, fraterna, paterna!) nobis eum porrigit; nefas eſt eum recuſare: *Calicem Domini affectanter bibe, ſi amicus ejus eſſe, & partem cum eo habere deſideras.* Thomas de Kempis lib. 2. cap. 12.

Secundus. Robertus Aquinas cenſet Chriſtum nudum in monte Calvariæ cruentis genibus flexis, manibus, oculíſque in cœlum elatis Patri ſe denuò, ſicut in principio vitæ, obtuliſſe in hunc modum, *ſuſcipe mi Pater meipſum in Sacrificium pro humani generis ſalute; ita Pater, quia ſic placitum eſt ante te, hanc etiam crucem libenter amplectar.* Has obſecro voces altius imprimamus animo; ita par eſt nos loqui cum Chriſto in rebus adverſis omnibus. *Ita Pater, quia ſic pla-*

Digitized by Google

placitum eſt ante te, hanc etiam crucem libenter amplectar.

Tertius. Chriſtus pendet in cruce, in aëre ſublimis; *ergò ſurſum oculos, ſurſum levemus & corda ad amorem noſtrum*: qui vel ideò etiam in cruce mori voluit, ut oculos noſtros, ad fluxa terræ dejectos ad ſe erigeret, & aſſuefaceret ad altiora ſpectanda, verúmque iter ad cælum monſtraret. Pendet in aëre ſpectaculum, ut cernatur ab omnibus, & toti demonſtret orbi, neque ſe majora poſſe facere, ac pati, neque nos majora poſſe petere. Probat omnibus ſe totum nobis dediſſe, ut nos & ipſi redderemus totos. Reciprocus eſt amor. Deus, qui amat nos, vult amari.

Quartus. *Crucem Chriſti venerari, & amare.* P. Conſalvus Silveria Martyr è Soc. JEſu crucem quàm alto defixam habebat in animo, præcipuo quoque honore palam colebat; eam quocunque in cubiculo habitabat, quaternis omninò parietibus appendebat, ut nunquam ea eſſet extra conſpectum. *Allegambe in mort. illuſt. Soc. pag.* 35. Optimè S. Bernardus in form. vitæ, *ſit tibi JEſus ſemper in corde, & anima, crucifixi imago ab animo tuo non recedat; ſit tibi cibus & potus; dulcedo & conſolatio tua, mel tuum, deſiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua; vita & mors, & reſurrectio tua.* Facit quoque ad venerationem Crucis Dominicæ plurimum; ſignum ſanctæ Crucis nunquam formare, & ſe illo ſignare ſine inſigni reverentia, & devotione exemplo P. Bal-

 thaſa-

thaſaris Alvarez magnæ ſanctitatis viri, qui ſe ſemper ſancta cruce non properans, ſed magno pietatis ſtudio ſignare fuit ſolitus.

Quintus. *Cruce Chriſti dulceſcit crux noſtra.* Magnus Indiarum Apoſtolus *Epiſtolarum vet. lib.* 1. *Epiſt.* 1. ſcribit. *Equidem mihi perſuadeo, Crucis Chriſti Domini amatores vitam ærumnis exercitam beatam ducere.* Didicit hoc à S. Patre ſuo Ignatio, qui ſæpius repetebat: *In ſolo Chriſto, & in Cruce Chriſti reperitur vera lætitia.* Hinc illa generoſa vota Martyris Anglicani P. Henrici Morſæi è Societ. Jeſu. *Venite vincula, crates, tormenta, laniena mortis venite, Ieſu Crucifixi amore placetis.* Vita. S. Lutgardæ ad Eccleſiæ fores apparuit Chriſtus Crucifixus totus ſanguine perfuſus, qui laxato è cruce brachio eam complexus plagæ ſui lateris appreſſit; quin & pro quavis ærumna ſua, moleſtiâque abſtergenda hoc illi unicum fuit levamen, & ſolatium, ut Chriſti Crucifixi reſpiceret imaginem: hoc enim ſolo ſpectaculo recreata claudebat oculos, & in extaſin rapta Chriſtum patulúmque ejus latus intuebatur, atque cuivis ita dolori ſtatim medebatur. *Vita.*

Sextum indicat Vincentius Carafa Soc. Jeſu Generalis, cùm *Vitæ lib.* 2. *cap.* 13. exclamat. *O bona Crux! ſi capis hoc ſapis. Breviſſima via perveniendi ad apicem virtutum, præcipuè charitatis via eſt, qua itur ad montem Calvariæ, ut ibi crucifigamur. Si cui multa Deus immittit, quæ patiatur, ſignum eſt, quòd eum valdè amet, & compendio ſanctum facere velit.*

HEB-

HEBDOMAS IV.

LIBELLI SPIRITUALIUM EXERCITIORUM S. PATRIS IGNATII.

PRÆFATIO.

Hujus ſcopus videtur reſpondere viæ unitivæ: tota enim exercetur in amore Dei, & deſiderio æternitatis; cujus tanquam exemplar proponitur Reſurrectio Chriſti, eáque gaudia, quæ eam conſecuta ſunt. Ludovic. de Palma in praxi, & declaratione viæ ſpiritualis pag. 293. Directorium Libelli Exercitiorum cap. 36. num. 1. quod cap. 11. num. 2. *hæc habet.* Quarta demùm eſt de Reſurrectione Chriſti, Ejúsque glorioſis apparitionibus, beneficijs Divinis, & ſimilibus, quæ pertinent ad amorem Dei in nobis excitandum. *Ita quoque* Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 6. num. 6.

Itaque directè ad morum emendationem, aut profectum non ordinatur; ſed ad ſpem & amorem excitandum rerum æternarum, & ad participandum aliquo modo in hac vita æternas delicias in aula mentis vacando Divinæ ſapientiæ, *ut ſerm. 8. de Jejunio S. Leo dixit. Hinc in fine hujus hebdomadæ præſcribitur contemplatio ad amorem ſpiritualem in*

nobis excitandum, in quo via unitiva quieſcit. Cujus finis eſt juxta citatum Ludovicum Palmam primus, clariorem Dei cognitionem, & amorem conſequi; Secundus perfectior earum virtutum, quæ ſequuntur charitatem, exercitatio.

Ne verò quis exiſtimet (ut benè monet Chriſtianus Mayr part. 3. Meditat.) *nonniſi affectus viæ unitivæ gaudij ſcilicet, gratiarum actionis, ac laudis &c. congruentes eſſe eliciendos; ſciendum eſt poſſe etiam omnis generis affectus viæ purgativæ, & illuminativæ proprios ex iſdem materijs ſat convenienter elici; delabendo ſcilicet ex affectu amoris, aut gratitudinis, ſimilive alio ad affectus compunctionis, & emendationis; ſimul atque ad propoſita practica. v. g. ex amore Dei, & puritatis conſcientiæ Deo gratiſſimæ cavendi has vel illas imperfectiones, mortificandi has vel illas cupiditates &c. Similiter ad affectus viæ illuminativæ proprios, & propoſita practica conandi proficere v. g. in humilitate, obedientia, caſtitate, patientia, & ſimilibus, quas Deus maximè à nobis requirit in compenſationem infinitæ ſuæ erga nos charitatis, benignitatis, liberalitatis.*

Quare unusquisque affectus ſibi maximè convenientes ex meditationibus hujus hebdomadæ conetur eruere, eóſque modo perfectiſſimo, videlicet ex motivo puri amoris Divini eliciat; ut hâc ratione ſe viæ unitivæ magis conformet, atque utatur medio ad augendum meritum, atque ad ſolidè in omni perfectione proficiendum efficaciſſimo.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO I.

DESCENSUS IN LIMBUM.

Fortium dividet ſpolia pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam. Iſaiæ 53.

O ſanctiſſime Jſaia
Propheta, & Evangeliſta beatiſſime!
Ut hiſtoricus deſcripſiſti patientem Chriſtum:
Ut Vates ſacer eundem refers
glorioſum.
Poſuit pro peccato (totius mundi) animam ſuam.
Iſaiæ 53.
Laboravit anima ejus uſque ad mortem, imò
ante mortem in horto triſtis uſque ad
mortem.
Tradidit denique in mortem animam ſuam,
Et cum ſceleratis reputatus eſt. *Idem.*
Impleta ſunt omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, Prophetis, & Pſalmis de eo. *Luc. 24.*
Conſummatum eſt, debellatum eſt.
Vicit Leo de tribu Juda. *Apoc. 5.*
Jo triumphe!
Debentur ergò victori ſpolia?
Fortium dividet ſpolia. *Iſaiæ 53.*
Debetur laboranti refectio?

Videbit, & ſaturabitur, juſtificabit ſervus meus multos. *Iſaiæ 53.*

O refectio gratiſſima!

Tradidit animam ſuam in mortem. *Iſaiæ 53.*

Granum frumenti in terram jacens mortuum eſt. *Joann.* 12

Videbit igitur ſemen longævum. Diſpertiam ei plurimos. *Iſaiæ 53.*

Terra, quæ hoc recepit granum, dabit fructum ſuum centeſimum, milleſimum. *Marc.* 13.

Et ipſe erit primogenitus in multis fratribus. *ad Rom.* 8.

Primogenitus omnis creaturæ. *ad Coloſſ.* 1.

O Fructus hujus pugnæ ſuaviſſimi!

O Victoria feliciſſima! beatiſſima!

Gaudeamus, exultemus, applaudamus Triumphatori,

Fortiſſimo, Maximo, Optimo, Glorioſiſſimo.

Anima Chriſti beatiſſima

Egreſſa ſuo ſanctiſſimo corpore quanta proceſſit gloria?

Divinitatem diſpenſavit omnem,

Majeſtatem explicavit omnem,

Claritate Fulſit omni.

Quàm admirabilis, veneranda, adoranda omnibus ſanctis Angelis?

Quàm formidanda, tremenda, & terribilis omnibus apoſtatis Angelis?

Nunc ſerpens antique ſentis, doles contritum Caput tuum. *Gen.* 3.

Nunc Draco magne rapitur ex unguibus tuis. *Apoc.* 12. Chiro-

Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & affigitur cruci. Expoliat victor principatus, & poteſtates tuas; traducit confidenter palam triumphans in ſemetipſo. *Ad Coloſſ. 2.*

Sed ô victor glorioſiſſime!

Captivi ſuſpirant vincti in domo carceris, *Iſa* 42.
Illuminare his, qui in tenebris ſedent. *Luc.* 1.
Succurram, & penetrabo omnes partes inferiores terræ, & inſpiciam dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. *Eccl.* 24.

Deſcendit igitur dignatione clementiſſima cum magna gloria Dominator Dominus comitantibus, & præeuntibus Angelis, & imperantibus poteſtatibus infernalibus.

Attollite portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ. *Pſal.* 23.

Mox contritæ ſunt portæ æreæ,
Vectes ferrei confracti. *Pſal.* 106.

Tenebræ omnes fuère depulſæ, cùm noctem pepulit Lux mundi. *Joann.* 8.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in Regione umbræ mortis lux orta eſt, *Iſa.* 2.

O quanta Lux!
Quàm optata! quàm ſerena! quàm amabilis! Totam ſe dilectis ſuis indulſit:
Et ſuæ Divinitatis viſione,
Immixto amore, ac gaudio beatifico impertivit.

Verbo. Lim.

Limbum convertit in cœlum.
Quis explicet Jeſu ſuorum amantiſſimi
Tanti Redemptoris,
Gaudium, lætitiam, & exultationem?
Clamat cum Joſepho. *Gen.* 41.
Oblivisci me fecit Deus omnium laborum
meorum.
Lætatus eſt plus, quàm illi, qui lætantur in meſſe,
qui exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia. *Iſa.* 9.
Ut ſingulas Sanctorum horum animas ineffabili
amplexus eſt amore! ut ſolatus abſterſit omnem lacrymam ab oculis
eorum! *Apoc.* 21.
Luctus ultra non erit, neque clamor, neque dolor.
Ibidem.
Quàm verè tunc audita eſt
Vox exultationis, vox ſalutis in tabernaculis Juſtorum. *Pſal.* 117.
O quanta
Subiniſſione, reverentia, pietate, lætitia exceperunt, adorârunt
Servatorem ſuum tam exoptatum, benignum,
miſericordem, & pro ſe *Crucifixum*?
Quas egêre gratias protoplaſti parentes noſtri laborum, dolorum, & mortis
cauſa?
Sed felix agnita eſt culpa, quæ tantum meruit
habere Redemptorem.
Quis aliorum Sanctorum referat gratias, ſtudia?
Succumbit calamus; mens, ſi poteſt, penetret.

Quis

Digitized by Google

Quis verò explicet gratulationes, applauſus, & gaudia Sanctorum Angelorum?

Cùm viderunt jamjam reparari ruinas civitatis ſuæ ſupernæ,

Suorum Clientum beatitatem,

Luciferi hoſtis capitaliſſimi ruinam.

Quanto affectu infinitam Dei bonitatem, ſapientiam, miſericordiam, potentiam prædicârunt?

His lingua, & penna enarrendis non ſufficiunt impares tanto argumento.

Mens cœleſtibus juncta mentibus admiretur, clamet cum his

Sedenti in throno, & Agno, Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. (*Apoc.* 5.

O JESU,

Redemptor benigniſſime,

Viſita quoque animam meam creatam à Te in ſalutari tuo. *Pſal.* 105.

Emitte in ſanguine teſtamenti tui vinctum tuum de lacu, in quo non eſt aqua. *Zach.* 9.

Inſpice dormientem me ſopore vitiorum gravi:

Illumina ſperantem in te, qui mortuus es pro me. *Eccl.* 24.

Solve vinctum in mendicitate, & ferro. *Pſ.* 106.

Pro quo ligatus, & vinctus fuiſti.

Ab hoſte maligno eripe me,

Jube me venire ad te,

Ut cum Sanctis tuis laudem te. *S. Ignat.*

Et cantem miſericordias tuas Domine in ſæcula ſæculorum *Pſal.* 131.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIÆ.

ATtollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales : & introibit Rex gloriæ. *Pſal.* 23. In quæ verba S. Ambroſius.

Triumphatoris æterni manubias intuentes, quaſi eum, quem emiſerant cæli portæ, capere non poſſent, licet ejus nunquam capiant majeſtatem, majorem viam quærebant revertenti.

Mors omnium electorum caput furibunda pervaſit. Pervaſit utique immunem, ſed non immunis evaſit. Impegit in vitam mors, & incluſit intra ſe vita mortem, & abſorpta eſt mors à vita. Hamum devorans inde teneri cæpit, unde viſa eſt tenuiſſe. *S. Bernard. in ſerm. de tranſitu S. Malachiæ.*

Devoravit Chriſtum mors, ſed ubi devoravit, cognovit, quem devoravit. Devoravit vitam, devorata eſt vita. Devoravit unum cum omnibus, perdidit propter unum omnes. Quapropter etiam velut vilis contemnitur. Non enim amplius ut leonem timemus, ſed veluti leonis pellem conculcamus. *S. Baſilius adverſus calumniátores vitæ monaſticæ.*

Devoraſti, & devorata es. Gratias tibi Chriſte Salvator, qui tam potentem adverſarium noſtrum dum occideres, occidiſti. *S. Hieronymus in Epitaph. Nepot.*

O vita mors mortis ! bono animo eſtote ; morietur & in vobis. Quod præceſſit in capite, reddetur & in membris. Ubi eſt victoria

Digitized by Google

ria tua? ubi eſt ſtimulus tuus? nonne confregit illum Dominus meus? O mors quando Domino meo hæſiſti, tunc & mihi perijſti! *S. Aug. ſerm. 5. ad frat.*

Hodie Dominus vectes ferreos confregit. Non dixit, *aperuit* portas æreas, ſed *confregit*, ut inutilis dein carcer fiat. Non *abſtulit* vectes, ſed *contrivit*, ut cuſtodia deinceps fragilis, infirmáque reddatur; ubi neque janua, neque vectis eſt, & licet quis intret, non tenetur. *S. Chryſoſt. hom. in cœnam, & crucem.*

Tu quoque in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. *Zach. 9.* qui tunc cantaverunt Domino glorioſè equum enim & aſcenſorem dejecit in mare. *Exod. 15.* Coram Servatore ſuo proſtrati ingeminarunt Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & beatitudinem. *Apoc. 5.*

FRUCTUS.

PRimus. *Gratulare Chriſto Domino, quia pro eo, quo laboravit anima eius, videbit, & ſaturabitur; ideò diſpertiet plurimos, & fortium dividet ſpolia pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam.* Iſaiæ 53. unde cùm S. Joſeph. *Gen.* 41. *oblivisci me fecit Deus laborum meorum*; cùm ſe tot millibus filiorum dilectiſſimorum circumdatum vidit. Gratulare anima mea Paſtori, qui

qui tot oves invenit: gratulare animæ Chriſti vicinæ, imò cognatæ, & ſorori tuæ, quæ tot drachmas amiſſas reperit.

Secundus. *Gratulare quoque omnibus SS. Patribus, & animabus Juſtis*; quia auditur nunc poſt tot ardentiſſima ſuſpiria: *Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis Juſtorum*. Pſal. 117. quia *populus, qui ambulabat* per tot ſæcula *in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in umbra mortis lux orta eſt*. Iſaiæ 9. Lux immenſa, Deus ipſe, Lumen de Lumine, Lux mundi, & ſplendor paternæ gloriæ.

Tertius. *Gratias age Redemptori* miſericordiſſimo & benigniſſimo, qui ne momento quidem voluit differre fidelium, & amicorum ſuorum dilectas animas, quamprimùm perſoluto Redemptionis pretio licuit clementiſſimè viſitare, ſolari, & æterna gloria remunerari. Contra mirare eius patientem, & longanimem juſtitiam, quæ impios Deicidas ob injuſtiſſimam necem ſibi illatam per annos quadraginta diſtulit punire. O quàm paratior eſt Dominus (*verè Dominus miſerationum*. 2. Eſd. 9. & Iſaiæ 63.) ad miſerandum, quàm ad puniendum? Quid tu? quoties *ſol occidit ſuper iracundiam*? ad Epheſ. 4.

CON-

CONSIDERATIO II.

DE RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI.

Surrexit, non eſt hic. Marci. 16.

Anima Chriſti ſanctiſſima manſit in limbo horis ferè quadraginta.
O mora!
Etſi fuerit tot horarum.
Ob gaudiorum affluentiam, & ubertatem conſolationum.
Vix momentum!
O Anima!
Quæ putas hoc longo momento fuiſſe acta? & quanti momenti?
Excepta eſt intereà pij latronis anima,
Primum, & gratiſſimum unguibus Draconis,
Fortis illius, ereptum ſpolium. *Lucæ* 11.
O quanto victoris gaudio!
Quanta Angelorum, & ſanctiſſimi cætus gratulatione!
O anima!
Credisne in tanto triumpho, tanto jubilo, & feſto, non graviſam fuiſſe viciniam?
Eam interim luxiſſe, gemuiſſe, arſiſſe quis ſibi perſuadeat?

Herodis eſt feſto Natali, & conviviali lætitia
Joannem in carcere affligere.

Marci 6.

Regum clementium eſt nato Principe, vel Rege
triumphante aperire carceres, captivos
dimittere. *Apoc. 19.*

Triumphat ille, qui Rex regum eſt. Cui data eſt
omnis poteſtas in cælo, & in
terra. *Marci. 28.*

Bullit ſanguis pretioſiſſimus *in redemptionem plebis Iſrael*, & ebullit. *Lucæ 1.*

Annus Jubilæus eſt primus, indulgentiſſimus,
Et aureo hoc die, ac ſæculo.

Animæ in purgantibus Flammis detentæ captivæ
(O carcerem, qui omnem movet commiſerationem.)
Ab illo, qui propter animas ſanguini ſuo non
pepercit.

Sint præteritæ? neglectæ? Ardeant?
Circumfluente immenſo miſericordiarum mari
Hæ animæ ſitiant?
Divina Bonitate ſe totam ſolatio ſuorum impendente.
Animæ Deo dilectæ nec guttâ recreentur?
O gutta Sanguinis vel Unica!
Omnibus maculis eluendis,
Omnibus flammis extinguendis,
Omni felicitati obtinendæ
Sufficientiſſima.
Verùm gemit Columba Mariana, Materna;

Exurge

Exurge gloria mea, exurge pſalterium, &
cithara. *Pſal.* 107.

Caro in ſuper Divina *requieſcit iu Spe.*
Pſal. 15.

Nec ea differri poteſt, cùm Ipſa Veritas dixerit,
Poſt tres dies reſurgam. *Matth.* 27.

Hi dies potius ſunt contrahendi,
Ut & maternis votis, & debito SS. Corporis, ſatisfiat quamprimum.

Egreditur ergò anima glorioſiſſima limbo.
Sed quo comitatu?
Explicari non poteſt, quia comprehendi non poteſt.
Jacob iſte feliciſſimus
In baculo crucis tranſivit Jordanem ſolus.
Gen. 32.

Ex torrente in via bibit ſolus. *Pſal.* 109.
Torcular calcavit ſolus, & non erat vir cum eo. *Iſaia.* 63.

Et nunc cum duabus turmis regreditur.
Gen. 32.

O quibus!
Omnium Sanctorum legis veteris, & Angelorum omnium.
O Omnium! O Sanctorum! O Angelorum!
Quis omnium, & horum omnium ineat numerum?
Majeſtatem explicet? pompam, & plauſum exprimat?
Venit Triumphator ad montem Calvariæ,

 Palæ-

Palæſtram omnium virtutum Divino Pugile
inclytam.

Sparſi jacebant hinc inde pili ſacri Capitis:
Rubebant effuſſæ Divini ſanguinis guttæ:
Hiabat foſſa, quæ ſacram Crucem receperat:
Ubique pluſquàm barbaram crudelitatem loquebantur relicta Impietatis ſævæ veſtigia.

Quis ſanctorum animarum hæc videntium
fuerit ſenſus?

Quæ commiſeratio? Quæ actio gratiarum?
Progreſſa eſt Anima, & ſubivit ſepulchrum.
Suum fidiſſimum, & amiciſſimum commilitonem remuneratura.

E ſepulchro cælum fecit, tumulum vertit
in paradiſum.

Aderat Deus, aderant Sancti, aderant Angeli.
Quid in cælo amplius requiras?
Conſpexêre Sancti Corporis Sanctiſſimi vulnera,
& plurima, & Maxima:
Faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, 1. *Pet.* 1.
lividam, deformatam.
Evulſam Divini Nazaræi Cæſariem,
Manus, pedéſque perforatos, latus apertum,
Corpus omne conciſum, unum vulnus.
Et quidem Corpus hæc omnia propter ipſas
Paſſum.

O quis exprimat
Divorum Cælitum affectus ardentiſſimos?
flagrantiſſimos?
Ut admirati ſunt? ut ſunt venerati?

Oſcula

Digitized by Google

Oſcula vulneribus devotiſſimè fixa quis numeret?

Ut ſupplices acciderunt pedibus? ſubmiſerunt caput?

Ut cum Angelis cecinêre

Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem. *Apoc. 5.*

Intereà Anima Chriſti

O quanto ſenſu! gaudio! affectu! dulcedine! Inexplicabili

Ingreſſa eſt Corpus ſuum:

Quàm dilectum!

Rurſum univit ſibi fœdere nunquam rumpendo, quanto Amore?

In momento, in ictu oculi Corpus ſurrexit Glorioſiſſimum:

O mutatio dexteræ Excelſi!

Surrexit ſole noſtro fulgentius, imò ſolibus mille, mille, mille.

Venuſtiſſimum, in quo nullus livor, nulla macula;

Speciosum præ filijs hominum, præ mille millibus Angelorum; cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. *Pſal. 44.*

Corpus ſubtiliſſimum, cui omnes rupes perviæ ſunt.

Immortale, mors ultra non dominabitur ei. *ad Rom. 6.*

Ubi mors Victoria tua? 1. *ad Cor*. 15.
Vulnera tamen quinque amantiſſimus JESUS retinuit in pugna cruenta inflicta;
Sed ad triumphum, ſed ad gloriam ſempiternam, ad ſolatium piorum, ſupplicium impiorum.
Hæc ut ſidera fulgent in cælo hoc empyreo fulgentiſſima;
Ut gemmæ radiant in auro ſplendidiſſimæ, ſpes & aſylum pænitentium, ſalutis arrha,
Gaudium Cælitum, deliciæ Angelorum,
Fontes miſerationum, portus naufragorum.
O Anima!
Quis ad hoc ſpectaculum beatarum mentium Fuit animus?
Sed quî poteris tu explicare, cùm ad tantam lucem hebes ſis, noctua ad ſolem?
In cor hominis non aſcendit, 1. *Cor*. 2.
Quæ DEUS præparavit diligentibus ſe.
Quid igitur Filio ſuo?
Fatere imbecillitatem, & infantiam tuam;
Solummodo lauda victorem, gratulare, exulta; age gratias, & tuos pios affectus ſanctorum, & Angelorum affectibus junge;
Conſortium addet pretium.
Nec moræ ulterioris in ſepulchro locus eſt.
Surrexit, non eſt hic. Marci. 16.
Cum properante ad Matrem (Filium ſuum expectantem) tu quoque propera,
Et te ad Nova ſpectanda gaudia diſpone.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIÆ.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. *Pſal.* 67. In quem, S. Auguſt. Exurgat Deus, reſurgat Chriſtus: jam factum eſt, reſurrexit Chriſtus, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, & diſperſi ſunt inimici ejus per omnes gentes; ſicut deficit fumus, deficiunt.

Reſurrectio Domini non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis argumento conſumpta eſt ſubſtantia. Qualitas tranſijt, natura non defecit; & factum eſt corpus impaſſibile, quod potuit crucifigi, factum eſt immortale, quod potuit occidi: factum eſt incorruptibile, quod potuit vulnerari. *S. Leo ſer. de Reſurrect. Dom.*

Reſurrexit homo, quoniam mortuus homo, & reſuſcitatus homo, ſed reſuſcitans Deus; tunc ſecundum carnem homo, nunc per omnia Deus. *S. Ambroſ. in* 2. *Cor.* 5. Ut nempe Chriſtus ex duabus exiſtens ſubſtantijs Divinitate ſcilicet, & carne totus videatur Deus, & ſecundùm nihil homo, ut & ipſa ſit per eſſentiam, & non ipſa per gloriam. *Ut cit. ait S. Doctor.*

Abſorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio Deificata, *S. Bernard.* Cujus enim caro ſeminata eſt in morte, refloruit poſt reſurrectionem. *Idem lib. de diligendo Deo.*

Corruptionem in incorruptionem mutavit, & mortalitatem immortalitatis traxit ad gloriam. *S. Chryſoſt.*

Dominus regnavit, decorem induit, induit fortitudinem, *Pſal.* 92. in quem S. Auguſtinus Dominus regnavit. Ille, qui ſtetit ante judicem; ille, qui alapas accepit; ille, qui flagellatus eſt; ille, qui conſputus eſt; ille, qui ſpinis coronatus eſt; ille, qui in ligno ſuſpenſus eſt; ille, cui in ligno pendenti inſultatum eſt; ille, qui in cruce mortuus eſt; ille, qui ſepultus eſt; ille reſurrexit. Dominus, regnavit. Sæviant quantum poſſunt: quid ſunt facturi Regi Regnorum? Domino omnium Regum? Creatori omnium ſæculorum?

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? *Zach.* 13. Dominus ſignum perpetis victoriæ vulnerum cicatrices cælo inferre maluit, quàm abolere. *Ven. Beda in cap.* 6. *Lucæ.*

Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit; & quædam quamvis in corpore non Corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit. *S. Thom.* 3. *par. q.* 13. *art.* 3.

Signa vulnerum oblitterare noluit, ut Electi ei indeſinentes gratias agerent. *Haymo.*

Vulnera ſuſcepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit, ut DEO Patri pretia noſtræ libertatis oſtenderet. *S. Ambros. lib.* 10. *in Lucam.*

Per has rimas id eſt Chriſti vulnera licet mihi ſugere mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo, id eſt guſtare, & videre quàm ſuavis ſit Dominus. *S. Bern. ſerm.* 61. *in Cant.*

Vulnera hæc ſunt monumenta Charitatis, teſtimonia Obedientiæ, ſunt pretia Redemptionis humanæ. *Rupertus Abbas.*

Hi-

Digitized by Google

HISTORIÆ.

P. Petrus Uragovitius tum adhuc adoleſcens nomen Societati JESU dederat; cùm ex inſidijs in capite fuſte vulneratus, & ad extrema redactus clara luce Chriſtum ſpecie Reſurgentis, & cum eo Beatiſſimam virginem vidiſſe dicitur, & audiviſſe hanc dicentem *Quid huic? an id quod petit faciemus?* Reſpondit Matri Chriſtus *Sine Mater, modicum opus eſt, ut laboret.* Et confeſtim convaluit, per 30. annos per Ungariam, Croatiam Operarius, unus ex duobus, qui Societatem in Croatiam induxit. *Annua Prov. Auſt. Coll. Zagrabien. anno* 1617.

Cùm P. Alphonſus Eſqueira de Chriſto à diſcipulis in Emaus manere coacto, ſeu invitato meditans cogitaret, qua ratione ipſe quóque tam ſanctè DEUM cogere poſſet, ut cum illo permaneret; Reſponſum internum manifeſtè audijt *Fac tibi vim, & facies illam mihi.* Unde illi novum ac potens ad ſe aſſiduè pervincendum calcar acceſſit. *Ann. Coll. Complut. anno.* 1633.

Biennio antequam fatis fungeretur P. Bernardinus Realinus Chriſti ſupplicia mortémque meditatus; illum vidit crudeliter à militibus nudari, clavíſque configi, Judæis interim convitia, ſannaſque jactantibus. Quo aſpectu hauſit acerbiſſimum animi dolorem, totúmque ſe in flebus effudit. Paulò poſt idem Dominus inter beatas mentes velut Sol alter comparuit ab inferis redivivus, & lacrymas priores miris gaudijs abſterſit. *Vita cap.* 37.

FRU-

FRUCTUS.

PRimus. *Adoremus Reſurgentem cum Angelis*, juxta mandatum æterni Patris ad Heb. 1. *Cùm introduxerit iterum primogenitum in orbem, dicit Et adorent eum omnes Angeli Dei. Agamus cum Reſurgente Filio æterno Patri gratias*, qui eum his verbis alloquitur, *Pſal* 29. *Convertiſti planctum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea.* Gratulemur Victori glorioſiſſimo, quia hyems abijt, imber tranſijt *Cant.* 2. Redijt Jonas ex abyſſo & ventre ceti, & ſublevata eſt de corruptione vita, *Jonæ* 2. Exultat Mardochæus, quia lux & ſol ortus eſt, exaltatus humilis corde, & devoravit inclytos. *Eſther.* 11. diſpergens ſuperbos mente cordis ſui. *Lucæ* 1.

Secundus. *Imitemur primogenitum fratrem noſtrum Reſurgentem à mortuis: ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ jubilemus exuendo veterem hominem cum actibus ſuis ad induendum novum, qui ſecundùm Deum creatus. ad Rom.* 6. *ad Coloſſ.* 2. Quatuor corporis glorioſi dotes etiam in hac vita moribus exprimamus (ut quidam Aſceta in ſuis meditationibus monet) videlicet claritatem corporis exquiſita cognitione rerum cœleſtium. Impatibilitatem continua mortificatione pravorum affectuum. Subtilitatem cuncta abrenuntiatione rerum terrenarum. Agilitatem promptitudine ad divinam in omnibus explendo voluntatem.

Digitized by Google

tatem. Immortalitatem immobili per ſtudium eximiæ perfectionis conſequendæ conſtantia.

Tertius. *Sacratiſſimum Chriſti Corpus tanta paſſum, quanta nunc fruitur gloria?* ut omnes dolores fuêre ſeges uberrima felicitatis immenſæ? O anima, ô caro patimini nunc, *euntes ite*, *&* *flete, mittentes ſemina veſtra.* *Pſal.* 125. *Venientes venietis cum exultatione portantes manipulos veſtros.* Si tum lugere poſſetis, doleretis, quòd non plus paſſi fueritis; nec plus laboraveritis. Minima crux, labor leviſſimus *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. *Cor.* 4. *Ecce* (exclamat S. Auguſtinus in Pſal. 93.) *quantum pretium damus, quodammodo unam ſiliquam ad excipiendos theſauros ſempiternos, ſiliquam laboris ad requiem incredibilem.* Quare ut monet S. Gregorius Hom. 13. in Evang. *Quia momentis ſuis horæ fugiunt, agite fratres chariſſimi, ut in boni operis meſſe detineamur. Audite, quid ſapiens Salomon dicat; quodcunque manus tua facere poteſt, inſtanter operare &c. quia ergò & futura mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus; ſupereſt ut ante mortem tempora indulta rapiamus, nempe ad meritum & æternum gloriæ pondus operandum.*

CON-

CONSIDERATIO III.

DE APPARATIONE B. VIRGINI FACTA.

De hac S. Ignatius in Libello Exercitiorum in Myſterijs vitæ Chriſti ſic loquitur. *Primùm apparuit Dominus Matri ſuæ, poſtquam reſurrexit: cùm dicat Scriptura, quòd apparuit multis. Licèt enim nominatim illam non exprimat; id nobis tamen relinquit pro certo, tanquam intellectum habentibus, ne alioqui jure audiamus illud: Adbuc & vos ſine intellectu eſtis?* Hæc S. Pater.

Ad veſperum denominabitur fletus, & ad matutinum lætitia.
Pſal. 29.

O Domina! O Mater!
Mare amaritudinis, mare fellis, dolorum, & contritionis, quis medebitur tibi? *Thren.* 2.

Is

Digitized by Google

Is ipſe, qui dolorum cauſa fuit, & vulneris, quo gladius animam tuam pertranſivit. *Luca* 2.

Filius tuus, fons amoris, & doloris,
Saucians, & ſanans.

Exulta ſatis filia Sion, & Regina. *Zach.* 9.

Jam hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit, *Cant.* 2.

Ad veſperum demoratus eſt fletus. *Pſal.* 29.

Jam ortus eſt ſol mundo, & lucet in virtute. *Eccli.* 1. *Apoc.* 1.

En Mater non amplius doloroſa,
Sed gaudium univerſæ terræ, gaudium plenum. *Thren.* 2. 1. *Joan.* 1.

Mare dulcedinis, mare mellis, & lætitiarum.

Ecce Filius tuus vivit.

Et dominatur non ſolùm omni terræ Ægypti, *Gen.* 45.

Sed flectetur ei omne genu, & omnis lingua confitebitur ei. *ad Rom.* 14.

Neceſſe non eſt, ut vadas cum Jacob, & videas illum. *Gen.* 45.

Ecce ipſe adeſt.

O quantus! quantùm mutatus ab illo!

Crucifixus ante oculos tuos, vir dolorum, abjectio plebis. *Iſa.* 53. *Pſal.* 21.

Nunc redivivus, nunc Rex gloriæ, Triumphator. *Pſal.* 23.

Stipatus ante carnificibus, & turbis nequiſſimis.

Nunc Sanctis, & Angelis comitatus innumeris

Ingreditur conclave maternum.

O verè Cœlum!

Steterunt ſol, & luna in habitaculo ſuo. *Habac.* 9.

Stel-

Stellæ lætatæ ſunt, & lucent ei cum jucunditate, qui fecit illas, & matri ejus.

O Anima,

Num vel mente aſſequi poteris illam Filij Majeſtatem, decorem, & gratiam, qua Matri dilectiſſimæ ſe ſtitit?

Omnem parenti amantiſſimæ explicavit divinitatem, quæ omnem vidit Filij humanitatem vermem, & non hominem. *Pſal.* 21.

Verùm tanto lumini, & ſolatio non par erit Mater, gaudio feliciſſima ſuccumbet.

Fulcite ergò eam filiæ Sion (mentes & animæ beatæ) floribus, & ſtipate malis, quia amore languet. *Cant.* 2.

Sed non eſt veſtra opus opera. *Cant.* 2.

Mater innititur ſuper dilectum ſuum. Dextera Domini fecit virtutem. *Pſal.* 117.

Hic animam delicijs debitis ſervat, roborat aciem mentis, lumine glorioſo illuſtrat, copioſiſſimo.

Ipſa quoque aſſueta eſt ſplendoribus, mulier amicta ſole. *Apoc.* 12.

Verbo

Filius tantus tantæ Matri ſe impendit totum; & facit ei magna, qui potens eſt. *Luca* 1.

Abjecit ſe illa ad pedum SS. vulnera exoſculanda,

Exaltat eam dulciſſimus Natus, & pectoris vulneri admovet.

Erro.

Non admovet, ſed immittit cordi, immergit.

Sua-

Suaviſſimè invitat.

Surge amica mea, ſpecioſa mea, ô pulcherrima mulierum!

Tu una columba mea, mater mea. *Cant*. 2. 5. 6.

Veni in foraminibus petræ, in caverna Maceriæ; patet tibi cor meum, quæ es cor meum.

Intra in omne gaudium Filij tui.

O quantum gaudium!

Immenſum, infinitum, inexplicabile, incomprehenſibile.

Deo nempe dignum.

Liquefacta eſt anima Matris, ut locutus eſt, *Cant*. 5.

Dilectus uteri, & votorum Matris. *Prov*. 31.

Jam non vivit Mater, vivit in Matre Filius.

Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis Dilectam, quoad uſque ipſa velit. *Cant*. 2.

Sed quando volet ea,

Cujus vita feliciſſimè abſcondita eſt in Filio? *ad Coloſſ*. 3.

Cui ſic mori lucrum eſt tantum? ſolatium tantum? Cui vivere Chriſtus eſt? cujus anima Filius eſt? *ad Philip*. 1.

Non his contenta Filij in ſuam Matrem pietas exaltare voluit humilem, quæ ſe ancillam dixit. *Luca* 1.

Quæ improperium Filij ſui theſauris Ægyptiorum *ad Heb*. 11.

præponens compaſſa eſt patienti, digniſſima, ut & glorificetur. *ad Rom*. 8.

Stetit ſub cruce probroſiſſima faſſa ſe Matrem ejus;

Qui

Qui maledictum pendebat in ligno,
Riſa fuit, ſpreta fuit.
Infamis Nati infamis Mater.
Ludibrium Pontificum, Populi,
Carnificum.
Stat nunc ſub vexillo crucis triumphanti
Glorioſa Mater ejus,
Qui Dominus virtutum, Rex gloriæ audit,
Et triumphat peccatum, & orcum.
Honoratur, glorificatur
Gaudium Angelorum, corona cœlitum,
Gemma, & fulgor ſiderum.
Exhibuit ergò Filius Sanctis ſpectandam non ſolùm quoad externum corporis habitum; qui ſine dubio fuit jucunditatis, & omnibus ornamentis excellentiſſimus. *Judith.* 10.
(Non enim licitum ſacco indutum aulam Regis omnium Provinciarum & triumphantis intrare) *Eſther.* 4.
Sed etiam quoad internum animæ, & mentis ſtatum. Eam quoque cœli, ac terræ Reginam, & Eccleſiæ ſuæ Advocatam, & Matrem conſtituit.
Quanta admiratione eam ſuſpexêre animæ ſanctæ?
Tot extraordinarijs omnium chariſmatum donis, ac prærogativis tam longè ſuper omnes creaturas evectam?
Non fuêre illis unquam viſa tam multa aromata, quam ea, quæ dedit hæc Regina ditiſſima Regi Salomoni Filio ſuo. 3. *Reg.* 10.
Vide-

Digitized by Google

Viderunt primi parentes Filiam ſuam, de cujus
ſemine dictum illis fuerat *Ipſa conteret
caput tuum.* *Gen. 3.*

Vidit David aſtantem Reginam à dextris, in
veſtitu deaurato circumdatam
varietate. *Pſal. 44.*

Vidit Iſaias virgam de radice Jeſſe, & Virginem,
quæ concepit & peperit Virgo. *Iſa. 7. & 11.*

Jeremias mulierem, quæ circumdedit virum.
Jerem. 31.

Ezechiel portam clauſam Principis, in qua Princeps
ſedit. *Ezech. 44.*

Viderunt reliquæ filiæ Sion, quæ ſibi congregaverunt
multas divitias, & univerſas
Hanc ſupergreſſam. *Prov. 31.*

Hinc *Eam* Beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ
laudaverunt Eam. *Cant. 6.*

Hinc illæ acclamationes

Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia
populi noſtri, & ideò eris benedicta
in æternum. *Judith. 18.*

Succinuêre Angeli applaudentibus Sanctis
Regina cœli lætare. Alleluja.
Quia quem meruiſti portare. Alleluia.
Surrexit, ſicuti dixit. Alleluia.

Quanta reverentia hi ipſi ſpiritus in Matre Filium
glorificavere, & in tali Filio
Talem Matrem?
At quid Mater?

Omnia flumina gratiarum intrarunt in mare,
& mare non redundavit.

Ad locum unde exeunt, revertuntur. *Eccl.* 1.
Quid Maria? vera congregatio aquarum, gratiarum, virtutum, & benedictionum.
Non redundat, redeunt flumina ad fontem ſuum,
Magnificat anima mea Dominum. *Lucæ.* 1.
O Anima!
Et tu admirare, venerare, gratulare, exalta, gratias age, lauda quantùm potes; major eſt omni laude, nec laudare ſufficis.
Humilia ergò te, tantæ Dominæ mancipium devove, ac tantæ Patronæ commenda.
Perire non poteris, ſi pro te Filio *Huic* Mater *Hæc* ſupplicaverit.

SENTENTIÆ.

PRima Dominum vidit in forma glorioſa non ad confirmationem dubij, ſed ad conſolationem gaudij. *S. Bernard. in ſerm. de Reſurrect.*

Indubitatum eſt Mariam primam fuiſſe, quæ Filium ſuum reſuſcitatum viderit. *Idem.*

Aſſerunt idem S. Antonius, S. Brigitta *Revel. cap.* 34. Vidit Maria Reſurrectionem Domini, & prima vidit. *S. Ambroſ. lib.* 3. *de Virginibus.*

S. Gregorius Nyſſenus *Orat.* 2. *de Reſurrect.* docet Beatiſſimam Virginem primam non ſolùm Chriſtum reſurgentem vidiſſe, ſed etiam Apoſtolis denuntiâſſe; idque eleganti ratione confirmat, quia *decebat*, inquit, *Deiparam ea, quæ ad gaudium pertinebant, Apoſtolis nuntiare, ut quæ radix gaudij eſſet.*

Idem

Digitized by Google

Idem docet *Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 32.* Dei Mater prima clarius aſpicit Filij reſurrectionem, & ejus prædicatores de ea magis confirmat, quàm ea, quæ unguenta obtulerunt. *Metaphraſtes de vita & dormitione Deiparæ.*

O verè in hoc apparet *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 1. in quæ verba Hailgrinus Cardinalis Non exprimitur, quid vel ipſa ſit dilecto, vel quid dilectus ſit ei, quia illud quid tantum eſt, ut ad ipſum explicandum verba deficiant.

Quantò plus amabat, tantò plus gaudebat. At quis tantæ Matris amorem in tantum Filium explicet?

Superat omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris illius Virginis in Filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, qua exultabat, & liquefiebat anima illius in eundem Dominum. *S. Anſelmus de Excell. Virg. cap. 4.*

Et cap. 6. Hanc immenſitatem gaudij ejus penetrare quis laboret? Quoniam quæ ipſis Angelis eſt admiranda, & impenetrabilis, non facilè crediderim, quòd cuivis homini mortali poſſit eſſe penetrabilis.

Veriſſimè Matri Filius apparuit reſurgens: abſit enim hoc ab illo, qui in lege ſua Patrem & Matrem honorare præcepit. Abſit, ut Matrem propter ſe doloris gladio transverberatam tam dura negligentia talis filius inhonoraverit. Non ſic Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ veritas, quæ hanc beatam Jeruſalem in principio lætitiæ ex-

poſuit cùm in hac prima die Paſchæ ſtationem ad S. Mariam Majorem miſſæ officio præſcripſit. Quid enim convenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quàm gratulari Matri Virgini ſuper reſurrectionem Unigeniti? *Rupertus lib. 7. de Divin. Offic. cap. 25.*

Idem *in eodem capite.* Perpendere geſtit Chriſtiana devotio, quantus torrens gaudij inundans, locúmque vulneris replens animam ejus ferro doloris confoſſam inebriavit; cùm redivivus Filius ante omnes mortales materno non defraudans honore victoriam ſuam annuntiavit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa veram de carne ſua conceptam peperit, deoſculanda præbuit.

HISTORIÆ.

S. Brigitta lib. 6 revelat. cap. 94. inter alia à Deipara revelata refert, eam ſibi hæc dicentem: *Mihi, quæ ſum Mater Dei, cùm poſt ejus mortem incomprehenſibili dolore mœſta eſſem, apparuit idem filius meus, priusquam alijs; & palpabilem ſe oſtendit mihi conſolans me, & commemorans ſe viſibiliter in cœlum aſcenſurum; quamvis hoc non eſt ſcriptum propter humilitatem meam.* Hæc ibi, quæ quoque habentur in ſerm. Angelico c. 6. Aliam aſſignatam ſibi rationem à quodam viro ſapiente refert S. Anſelmus *cap. 6. de Excell. Virg.* *Quia*, inquit, *cùm in Evangelio nihil ſuperfluum reperiatur, ſuperfluum planè videretur, ſi Matri Domini Filius reſur-*

reſurgens ſcriberetur, ſicut alij cuilibet apparuiſſe; Reginam videlicet cæli & terræ omniſque creaturæ coæquare illis, quibus apparuit.

FRUCTUS.

PRimus. *Gratulabor primò Matri*, cùm in ea jam impletum ſit illud Pſalmi 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Apparuit gloria Filij glorioſiſſimi. Et illud *Pſalmi* 91. *Secundùm multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* O Mater doloroſiſſima, *velut mare fuit contritio tua.* Thren. 2. Nunc ô Mater lætitiarum & deliciarum velut mare eſt gaudium. Nunc clamas lætabunda cum Jacob Patriarcha, *ſufficit mihi, quia JESVS Filius meus vivit.* Vivit, regnat non in Ægypto ſolùm, ſed cælo, & orbe univerſo. Itaque Regina cæli lætare, Domina mundi lætare; Reſurrexit Filius cælorum, & terrarum Dominus. O liceat mihi gratulari tantùm, quantùm beatæ animæ limbo eductæ, quantùm omnes Angelici ſpiritus ſunt gratulati!

Secundus. *Gratulemur Eidem*, quia per hanc apparitionem ad ſummam effecta eſt gloriam. Audiamus B. Amadæum hom. 6. de Laud. Beatiſſ. Virg. *Habes ergò ô Beata gaudium tuum, attributum eſt tibi deſiderium tuum, & corona capitis tui. Attulit tibi cæli principatum per gloriam, regnum mundi per miſericordiam, inferni ſubjugationem per potentiam. Tanta igitur & tam ineffabili*

gloria tua diverſis affectibus cuncta reſpondent, Angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore; Cælo námque venerabilis es, mundo amabilis, diabolo terribilis.

Tertius. *Æſtimemus & miremur Virginem, & Matrem admirabilem* quantùm poſſumus. Quis enim dignè æſtimet illa ſingularum laudum preconia, quibus eam extulit redemptus è limbo SS. Patrum Chorus. Hic utique illam non ut ſui Redemptoris Matrem tantummodò agnoſcebat, ſed etiam (ſecundum Chriſtum) ſuæ fontem ſalutis, ſuæ libertatis & gloriæ cauſam laudabat, ſalutabat, reverebatur.

Quartus. *Spes, & fiducia in tantam Dominam.* Verè pronuntiavit S. Bonaventura in ſpeculo, *Non ſolùm in te peccant Domina, qui tibi injuriam irrogant, ſed etiam qui te non rogant.* Quare clamemus cum S. Baſilio ſerm. de Incarnatione: *Ave inter Deum & homines mediatirx intercedens,* cum S. Ephrem. de Laud. B. Virg. *Ave progenitoris Adam reſurrectio, ave mundi mediatrix glorioſiſſima, ave mundi ſalus, ave univerſi orbis conciliatrix.* Cùm S. Hieronymo ſerm. de Aſſumpt. veneremur *ſalutis auctricem*, quia ut ait S. Bernardus ſerm. 2. de Pentecoſt. *Ex ore tuo ô Virgo pendet miſeratio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum filiorum Adam, totius generis tui. Spes ergò noſtra, vita, & dulcedo ſalve.*

CON-

Conſideratio IV.

De Beneficiis Divinis.

S. *Ignatius in quarta hac hebdomade poſtquam mentionem fecit Chriſti Domini deſcendentis in limbum, eripientis inde animas Juſtorum, ac redeuntis ad ſepulchrum, corpúsque SS. ſibi unientis, & reſurgentis glorioſè; annotat myſteria omnia reſurrectionis, aſcenſioniſque, atque ea, quæ ſunt intermedia: præſcribit quoque modum ſervandum in his recolendis, quo exercitans in prioribus hebdomadibus fuit uſus. Brevitatis ergò, & quia exercitandi hebdomadaria ſolùm in ſacra hac aſceſi commoratio in more eſt; ea tam brevis non permittit omnia hæc myſteria contemplari. Venio igitur ad contemplationem de amore ſpirituali in nobis excitando: de quo S. Pater ſequentia prudenter his notat verbis:* Inprimis duo notanda ſunt, primum quòd amor ipſe ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Secundum quòd conſiſtit amor in mutua facultatum, & rerum communicatione, puta ſcientiæ, divitiarum, honoris, & boni cujuſcunque. *Hæc ille, & verè. Nam verus amor nunquam eſt otioſus.* Operatur magna, ſi eſt; ſi operari renuit, amor non eſt, *ut ait S. Gregorius M.* hom. 30.

Hæc Contemplatio Ignatiana de amore Divino complectitur beneficia à Deo in nos amore ſummo liberaliſſimè collata, quibus ut pabulo aptiſſimo exar-

deſcit amor vehementiſſimus. Unde Guilielmus Pariſienſis Circumdamur, *inquit*, beneficijs tanquam igne copioſo, & monſtri inſtar habendum erit corda noſtra inter tot flammas in amore Divino frigeſcere. *Cùm verò voluntas tantùm inflammetur, quantùm ab intellectu de rebus ab eo propoſitis illuminatur; ſitque cupido, & amor vehementior, quo objectum eſt notius: Hac meditatione, ac conſideratione beneficia contemplemur; ſuccedente verò amorem Divinum (utinam ſeraphico parem!) accendamus; ultima demùm exercitantem ad Deum amatum deducamus finem Exercitiorum & hominis amantis ultimum ſuſpirium, atque terminum ſine termino feliciſſimum.*

CONSIDERATIO. DE BENEFICIIS DIVINIS.

Benedic anima mea Domino, & noli oblíviſci omnes retributiones ejus. Pſal. 102.

Audis ô anima
Vatis regij, Deóque gratiſſimi præceptum?
Noli oblivíſci omnes retributiones
Ejus.

Potiùs

Potiùs oblivioni detur dextera tua, quàm ut
obliviſcaris. *Pſal.* 136.

Domini, qui eduxit te de terra
Ægypti, de domo ſervitutis. *Deut.* 6.

Verùm.

Ut omnium reminiſcêris miſerationum
Domini? *Pſal.* 24.

Exi cum Abram, ſuſpice cælum, numera ſtellas,
ſi potes. *Gen.* 15.

Miſericordia Domini plena eſt terra; imò
miſerationes ejus ſuper omnia opera
ejus. *Pſal.* 118. *Pſal.* 144.

Num metiri potes pugillo aquas, & cœlos palmo
ponderare? *Iſa.* 40.

Quicquid agit Deus, beneficium eſt, & illud
ipſum Tuum eſt beneficium.

Amabiliſſimum Divinæ bonitatis ingenium!
Efficit id, ut unum beneficium ſit omnium
& omnia beneficia ſint unius.

Omnia naturæ opera, omnia mirabilia gratiæ beneficia
ſunt omnium, beneficia ſunt mea.

Ita mea, ut omnibus nihil derogem;
Ita omnium, ut mihi nihil decedat.

Sol lucet omnibus totus, & uni totus.

Quicquid facit Deus, gratia eſt, per quam ſibi
prodeſſe poſſint omnes & ſinguli.

Omnium ergò, & ſingulorum gratia eſt propria.

Quare has effare anima gratias, & numera.

Sed mare foſſulâ circumſcribere niteris.

Miſericordias igitur Domini cum Pſalte in communi
canta. *Pſal.* 88.

Digitized by Google

Tantum verò Benefactorem amore dilige singulari:
Et cùm non ſufficias omnibus enarrandis,
Ad particulares quaſdam devenias.
Uni intentus major erit, & collectior ad illud ſenſus.

Creatio.

DEUS Optimus
Creavit ex nihilo non ſolùm infima, ſed & cœlos,
Solem, Lunam, & ſtellas in miniſterium cunctis gentibus. *Deut.* 4.
Quot ergò creaturæ, tot linguæ, quæ enarrant *Pſal.* 18.
Gloriam Dei, & te in ejus amorem provocant.
Fecit te Dominus ex nihilo: quod eſt minimum omnium;
Fecit te ad imaginem ſuam, quod eſt omnium maximum.
En! qui nihil eras, qui lutum eras, imago fis Dei; *Gen.* 1.
Ut præſis piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtijs, univerſæque terræ, omníque reptili, quod movetur in terra. *Gen.* 1.
Fecit te propter ſe, & te tantum fecit propter ſe, quia tantum amavit te.
Poterat creare infinitos homines, eos non creavit:
Te his omnibus prætulit.
Quantùm ergò amoris debes tuo Amatori?
Nunquid æquum eſt, ut Eum, qui te præ infinitis elegit, ames amore præ infinitis illis,

quos

Digitized by Google

quos præterijt, ut horum infinitorum amorem compenſes?
Et certê ex his ſunt plurimi, qui ſanctitate, fidelitate, charitate, cæteriſque virtutibus te longè ſuperâſſent,
Divinam Gloriam longius promoviſſent:
Et tamen hos præterijt, te elegit.
Quantum ergò amoris, gratiarum, obſequiorum debes Electori tuo?

Conditus es, ut ames Deum.

Conditi ſunt Angeli, ut ament Deum.
Ideo condita omnium creaturarum nobiliſſima Virgo, Mater.
Deus ipſe propter ſe eſt,
Cùm non habeat alium ſibi poſitum finem, quàm ſeipſum.
Nec tu alium habes finem, quàm Deum;
Quid ergò agis anima?
Omnes amant, omnes laudant, omnes glorificant.
Et tu non ames? non laudes? non glorifices?
Exi mundo, & redi in nihilum tuum perfida;
Si non vis id agere, propter quod es in mundo.

Redemptio.

Antequam eſſes in Mundo, jam mortis Rea, hoſtis Dei audiebas.
Sed
O fidelis ſermo, & omni acceptione dignus!
1. *Timoth.* 1.
Chriſtus Jeſus, Deus Homo venit in mundum,
ut

ut te peccatorem ſalvum faceret.
Verè digniſſimus omni acceptione! quia ab æterno te redimere decrevit Bonitas Divina.
Ab æterno ordinata, & ex antiquis antequam terra fieret,
Ante omnes Colles ego parturiebar. *Prov.* 8.
Voluiſti ergò Jeſu venire, & veniſti propter me, ut redimeres me: & tantum dilexiſti me, ut ſanguinem tuum precioſum dares pro me. *S. Aug.*
Dilexiſti me plus quàm te, quia mori voluiſti propter me.
Et ego non diligam te plus, quàm me?
Sed ſi plus te quàm me dilexero: quantulum iſtud?
O quàm indebita miſeratio! quàm gratuita dilectio!
Quam inopinata, & incomprehenſibilis dignatio!
Regem Gloriæ pro nocente me crucifigi.
Quis audivit unquam tale? aut quis vidit huic ſimile? *Iſa.* 66.
Quid retribuam Domino? *Pſal.* 115.
Quæ obſecro corda, quæ linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſe contenderint? *S. Aug.*
Quid ergo cor meum unicum poſſit?
O anima fac, quod potes:
Sit tibi Jeſus chariſſimus, quia pro te eſt viliſſimus.
Magis ama ſponſum, quantô magis deformis tibi

Digitized by Google

tibi commonſtratur; tanto charior, tanto
dulcior, tanto pulchrior, tanto tibi ſit
amabilior. *S. Auguſt.*

Conſervatio, & Cooperatio cum Creaturis.

Natum te, & in lucem editum nutritius Deus
excepit, & de te non omnibus Angelis
solùm, ſed omnibus Creaturis
mandavit.

Quid deberes illi, qui tibi perpetuò præluceret;
in omnibus comes individuus, & ductor adeſ-
ſet vijs; cibum, ac potum pararet ubique; ve-
ſtiret, recrearet; pericula amoveret, vel his
eriperet; erudiret rudèm, errantem dirigeret;
cum laborante laboraret; feſſum ad dulcem
quietem componeret; dormientem
cuſtodiret; ægro aſſiſteret;
pharmaca pararet,

Verbo in manibus te portaret & brachijs.
Oſeæ 11.

Hic verò Deus eſt.

Qui nec momento te deſerit, ſemper tui me-
mor, ſemper tibi beneficus, cooperans.

In ipſo enim, vivis, moveris, & es. *Act.* 17.

Hoc beneficium, ſi vel momento ceſſaret, nul-
lus eſſes.

Tolle ſolem, ubi radius?

Exicca fontem, ubi rivus?

Si Deus actu non concurreret, quid poſſet ocu-
lus? quid auris? quid manus? quid
omne corpus?

Nihil

Digitized by Google

Nihil poſſet, nihil eſſet. *S. Thomas Aquinas.*

Hoc ceſſante beneficio omnis concideret natura. *S. Auguſt.*

Quomodo enim poſſet aliquid permanere, niſi tu ò Deus voluiſſes? *Sap. 11.*

Nunquid ergò ô anima, quoties reſpiras, toties teneris Dei amoris tui recordari? toties amare amantem?

Cujus hoc ipſum reſpirare, recordari, & amare eſt beneficium.

Beneficium SS. Evchariſtia.

Quid de hoc ſabor beneficio ineffabili?

Fecit Dominus Exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Iſai. 25.*

Verè Epulum omnium deliciosiſſimum, ſuprema omnium felicitas, guſtus cæleſtium voluptatum, fruitio amplexus Chriſti. Iſtud eſt, quod præ omnibus ſponſa deſiderat. *S. Bernardus.*

Quis dat hunc cibum? Deus.

Quem dat tibi cibum Deus? Deum.

Cui dat hunc cibum? homini Deus.

Cibus ſum grandium; creſce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. *S. Auguſt.*

Vivo ergò jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *ad Galat. 2.*

O pro-

O prodigium amoris!

Cùm videretur non convenire, ut Divina perſona ſingulis hominibus uniretur; quàm admirabile Amor Divinus excogitavit inventum? quod nunquam in Angelorum mentem venire potuiſſet? ut ſe videlicet ſub cibi, potúſque ſpecie occultatum hominum corporibus, & mentibus immitteret.

Unde

Non ſatis habuit fieri hominem, ut flagellis cædi, aut crucifigi; ſed nos ſecum in eandem maſſam coagmentavit, idem corpus effecit non fide ſolùm, ſed reipſa. *S. Chryſoſt.*

Ut cera liquefacta alteri ceræ infuſa cum eâdem efficitur eadem; ſic anima, ſic carnem, & ſanguinem Chriſti recipis, cum ipſo ita conjungeris, ut Chriſtus in te, & tu in Chriſto inveniaris. *S. Cyrillus.*

Si ergò Anima eadem cum Chriſto es, & una; cur non quoque cum eo charitas es, & amor?

Quia Deus charitas eſt. 1. *Ioan.* 4.

Brevis laus, at magna laus. *S. Auguſt.*

Cuſtodia Angelica.

Quid de beneficio Angelico dicam?

Conſidera ô Anima cum S. Bernardo illa verba:

An-

Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te &c. *Pſal.* 90.

Quis? quibus? de quo? in quo actionum genere? quo tempore? qua cura? quo emolumento?

Quantum decet O Anima te gratam eſſe tanto cuſtodi? redamare eum, quantùm debes, quantùm potes affectuosè?

Sed quem amorem debes ei, qui beatum illum Spiritum cuſtodiæ tuæ deputavit, & tuum juſſit eſſe pædagogum, ac gerulum? *S. Bernardus.*

Finem non fecero, ſi alia infinita beneficia Divina recenſere voluero.

Tu ô Anima pro lubitu tuo poſt finitam aſceſin conſidera, expende, ac rumina.

Benedicito Domino, & noli unquam obliviſci omnes retributiones eius. *Pſal.* 102.

Benedic ergò Dominum omni tempore, laus eius ſit in ore tuo. *Pſal.* 33.

Semper ſit amor eius in corde tuo.

Clama poſt tot accepta beneficia cum illo Famulo Dei,

Deus meus cur non amo te? at quando te perfectè diligam? ô fac Deus, ut amem te, ſicut dignum eſt à me amari te.

P. Julius Paſqualis è Soc. Jeſu, Nadaſi. 1. *Feb.*

SEN-

SENTENTIÆ.

Domine quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia reputas enm? *Pſal.* 10.

Quis ſum ego, aut quæ eſt domus patris mei, quia deduxiſti me hucuſque? 2. *Reg.* 7.

Cùm Deus ſit bonus, ſi ceſſaret unquam benefacere, ceſſaret Deus eſſe. *Clemens Alexandrinus.*

Totus es beneficium, atque totum te, niſi ingrati notam incurrere velis, Dei obſequio, amorique debes impendere. *S. Ambroſ. lib.* 2. *de Abel cap.* 7.

Quando conſidero ex una parte beneficia ſumma, quæ à Deo accepi, & ex altera parte meas miſerias, attonita non ſum apud me. *S. Brigitta.*

S. Bernardus negat animam noſtram poſſe amori Divino reſpondere. Nam & cùm ſe totum effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis perenne profluvium? *ſerm.* 83. *in Cant.*

Multum meruit de nobis Deus, qui & immeritis ſeipſum dedit nobis. Quid enim amplius ſeipſo dare poteſt vel ipſe? Ergò ſi Dei meritum quæritur, illud eſt præcipuum, quia prior dilexit nos: dignus planè, qui redametur, præſertim ſi advertatur, quis, quos, quantùmque amaverit. *Idem de dilig. Deo.* Dilexit

prior nos tantus, & tantùm, & gratis, & tantillos, & tales. *Idem.*

O quantùm ſumus tibi debitores tanto redempti pretio, tanto ſalvati dono, & tam glorioſo adjuti beneficio! quantum à nobis miſeris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus? quantum honorandus, & glorificandus, qui nos ſic emiſti, ſic ſalvaſti, ſic ſanctificaſti; ſic ſublimaſti? Tibi nempe debemus omne, quod poſſumus, omne quod vivimus, omne quod ſapimus. *S. Aug. Medit. cap.* 17.

Debes ſemper de Deo cogitare, & loqui propter tot beneficia, quæ tibi confert tam ſolicitè, acſi totius mundi eſſet oblitus. *S. Edmundus in ſpec. Eccl. cap.* 5. *Medit. cap.* 5.

Sicut nullum eſt momentum, quo homo non utitur vel fruitur bonitate, ac miſericordia Dei; ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum non præſentem habeat in memoria. *S. Bernardus. medit. cap.* 5.

Deus creavit in cælo Angelos, in terra vermiculos, non major in iſtis, nec minor in illis. Si ergò te creando vermem non minor eſt, quàm cùm creavit angelum; ipſius Bonitas fuit, ut te paulò minus minoraret ab angelis; ut tu eum glorificares ut homo, non viveres ut brutum. *S. Auguſt. in Pſal.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Pſal.* 115.

Deficit Spiritus noſter prorſus, deficit in tanta benficiorum conſideratione. *S. Bern. de ſept. Miſericord.*

Quærit

Quærit S. Auguſtinus *ſerm. 15. de temp.* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? primò nihil eram, & fecit me: perieram, quæſivit me: quærens invenit me; captivum redemit me; emptum liberavit me; de ſervo fratrem fecit me. Et *lib. 2. de ſimilitud.* Donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem, donavit ſubſtantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit ſcientiam, donavit omnia ſua, ut eſſent tua &c. Quid tibi minus exhibuit, qui ſeipſum pro te tradidit: & dubitas, quòd tibi donet vitam tuam, qui tecum communicavit mortem ſuam?

Si totum me debeo tibi, quia me feciſti, ad magis amandum ſum tibi obligatus, quia refeciſti. Nam ſemel dicendo me feciſti, ſed reficiendo & dixiſti multa, & geſſiſti mira, & pertuliſti dura, nec tantùm dura, ſed etiam indigna. *Idiota.*

Extendit Deus ſuper ſpes noſtras munera ſua, & quod eſt maximum ac rariſſimum, dona illius etiam vota noſtra vicerunt. *Salvianus Presbyter lib. 2. ad Eccl. Cathol.*

Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc non dici brevius, nec audiri, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt. *S. Aug. ep. 77.*

Hic eſt affectus ſervi fidelis, ut beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt, quaſi ſibi ſoli præſtita putet: & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & ipſe pro omnibus ſolus habeatur obno-

xius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini, quæ univerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit, quaſi enim de ſe ſolo loquens ſic dicit. *Quod enim nunc vivo in carne, in fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Hoc autem dicebat non coanguſtare volens ampliſſima, & per orbem terræ diffuſa munera; ſed quaſi, qui, ut diximus, pro omnibus ſe ſolùm judicaret obnoxium. Et reverà quid intereſt, quod & alijs præſtitit? cùm quæ tibi præſtita ſunt, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum. *S. Chryſoſt. lib. 2. de comp. cord. Idem ſcribit S. Salvianus lib. 1. ad Eccl. Cathol.*

Finio has ſententias æquiſſima objurgatione, qua Deus homo ingratum hominem verbis S. Auguſtini *lib. cont.* hæreſes reprehendit. Ego, cùm eſſes longè, veni ut reducerem te; cùm inter montes & ſylvas errares, quæſivi te; inter lapides & ligna inveni te; in lapidibus offendebas, & in lignis errabas; quia ligna & lapides adorabas: ne luporum, ferarúmque rabido ore laniareris, collegi te; humeris meis portavi te; Patri meo reddidi te; laboravi, ſudavi, caput meum ſpinis ſuppoſui; manus meas clavis ſubjeci; lanceâ latus meum aperui; ſanguinem meum fudi; animam meam poſui, ut te mihi conjungerem. *Et tu recedis à me.* Hæc Sanctus. O ingratitudo inaudita!

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ.

F. Ægidius S. Franciſci Alumnus cujusdem ſæcularis ingratitudinem convertit. Incidit is in hominem manibus, & pedibus truncum, & oculis orbatum; quem benignè percunctatus Ægidius eſt, *Si tibi hæc membra quis reſtitueret, quid tu illi reponeres? ſervum*, ait hic, *me illi perpetuum conſecrarem*. Tum ad ſæcularem illum converſus, *Deus tibi oculos, & manus, & pedes, cateráque corporis membra integra, ac illæſa tot annis ſervavit; & tu abuteris in contemptum Conditoris? ô ingratitudinem non ferendam*!

Alphonſus Rex Aragonum de tribus maximè ſibi à Deo collatis inceſſanter gratias egit, quod hominem, quod Chriſtianum, quod inter Chriſtianos Regem feciſſet. *Æneas Sylvius in dictis Alphonſi.*

P. Petrus Faber primus S. Jgnatij Loiolæ ſocius, quia omnia divinæ gratiæ adſcribens Deum perpetuò laudabat, magnis viciſſim beneficijs à Deo eſt repletus, dein quidquid incepit, feliciter in ſalutem proximi evenit. *Vita lib. 2. cap.* 1. Agebat verò gratias pro omnibus beneficijs acſi ipſi uni collata eſſent, maximè ob amorem, quo Deus beneficia communia elargiens, unumquemque in particulari, & nominatim reſpicit. In quovis autem beneficio tria ponderabat Quis, Quid, Quo ſtudio largiretur: inde cenſebat fieri non poſſe, quin omnia magni fierent. Aiebat Deo præcipuè gratias agendas ob beneficia nobis ne-

Digitized by Google

tis neque petentibus, neque ſentientibus collata, v. g. natum eſſe Chriſtianum, Catholicum &c. Gratias quoque agebat pro beneficijs in ipſos Beatos, & Angelos collatis: quidquid tandem cuiquam benè eveniret, illius loco agebat Deo gratias, ut cùm fæcundos agros &c. tranſiret, petens ſimul veniam pro illis, qui gratias non agebant. Denique agebat gratias pro publicis calamitatibus, peſte, fame, & bello &c. cùm Deus eas diſciplinæ cauſa immittat; dolebat itaque homines hoc beneficium non agnoſcere. *Vita hoc loc. cit.*

FRUCTUS.

PRimus. *Memoria jugis beneficiorum DEI.* S. Auguſtinus *in ſoliq. cap.* 18. Sicut nulla eſt hora vel punctus, quo tuo beneficio non utor, ſic nulla debet eſſe hora, quâ te non habeam ante oculos.

Secundus. *Gratiarum actio. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, juſtificavit impios, tribus & triginta annis ſuper terram viſus, cum hominibus converſatus, pro hominibus mortuus eſt.* S. Bernardus ſerm. 2. de Pentecoſt. Inſuper *vocavit nos de tenebris in admirabile lumen ſuum.* 1. *Petri* 2. *Divinæ conſortes fecit naturæ per regenerationem in Chriſto, & gratiam ſanctificantem tibi gratis infuſam S. Leo ſerm* 1. *de Nativit.* Alia innumera in me indigniſſimum contulit beneficia, & ſim ſimilis

milis illis, in quos invehitur S. Bernardus loc. cit. *O duri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinolis tam pretioſas merces expendit?*

Tertius. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Pſal. 115. Quid tibi minus exhibuit, qui ſeipſum pro te tradidit? Quid ergò retribuam? *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pſal. eodem.* Calicem nimirùm, quem eſſe opinatur S. Ambroſius in S. Lucam illum, de quo Chriſtus ſuos alloquens Apoſtolos *poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*? Calicem perſecutionum, calumniarum, aliarúmque amaritudinum. Igitur ô Domine beneficentiſſime tu omnia facis propter me, & ego omnia ſufferam pro te. Gaudium tuum eſt ſemper mihi benefacere, gaudium erit mihi ſemper pro amore tuo pati &c.

Quid ergò retribuam Domino? Anima mea conſidera mundum, reſpice ea, quæ in eo ſunt, quoniam omnia tradidit tibi (omnia ut ſerviant tibi) *Dilige ergò Dominum, à quo tantùm dilecta es.* B. Hugo Victorinus de Arrha animæ.

Digitized by Google

Conſideratio V.

De amore divino.

Si quis non amat D. N. JESUM Chriſtum anathema ſit.
1. Cor. 16.

O ſanctiſſime Paule
Quàm mirabile amoris divini affers motivum?
Anathema ſit non amans D. N. JEſum?
Quis ſum ego ô mi JEſu, ut per dilectum Apoſtolum tuum amari te jubeas à me; & niſi fecero, iraſcaris mihi, & mineris extremas miſerias? nunquid omnis mea miſeria eſt res ipſa, ſi non amem Te?
Non amare bonum quid aliud eſt, quàm amare malum?
O quantum malum!
Te ſummum, & omne bonum non amare quid aliud eſt, quàm amare ſummum, & omne malum?
O malum infinitum!
Ego minis tam ſeveris adigar ad amandum te, quem in funiculis Adæ, in vinculis charitatis vis trahare ad Te? *Oſea* 11.
Traxiſti me in funiculis Adæ, protoparentis mei.
Nondum eram, & in eo amâſti me.
Traxi-

Traxiſti me in vinculis charitatis, proh quantæ!
Nondum eram, & Amans mortuus es pro me.
In Te quoque traxiſti me tam bonus, tam pulcher,
O optime, pulcherrime!
Ut licet non amaſſes me, amandus tamen eſſes à me.
Imò etſi odiſſes me, etſi non benefeciſſes mihi,
Infinita Bonitas tua eſſet amanda à me.
Non poſſum non te diligere, etſi nihil boni à te accepiſſem.
Qnid dicam modo, cùm ſine modo ames me? cùm ſine numero mihi benefacias?
Verè maximus titulus Amoris eſt, ut amemus Te, quia prior dilexiſti nos. 1. *Joan.* 4.
Magnes, ſtimulus, fomes eſt, & ardor Amoris Amor.
Quantus igitur Amor Divinus?
Donum eſſatur Ejus Magnitudinem.
Sic Pater dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret. 1. *Joan.* 4.
Quis? quantùm? pro Quo?
Sic Filius dilexit, ſicut dilexit Eum Pater. *Joan.* 15.
Pater amat eum amore infinito; ſuos quoque Filius amat infinito amore.
Conſtantiſſimè quoque amavit, in finem dilexit ſuos. *Joan.* 13.
Imò ultra finem, ſine termino, ſine limite.
Deus Charitas eſt. 1. *Joan.* 4.

Paris ergò DEUS, & Charitas ſunt rationis.
O anima!
Ad immenſum hunc Amoris ignem nòn colliqueſcis?
Deus (omnia dico) te nihilum, ſuo amore, tam tenerè, tam affectuosè amat:
Et tu ſtupidiſſima non moveris?
Inſuper,
DEUS te ita amat, acſi neminem amaret præter te;
Totus tuus, tibi mortuus, cibus, & potus tuus,
Medicus tuus, frater tuus, vita tua.
Deus omnes ita amat, ut in his omnibus diligat te; cùm amore ſuo imperet, ut omnes diligant te.
Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.
1. *Joan*. 4.
Dei ſufficientiſſima Bonitas eſt, ut amet te, & amet omnes.
Ametur à te, & ab omnibus ſine tua, vel ullius jactura, ſive Amantis, ſive Amati.
Ergo & tu ama per te, & ama cum omnibus, ama in omnibus, ama propter omnes.
Sed potiſſimum
Amem te Deus meus, quia digniſſimus es,
Optima Bonitas,
Pulcherrima Pulchritudo,
Charitas Infinita.
Vellem cor meum eſſe cor omnium amantium Te.

Vel-

Digitized by Google

Vellem mi Amor te omni amore ferventiſſimo dignìſſimum amare mille, mille, mille millibus cordium amare tuo, & igne Ferventiſſimorum Seraphinorum.

Quæ verò eſt impudentia, ſi hoc unum cor, quod habeo, & id miſerum, non totum, Amori tuo impendam? non conſecrem?

Nunquid dignus ſum tot infernis, quot in cælo ſtellæ micant, ſi non totum Cor meum Tibi dedicem?

O Amor Divine!

Da ut diligam Te, videam te lumen oculorum meorum, diligam te vitam animæ meæ. *S. Auguſt.*

O quàm ſerò te cognovi pulchritudo Divina!
O quàm ſerò amavi te ò Bonitas Infinita!
Cur non amavi te ſemper Amor ſemper Amabiliſſime? ſemper Amantiſſime?

Eheu perijt hora, perijt momentum quo non amavi!

O amor mi benigniſſime!

Liceat damnum hoc ſaltem deſiderijs compenſare.

Utinam è ſingulis vitæ meæ totius momentis uſque ad momentum extremum potuiſſem, & poſſem facere totidem ſæcula amoris tui!

Sit inpoſterum omnis reſpiratio mea, & potiſſimum ultima exhalatio mea vivum holocauſtum Amori tuo, & honori tuo profundiſſima humilitate, altiſſima Charitate oblatum

per

per amorem cordis omnium Electorum; Mariæ, & JESU.

O vos omnes feliciſſimi, & ferventiſſimi Dei mei amatores aliquid de veſtro amore mihi impertite. Si rogare fas eſt, totum concedite, cùm etſi à vobis conceſſus ſit, vobis non decedat.

Nihil perdit fax alteram accendens.

Cui enim bono cor meum, amor meus, & quicquid in me eſt, ſi non pariter, atque vos amo?

Amem ergo vobiſcum, amem cum Seraphinis; amem ijs affectibus, quibus ſuperabundavit cor Amantiſſimæ Matris Amoris mei.

Ament demum mecum omnes tribus, linguæ, populi. *Dan.* 7.

JEſum quicunque non amaverit, Anathema ſit.

Verùm ò Deus mare vaſtiſſimum!
Pelagus profundiſſimum!
Abyſſus altiſſima!
O Eſſe Dei infinitum!

Quomodo cum omnibus creaturis diligam te ex toto corde meo, quod eſt adeò anguſtum?

Quomodo te complectar ulnis Spiritus mei, qui eſt adeò limitatus? quomodo enitar te diligere ex omnibus viribus meis, quæ ſunt adeò exiles? infirmæ? nullæ?

Maneat itaque intellectus ad immenſi maris littus, ne ſubmergatur;

Naviget voluntas in altiſſimum, ut ſatietur;

In-

Digitized by Google

Ingrediatur amor, quo ſcientia non pervenit; accedat affectus, ut te amando requieſcat.

Sed quomodo
Requieſcet in mari tam alto?
O Deus immenſe!
Quis te poſſit diligere, ſicut te ipſe diligis?
Liceat ſaltem implere amoris deſideria.
Cùm non poſſim amare te, quantùm debeo, & deſidero,
Gaudeo quod Ipſe Te ames, quantum potes, & mereris;
Cùm te Solus comprehendas.

SENTENTIÆ.

IN lege quid ſcriptum eſt? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. *Matth.* 22.

Quid mihi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me? & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? parváne eſt miſeria, ſi non amem te? *S. Aug. lib.* 1. *confeſſ. cap* 5. Et qui fieri poteſt, ut anima non diligat eum, à quo tantum dilecta eſt, & non amet amantem ſe? *Idem in Soliq. cap* 3. Verè ſi quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, Anathema eſt. 1. *Cor.* 16. Amorem nempe amorum, & dulcedinem dulcedinum, *S. Bern. ſerm. de cœna Dom.*

Im-

Immenſus es Domine; & ideo ſine fine debes amari. *S. Auguſt. medit. cap. 35.*

Cauſa diligendi Deum Deus eſt. Modus ſine modo diligere. Ob duplicem cauſam Deus propter ſeipſum diligendus eſt, ſive quia nihil juſtius, ſive quia nihil diligi fructuoſius. *S. Bernard. tract. de diligendo Deo.*

Imò Amor ipſe meretur, ipſe præmium ſibi eſt. Amor præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Is per ſe ſufficit; is per ſe placet, & propter ſe. Fructus ejus uſus ejus, Amo quia amo, amo ut amem. *S. Bern. in Cant. ſerm. 83.* Minus te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. *S. Aug.*

Quantò magis Deum amo, tantò amplius vellem eum amare; & credo me præ deſiderio eum amandi moriturum. *S. Auguſt.*

Amori tanto unum cor quomodo ſufficiat? Hinc S. Philippus Nereus ingeminare ſolebat, *Deus cùm tam amabilis ſis, & ita præceperis nos amare te, cur dediſti nobis unum cor, & adhuc tam parvum? Vita.*

Num quem diligit anima mea, vidiſti? *Cant.* 3. in quæ S. Bernardus: O amor præceps! vehemens! impetuoſe! qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter ſe contentus ſe. Totum quod opportunitatis, quod rationis, quod conſilij, judicijque videtur, triumphas in temetipſo, & redigis in captivitatem. En omne, quod cogitat iſta, quod loqui-

loquitur, te ſonat, te redolet, & aliud nihil. *S. Bern. ſerm. 39 in Cant.*

Nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat Amor verus; ſi Amor eſt, vincit omnia. *S. Petrus Chryſologus.*

Amoris ſoror dulcedo. Qui amat, non laborat; omnis enim labor non amantibus gravis, qui nomen difficultatis erubeſcit. *S. Auguſt. lib. 13. confeſs.*

Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt. 1. *Joan. 5.*

Quomodo diligis eum, cujus odiſti præceptum? Quis eſt qui dicat Diligo Imperatorem, ſed odi leges ejus? *S. Auguſt. tract. in epiſt. 1. S. Joan.*

Probatio dilectionis eſt exhibitio operis. Verè enim diligimus, ſi ad mandata ejus à noſtris nos voluptatibus coarctamus. *S. Greg. hom. 30. in Evang.*

Nihil aliud Chriſtus requirit à te, quàm ut ipſum diligas toto corde, & facias mandata ejus *S. Chryſoſt. hom. 55. in cap. 29. Gen.*

Prior dilexit nos. 1. *Joan. 4.* Nulla major provocatio ad amandum, quàm prævenire amando; nimis enim durus eſt animus, qui ſi ultrò dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere. *S. Auguſt.*

Menſura Amoris minor eſt, ubi menſura minor cognitionis. *S. Greg. hom. 21. in Ezech.* hinc

la-

lamentatur S. Auguſt. O quàm ſerò te amavi! pulchritudo Divina quàm ſerò te cognovi!

Amor exæſtuat, ſeipſum non capit, ſuperfluit ſibi, immenſitatem æmulatur, dum metam neſcit affectui ponere. *Gilbertus ſerm.* 147.

Ubi Amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. *S. Bern. ſerm.* 85. *in Cant.*

Petre amas me? *Joan.* 21. Interrogatur amor, & imperatur labor, quia ubi eſt amor, non eſt labor. *S. Auguſt. in S. Joannem.*

Nihil nihil amantibus durum eſt, nullus difficilis cupientibus labor. *S. Hieron. ad Euſtachium.*

Quare ò Amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor te intra te cohibere non valens, qui præter te aliquid cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te? Dulciter cogis, ſtrenuè ſtringis, ſapienter erudis, glorioſè illaqueas, oneras delectabiliter, feliciter uris. *Idiota lib.* 1. *contemplat. cap.* 4.

Diligam te Dulcis Domine, etſi non pro me, pro te tamen, ut tuo ſatisfaciam deſiderio, deliciarum tibi cauſam ſubminiſtrem, augmentum lætitiæ. *Gilbertus Abbas ſerm.* 20. *in Cant.*

O Ardor amoris mei! O exultatio mea! cur ego non ſum converſus totus in amorem tuum ò dulciſſime JEſu? *S. Bonaventura ſtimulo Divini amoris. cap.* 20.

Sic Deus dilexit mundum &c. Evidens res eſt, quod ſuper affectum filiorum nos dilexit, qui propter nos filio ſuo non pepercit. Et quod plus adeò? Et hoc filio juſto, & hoc filio unigenito,

genito, & hoc filio Deo? Et quid dici amplius poteſt? & hoc pro nobis, id eſt pro malis, pro iniquis, pro impijſſimis. Quis æſtimare hunc Dei erga nos amorem poſſit? nam quantùm ad humanam rationem pertinet, injuſtam rem quilibet homo faceret, ſi pro peſſimis ſervis filium bonum occidiſſet. Sed Juſtitia Dei tanta eſt, ut injuſtum aliquid in eam cadere non poſſit. *Salvianus de Prov. lib. 4.*

Vicit nempe amor potentiſſimum Omnipotentem. *Rich. de S. victore libro de grad. charit.*

Finio has ſententias cum S. Bernardo *ſerm. 4 de Paſſ.* ſic loquente. Domine omnes divitias, & præeminentes tuas actiones, & opera conſideravi. Sed ſuper omnia conſideratio tuæ ſacratiſſimæ Paſſionis cor meum pupugit. Eſt enim ſummè doloroſa, & ſummè amoroſa. Unde ita punctus & compunctus ſtatui neque cor, neque linguam ad alia adhibere, quàm ad te amandum, quàm ad gratias tibi agendas, quàm ad amori tuo ſacratiſſimo, quicquid in me rationem boni habere poteſt, tibi conſecrandum.

HISTORIÆ.

§. I.

Amor Divinus admirabilis, & ſtupendus.

OPtimè ait Thomas de Kempis de Imitat. Chriſti lib. 2. cap. 1. *Frequens illi viſitatio cum homine interno, dulcis ſermocinatio, grata conſolatio, multa pax, familiaritas ſtupenda nimis.*

Eſt charitas nimia. *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos.* Ad Ephes. 2.

S. Maria Magdalena de Pazzis exclamabat; *O Deus! ô amor! ô Domine mi! ceſſa, ceſſa tantopere amare. Amor, quo hanc creaturam amplecteris, nimius eſt, & ille, quo te creaturæ diligunt, nimis exiguus. Non eſt quidem nimius pro immenſo amore tuo, quem erga homines habes, eſt tamen immodicus pro creatura tam vili, & abjecta, quæ vicem tibi non rependit.* Vita.

S. Catharinam Senenſem Chriſtus frequentiſſimè inviſebat familiaritate prorſus ineffabili; cum ea deambulabat, & pſalmos recitabat, quos (cùm ſancta ne legere quidem anteà poſſet) divinitus didicit, quia id à ſuo ſponſo precibus petivit. Eidem cor ſuum Chriſtus dedit, ſtigmata vulnerum ſuorum impreſſit, ſed non cruenta. *Vita.*

B. Stephana Ordinis S. Dominici à ſacra Synaxi domum reverſa, & ante Crucifixi imagi-

nem

nem proſtrata *ô Domine*, inquit, *ergóne tuum amorem elargiri non vis? alium amorem omnem reſpuo, te ſolum amare deſidero.* Et ecce rem miram! Chriſti imago revulſis è cruce brachijs amplexu illam dignata eſt, tantóque cor eius amoris igne accendit, ut quadraginta dein dies nulla potione, nullo cibo, ſed ſola Evchariſtia vixerit. *Pennequin in Iſagoge ad amorem Div. parte 2. cap.* 10.

S. Antonio de Padua adfuit Chriſtus forma venuſtiſſimi Infantis, qui primò inſedit libro, dein ſe in ulnas eius inſinuavit ſuaviter arridens, & blandiſſimè intuitus. *Vita.*

P. Hieronymus Anſaldus è Soc. Jeſu inter ſacrificandum elevari eſt viſus, & nubes lucida ſuper illum deſcendere conſpecta, in qua Chriſtus cor ſuum aperto P. Hieronymi pectori inſeruit. *Nadaſi. 2. Febr.*

P. Antonius Ruyz de Montoya ex eadem Societate, cùm in Concione quadam amorem Divinum ſuis imprimere ardore inſigni conatus fuiſſet, & inde domum reverſus Deum in cubiculo oraret; ſuis ut in auditoribus magnum ſui amoris ignem accenderet: vidit Chriſtum ſacro ſui lateris vulneri ipſum admovere, ac inde ſe guttas legere, ut parvuli lactis guttulas ſugunt. *Annuæ Peruanæ Coll. Limenſis* 1652.

P. Alphonſus Eſquera de Chriſti doloribus cogitans videbatur ſibi ab illo amplexu ſtringi; ita ut Chriſtus Alphonſum totum imbiberet, ac

videretur intra ſe condere. *Ann. Tolet. Coll. Complut.* 1637.

In Profeſſorum domo Romæ Joannes Tibaldus adjutor cùm aliquando ſuæ conſcientiæ examen inſtitueret; Chriſtus veluti ad confeſſiones excipiendas in ſede compoſitus Joanni ea, in quibus defecerat, ſuggerebat, & hortabatur, ut ſe in illis emendaret; remedijs quoque adhibitis, quæ illi explicabat, Joanne intereà mille delicijs delibuto, & dicente *non amplius Domine, non amplius Domine, quia emorior.* Nadaſi 16. Martij.

P. Joannes Sanchez eiusdem Societatis auditus eſt dicere tantis ſe amantis Dei perfundi delicijs; ut ſi omnes mundi voluptates, quæ ſunt, & fuerunt, in unum cumulum conflarentur, eárumque ſenſus perpetuaretur in annorum decurſus innumerabiles; omnes illas præ ſuis, quibus vel unius quadrantis ſpatio fruebatur, libentiſſimè contemneret. *Pennequin in Iſagoge parte* 1. *cap.* 21. *num.* 15.

Cum B. Angela de Fulginio in lectulo jaceret proſtratis à morbo viribus; ei ſe Chriſtus viſendum præbuit, dixitque. *Ego venio ad ſerviendum tibi, & ſacris meis manibus miniſtrandum.* Bollandus 4. Januarij.

S. Claræ de monte Falco Chriſtus modò è ſinu matris oſculum ferebat; modò ſeipſum manibus proprijs præbebat; & reficiebat pane illo, qui ipſus è cælo deſcendit. *Joan.* 6. Modò mendicum induens ſtipem à dilecta petebat: modò

modò Agnelli candidiſſimi forma Virgini colludebat : modò cum cruce ſponſi habitu aderat, & cruci locum in corde depoſcebat. Unde dein lapides tres in corde defunctæ inventi fuere, & omnia SS. Paſſionis inſtrumenta cordi inſculpta. Vita.

S. Mechtildi poſt S. Communionem Chriſtus hæc clarâ voce dixit. Mechtildis *ego in te, tu in me, & in æternum non derelinquam te.* O ineffabilem amorem! *Ego in te!* ô dilectionem incomparabilem: *Tu in me!* ô beneficium ſuper omne beneficium. *In æternum &c.*

Cùm S. Gertrudis quadam vice Chriſto diceret *Domine offero tibi ac parata ſum pati quidvis, quo tu lauderis*; audijt ab eodem *meus amor adeò intrinſecè tibi conjungitur, ut nolim ſine te vivere: quia ex quo in te meum amorem collocavi, ſuſtinere nequeo, ut ſeparer à te.* Vita Gertrud. lib. 3. cap. 5.

§. II.

Actus amantium Dei rari, & mirabiles.

REfero mi Lector actus amoris Divini extaticos quaſi, & pias quaſdam inſanias, ut S. Bernardus nominat. Hos ſi imitari tibi non placet, nec animus ad ſuprema eniti; admirare ſaltem, & tuam inertiam increpa; quæ cùm montium ardua horreat juga, in ipſis etiam vallibus ſerpit pigra, & tepido amoris, & ignis Divini cinere contenta, frigidiſque ſu-

ſpirijs non conatur flammam excitare, qua felix anima incaleſcat. Saltem à longè non pigeat ſequi eos, quos non poſſumus aſſequi.

Conjecit ſe B. Jacoponus ex amore Dei in locum, quem audire nolint honeſtæ aures; cúmque ei apparens Chriſtus diceret, eum inſanire quod iſtic conſiſteret; auſus eſt reponere, illum magis inſaniviſſe, quando infamem in cruce mortem ſubierat, ídque nudus coram innumera multitudine, & pleno meridie propter Jacoponum, cæteróſque homines. Vita.

Idem ex amore Chriſti deſiderabat ſuſtinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores, & dolores, qui verbo exprimi aut animo concipi poſſunt. Quinimo poſt hanc vitam trudi in infernum, ut ibi ſua, & hominum etiam damnatorum, & dæmonum (ſi fieri poſſet) peccata lueret, & expiraret. *Corn. à lap. in cap. 32. Exod.*

Ego do me tibi totum, & pluſquam me totum, & ex toto corde meo, & pluſquam toto. S. Anſelmus. At quis plus quàm ſe totum, & plus, quàm ex toto corde poteſt dare? ſed *quod fieri non poteſt, hoc facere vult amor.* S. Bonavent. Stim. Am. Div. cap. 20.

Domine Deus ita diligo te, ut ſi Deus eſſem, & tu Auguſtinus, vellem ſortem inter nos commutare, & ego Auguſtinus eſſe, ut tu Deus eſſes, quid hoc? quàm verum illud S. Dionyſij Areopagitæ *vivere amorem exceſſibus.* Et illud *ſignum veræ charitatis eſſe altiſſima deſideria.* Optimè

mè Sapiens Prov. 21. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia.*

Quod clariſſimè probat idem Juſtus, cùm amans exclamat *Domine utinam omnia corporis oſſa forent lampades aureæ, & ſanguis omnis per venas, perque membra diffuſus balſamum foret, & lampades arderent, & balſamum conſumeretur in tui ſolius honorem, ſicque totum in holocauſtum tibi conflagraret Auguſtinus?* Cui dein Chriſtus *ánne quidquam faceres amplius?* Excepit ſanctus, *ſi & venæ meæ omnes, & nervi vincula forent aurea, te utique cordi meo alligarem & æternùm quidem.* Adhæc tertiò illi Chriſtus, *& majorem inſuper à te amorem exigo, & illum mihi dona.* Cui Auguſtinus reddidit illud paradoxon, & adynaton, quod ante relatum eſt Domine Deus &c. dixit, & amore victus obticuit. *Roſignolius de Diſcipl. Chriſt. lib. 7. cap* 20.

Non mirum eſt cor adeò amans tam ferventis Seraphini ſedes, & domicilium admirabilis amoris à morte in cineres non fuiſſe redactum, ſed quatenis aræ impoſitum ſubſilire, & palpitare. Ad quod mirandum ſpectaculum infinita confluit hominum multitudo. *Silveſter Petra ſancta Tharmiſia tomo 3. cap.* 12. *Englgrave in cælo Empyreo. pag.* 513.

Audiamus S. Paulum amantem, cùm ad Rom. 8. ait. *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti tribulatio, an anguſtia &c. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* In quæ verba S. Chryſoſtomus *O animum furentem*

inſania! ſed quæ ſobrietatem pariat: omnia quæ in cælo, ſub terra, quæ in terra, quæ ſuper cælos ſunt, viſibilia, & inviſibilia pro amore Chriſti tranſcendens nihil eſſe æſtimabat, unum metuebat, ne à charitate Chriſti excideret.

B. Stanislaus Koska eo ardebat amoris igne, ut linteolis aqua frigida madentibus pectus æſtuans debuerit refrigerari. Factum eſt hoc ſæpiùs, & vix mitigata flamma, quæ intus urebat, vita retenta eſt; ne amatoria inter ſuſpiria dilaberetur: nec tamen flumina charitatem obruere potuerunt, quæ Stanislaum ſublatum à nobis in cælum intulit. *Vita.*

In S. Catharina Senenſi amoris Divini vis tanta fuit, ut cor virginis à ſummo uſque deorſum crepuerit, ruptiſque vitalibus venis ſolâ vi Divini amoris Spiritum reddiderit. *Surius* 29. *Aprilis.*

Joannes major gravis Theologus refert puellam tredecennem ea amoris divini vehementia exæſtuâſſe, ut cordis ſui ſinu diſrupto expirârit. Ut verò inuſitatæ mortis cauſa innoteſceret, Divinus amor huic cordi auratis litteris hæc inſcripſit, *ſic diligo mi Ieſu te, ut diligam te pluſquam me.* Englgrave feſto Aſſumpt. B. Virg. §. 2.

Seraphico telo ſaucia S. Tereſia tota quantà fuit, ſub amore meruit, ut non tam vixiſſe quàm amâſſe, nec tam amâſſe, quàm in amorem verſa videatur. Incredibile propè eſt legentibus, tanto charitatis Divinæ incendio parem

rem fuiſſe fœminam adhuc mortalem; ſed ne diu miraculum eſſet, tranſijt ad immortales: quod ut liquidò omnibus conſtaret, non frigida morte, ſed in ſummo æſtu amoris à nobis abijt. *Vita, & Lancicius Opuſc.* 4. c. 5.

Maria Ragia Monialis S. Dominici, tertij Ordinis cupiebat articulatim toto corpore incidi, mergi ſanguine, & ita vitam ponere; quam dein ſingulis momentis redditam toties poſſet repetitis ijsdem cruciatibus uſque ad diem judicij amori, & honori Divino rependere. *Vita c.* 14.

Ulterius progreſſa eſt votis ſuis S. Catharina Bononienſis, quæ ajebat, *Deus ſcit, qui æſtus amoris me accendit, me ſæpius cum lacrymis, ſuſpirijs, comparatáque ad patiendum voluntate illi ſupplicâſſe, ut mihi hanc faceret gratiam; ſi per meam ad inferos relegationem, & condemnationem honori gloriæque illius aliquid poſſet accedere, mihi ipſe in profundiſſimo inferni loco ſedem præpararet; in quem ego totius orbis peccatrix maxima, & abominabiliſſima recluderer, & tanquam jocus omnium carnificum malleis expoſita tormenta omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, meo corpore exciperem. Ego ex cordis mei intimo affectu & re conſultata, verbísque ad trutinam libratis offero me continuò ad has pœnas ſubeundas; plus inde capiens voluptatis, quod inferno exhauſto nullæ amplius blaſphemiæ in Deum erumperent, & ex tot animarum redemptione, quæ Deum æternis laudibus efferrent, quàm de mea unius ſalute.* Vita & Pennequin in Iſagoge part. 1. cap. 19. num. 6.

S. Philippus Nereus die Pentecoſtis tantis a-

moris incendijs æſtuavit, ut una è coſtis violento cordis motu fuerit fracta. *Vita.*

P. Stephanus Tuccius è Societ. Jeſu adeò ardebat amore Divino, ut libenter uſque ad ſupremam orbis diem purgantes illas, acerrimásque flammas, quas aſſiduè omnes deprecamur, ultrò depoſceret, ſi modò id gratum eſſe, DEO ſuo amori ſuſpicaretur. *Ro cap.* 1. *lib.* 1.

Amor, quo P. Bernardus Colnagus ejusdem Soc. ardebat, ingentes illi animos addidit, ut nihil non auderet Dei gratia aggredi; nulla formidaret pericula, ad nullos paveſceret adverſos caſus; nullis frangeretur laboribus; nullis animarum lucris ſatiaretur; non ſicca morte, ſed cruenta pro Deo mori efflictim peteret. Ad hæc tribuendum Divinæ charitati eſt, quòd, quicquid infra Deum aut Divina eſſet, deſpectui habeat, ideóque caduca ſpernatus omnia uni Deo affixam perpetuò mentem habebat pervigil, & apertis auribus, oculiſque ſponte cæcus, & ſapienter ſurdus audire, videréque nihil videbatur. Cæleſtibus nimirum amoribus extra ſe raptus Seraphino propior erat, quàm mortali. Satis erat vel pauculis verbis in communi ſermone modicam facere Dei mentionem; & jam ſcintillabant oculi, ardebat vultus, lingua, manus, pedes geſtiebant, exultabat cor, verbo totus Bernardus ſui erat impos. *Vita lib.* 2. *cap.* 3. *§.* 1. *&* 2.

S. Gertrudis optabat amoris igne colliqueſcere, & ad inſtar liquoris odorifici ad pedes Chriſti irrorandos effundi.

S. Fran-

S. Franciſcus Saleſius flammis Divini amoris æſtuans ob harum vehementiam vita periclitatus Deum rogare coactus eſt, ut incendia illa ſiſteret, & æternitati reſervaret. *Vita.*

Carolus Condren Congregationis Oratorij in Gallia ſecundus Generalis ijs amoris Divini flammis arſit, ut eas ferendo impar palpitationem in reliquum vitæ contraxerit, ardoriſque illius vehementia duas coſtas extra locum connaturalem elevarit, tumore aliquo ad pectus prominente hujus rei fidem faciente. *Pennequin. part. 2. cap. 11. num. 6.*

FRUCTUS.

PRimus. *Amor probat Chriſtianum. Qui plus amat Dominum, quàm timeat gehennam, ut etiamſi illi dicat Deus, utere delicijs carnalibus, quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, mecum tantùm non eris: ſi exhoreſcat, & omninò non peccet, non ideò, ut in illud, quod timebat, non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat, verè ipſe eſt Chriſtianus.* S. Auguſtinus de Catechiz. rudibus. cap. 10.

Secundus. *Intentio ex amore Divino puriſſima. O amor hic ſanctus* (exclamat S. Bernardus de diligendo Deo) *& caſtus & dulcis, & ſuavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior, & purior, quò in ea de proprio nihil admixtum relinquitur; & ſuavior & dulcior, quod totum Divinum eſt, quod ſentitur. Alioquin quomodo*

moris incendijs æſtuavit, ut una è coſtis violento cordis motu fuerit fracta. *Vita.*

P. Stephanus Tuccius è Societ. Jeſu adeò ardebat amore Divino, ut libenter uſque ad ſupremam orbis diem purgantes illas, acerrimásque flammas, quas aſſiduè omnes deprecamur, ultrò depoſceret, ſi modò id gratum eſſe, DEO ſuo amori ſuſpicaretur. *Ro cap.* 1. *lib.* 1.

Amor, quo P. Bernardus Colnagus ejusdem Soc. ardebat, ingentes illi animos addidit, ut nihil non auderet Dei gratia aggredi; nulla formidaret pericula, ad nullos paveſceret adverſos caſus; nullis frangeretur laboribus; nullis animarum lucris ſatiaretur; non ſicca morte, ſed cruenta pro Deo mori efflictim peteret. Ad hæc tribuendum Divinæ charitati eſt, quòd, quicquid infra Deum aut Divina eſſet, deſpectui habeat, ideóque caduca ſpernatus omnia uni Deo affixam perpetuò mentem habebat pervigil, & apertis auribus, oculiſque ſponte cæcus, & ſapienter ſurdus audire, videréque nihil videbatur. Cæleſtibus nimirum amoribus extra ſe raptus Seraphino propior erat, quàm mortali. Satis erat vel pauculis verbis in communi ſermone modicam facere Dei mentionem; & jam ſcintillabant oculi, ardebat vultus, lingua, manus, pedes geſtiebant, exultabat cor, verbo totus Bernardus ſui erat impos. *Vita lib.* 2. *cap.* 3. §. 1. & 2.

S. Gertrudis optabat amoris igne colliqueſcere, & ad inſtar liquoris odorifici ad pedes Chriſti irrorandos effundi.

S. Fran-

S. Franciſcus Saleſius flammis Divini amoris æſtuans ob harum vehementiam vita periclitatus Deum rogare coactus eſt, ut incendia illa ſiſteret, & æternitati reſervaret. *Vita.*

Carolus Condren Congregationis Oratorij in Gallia ſecundus Generalis ijs amoris Divini flammis arſit, ut eas ferendo impar palpitationem in reliquum vitæ contraxerit, ardoriſque illius vehementia duas coſtas extra locum connaturalem elevarit, tumore aliquo ad pectus prominente hujus rei fidem faciente. *Pennequin. part. 2. cap. 11. num. 6.*

FRUCTUS.

PRimus. *Amor probat Chriſtianum. Qui plus amat Dominum, quàm timeat gehennam, ut etiamſi illi dicat Deus, utere delicijs carnalibus, quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, mecum tantùm non eris: ſi exhoreſcat, & omninò non peccet, non ideò, ut in illud, quod timebat, non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat, verè ipſe eſt Chriſtianus.* S. Auguſtinus de Catechiz. rudibus. cap. 10.

Secundus. *Intentio ex amore Divino puriſſima. O amor hic ſanctus* (exclamat S. Bernardus de diligendo Deo) *& caſtus & dulcis, & ſuavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior, & purior, quò in ea de proprio nihil admixtum relinquitur; & ſuavior & dulcior, quod totum Divinum eſt, quod ſentitur. Alioquin quomodo*

do Deus erit omnia in omnibus, ſi in homine de homine quicquam ſuperſit. Hæc ille.

Tertius. *Jugis memoria amati. Beatus, qui ſemper in ſeipſo Dei memoriam colit, erit enim totus velut Angelus cœleſtis in terra, cum reverentia, & amore ſacrificans Domino.* S. Ephrem. in beatit. *Non eſt patiendum, ut aſſidua de Deo cogitatio ex animis noſtris elabatur; agendúmque aſſiduè, ut ex perpetua recordatione impreſſam cordibus noſtris piam de Deo cogitationem velut indelebile ſignum circumferamus.* S. Baſilius in reg. ſuſ. Ex his ſequitur

Quartus. *Oblivio rerum creatarum &c. Quisquis verè Deum amat, poteſtne præter illum amare rem ullam creatam, & eâ ſe occupare?* S. Bernard.

O quanta conſolationis eſt amare Deum, & præter Ipſum nihil amare! & amare plus quàm ſeipſum! amare, quantùm amant Seraphini! amare, quantùm amari debet! S. Franciſcus. Miratur S. Philippus Nereus, cùm quærit, *Poteſtne fieri, ut homo, qui Deum credit, poſſit aliud præter Deum amare?* S. Mechtildis in extaſin rapta vidit ſponſum ſuum, eúmque ſe compellantem audivit, *amáſne me plus his omnibus, quæ in mundo ſunt?* reſpondit illa: *Tu ſcis Domine, quia ego amo, & nullam creaturam eſſe, quam amore tui non libenter deſero.* Interrogavit rurſum Chriſtus: *Mechtildis amas me, ut pro me omnes labores, & tormenta ſubire parata eſſes?* ſubjecit illa, *Proba me Domine, tu ſcis, quia nullus cruciatus eſt, qui me poteſt ſeparare à te.* Rogavit illam tertiò, *Mechtildis, ſi tormenta eſſent atrociſſima, eſſéſne parata amore mei alacriter, &*

promptè tolerare? Reſpondit hæc *promptiſſimè*: quæ deſideria ita placuêre Deo, ut tanti fuerint meriti, acſi de facto omnia fuiſſent in opus redacta.

Quintus. *Cupiamus diſſolvi & eſſe cum amore noſtro.* P. Vincentius Caraſa Septimus Societ. Jeſu Generalis *lib.* 2. *vita c.* 11. ſic ſuſpirat: *O conflagrem! ô liqueſiam amore Dei mei! ô utinam moriar præ Domini Jeſu mei amore! ô anime mi, quis te adeò beatum efficiet, ut confeſtim ex hac ærumnoſa vita, aut morte potius evoles in cœlum, in Deum, ut eum clarè intuearis, & tantùm adames, quantùm anima corpore ſoluta! corpore heu! quod amore huic noſtro tantoperè officit!*

Ambroſius à JESU notæ vir ſanctitatis inter dicendum de charitate ſolitus erat poſt crebros ſingultus, ac ſuſpiria expalleſcere, languere, deficere: imò & votum ejus erat, in eo amoris æſtu vitam ponere. Et ſanè poſuit annuente votis cœlo. Cùm enim in hæc verba eniſus *Age bone Jeſu, dulcis amor cordis educ vinctum amore tuo animum, debitum tuæ charitatis triumphum*, deprompto Crucifixi ſigno, quod habebat in manica, dum ſeſe totum ardori permittit, deficit, atque expirat inſolens, & maximè excellens charitatis victima. *Joan. Ro in var. Hiſtor.*

S. Thereſia in feſtis Paſchalibus, cùm audiret ſuaviſſimæ cantilenæ modulos animæ ad conſpectum Dei, ac Sponſi anhelantis & dicentis: *Videant te oculi mei dulcis Jeſu, videant te, & hic moriar, ut te fruar*; viribus defecit, & extra ſe rapta ſemimortua in cellam deportari debuit. *Vita.*

Con.

CONSIDERATIO VI.

DE GLORIA COELESTI.

Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.

Quid lego?
Æternum gloriæ pondus operatur.
Si eſt gloria;
Quomodo pondus operatur, cùm hoc deprimat,
Gloria verò elevet, & evehat?
Si eſt pondus;
Quomodo in ſublimitate operatur gloriam?
Cùm pondus ſublime non petat.
Sed nunquid jugum Chriſti ſuave, & ejus
onus leve? *Matth.* 11.
Num avi pennæ ſunt pondus? has velut onus
extrahe, & hæc in terra ſerpet ſibi absque
ſuo pondere gravis:
Redeat pondus, pennæ redeant, avis ſuperna
petet, ab ipſo ſuo pennarum pondere
in aëra ſublevata.
Chriſti ſarcina ſublevat te: aliæ ſarcinæ
pondus habent,

Chri-

Chriſti ſarcina pennas habet. *S. Auguſt.*

Sarcina Chriſti tribulatio eſt, crux eſt,
Elevatur, qui cruci affigitur.
Sed cum dolore momentaneo, levi: at quàm
pretioſo?
Emitur paupertate regnum, dolore gaudium,
labore requies, utilitate gloria, morte
vita. *S. Auguſt.*

Latet gloria, abſcondita eſt in tribulatione; in
momentaneo latet æternitas, in hoc levi
pondus ſublime! *S, Bern.*

Verè pondus ſublime!
Cui non ſufficiunt beati, pares agendo non ſunt,
ferendo ſolùm ſunt dextra Domini
exaltante.
Intrant in gaudium Domini, non eos in-
trat gaudium;
Cordis anguſtijs tantum gaudium coarctari
non poteſt.
Immerguntur mari deliciarum, cujus ipſi
capaces non ſunt.
Menſuram ſupereffluentem dabunt
in ſinum veſtrum. *Luc. 6.*

In hoc gloriæ pondere eſt torrens voluptatis, flu-
minis impetus, torrens inundans lætitiæ,
flumen gloriæ, flumen pacis. *S. Bern.*

Ipſa planè lætitia, vita, gloria, pax, voluptas,
amœnitas, felicitas, jucunditas, exul-
tatio. *Idem*

Et hæ ipſæ ſunt nonniſi ipſe Deus.
Quoniam Deus erit omnia in omnibus.
1. Cor. 15.

O quàm ſublime, dulce gloriæ pondus,
Ipſe DEUS!

Verè hoc ſublime gloriæ pondus ſupra modum operatur.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe. 1. *Cor.* 2.

At qua ratione ſuis amicis præparavit, & diſpoſuit regnum? *Luc.* 12.

Quantum debet illud eſſe, quod tanti ipſi Deo ſtetit?

Quod illi tanti ſumptus fuit? certè non minoris, quàm auctoritatis, vitæ, paſſionis, omnipotentiæ ſuæ.

Univerſus orbis nullius ſumptus Deo fuit, niſi unius vocis leviſſimæ:

Verbo fecit illum. *Gen.* 1.

Ut verò in gloriam ſuam intraret, & ad eam ſuis aditum faceret, & elevarentur portæ æternales. *Pſal.* 23.

Opprobrijs, paſſione, & morte opus fuit.

Clamavit voce magna, & inclinato capite emiſit ſpiritum. *Luc.* 23.

Vir dolorum, & ſciens infirmitates. *Joan* 19.

Quanta igitur debet eſſe gloria, quæ ipſi Deo tanti ſtitit?

Verè magnum Eccleſiæ Lumen ait *S. Aug.*
Illud, quod præparaſti Deus diligentibus te, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria, ac vota transgreditur, acquiri poteſt, apprehendi non poteſt.

Quis

Quis illud explicet, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus?* *1. Ioann. 3.*

Facilius inveniemus in cœlo, quid ibi non ſit, quàm quid ſit.

In eo non eſt dolor, non triſtitia, nulla penuria, nullus defectus, non morbus, non mors, non ullum malum.

Et his ipſis carere, maximum bonum eſt.

Et his ipſis carere, in cœlo minimum bonum eſt.

Tranſcendunt omnia alia vota.

In cœlo eſt, quicquid amamus, quicquid deſideramus. *Hugo de S. Vict.*

Quàm deſiderabile bonum eſt mutua omnium Beatorum charitas, & exinde mutuum gaudium, quo quisque non ſua modò, ſed ſingulorum quoque gaudet beatitudine, ut ſua.

Triumphat igitur cum omnibus,
in omnibus, non ſemel
beatus, ſed millies
millies, millies,
millies.

Quàm immenſa felicitas pax eorundem, & mentis pleniſſima ſecuritas, ſenſuum quies inexplicabilis, tranquillitas imperturbabilis, inenarrabilis!

Quàm ineffabilis lætitia &c. omnium rerum deſiderabilium ſupereffluentiſſima ſuperabundantia!

Si delectat pulchritudo; fulgebunt juſti ſicut Sol. *Matth. 13.*

Digitized by Google

Quantum decus, quantæ deliciæ habitare in
ſplendoribus tot Sanctorum? *Pſal.* 109.
Micare inter tot Soles, nec horum luce
obtundi, hebetari, obrui?
Ut modò Sol minora ſidera ſuis radijs ſepelit.
Lucent innumeri Sancti, ut Sol fulgent omnes.
Cuncti micant, ſinguli emicant.
Cùm ſinguli inter omnes ut Sol in virtute
ſua luceant. *Apoc.* 1.
Singuli ſunt Sol, vas admirabile, opus Excelſi.
Magnus Dominus, qui fecit ſingulos. *Eccl.* 43.
Abraham laudatur, quia non eſt inventus
ſimilis illi, *Eccl.* 44.
Qui conſervavit legem Excelſi.
De Sanctis Eccleſia canit. Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervavit legem Excelſi.
Singuli videlicet lucent in virtute ſua,
Peculiare quid habent in cuſtoditis ſermonibus Domini. *Pſal.* 118.
O quam ſpecioſa eſt ſponſa Agni cœleſtis
Jeruſalem! *Apoc.* 21.
Aſſiſtit Regina à dextris circumdata varietate.
Pſal. 44.
O varietas
In unam conveniens Unitatem, & decorem!
O Unitas
Sibi pulcherrimè, & gratiſſimè diſſimilis!
O quàm beatus
Cui licebit hanc æternam contemplari diſſimilitudinem!
O quàm beatus

Cui

Cui licebit in hac diſſimilitudine admirari venuſtatem!

Audire in hac diverſitate vocum harmoniam concordem, & ſuaviſſimam!

Si delectent puritas, fortitudo, velocitas? Æquales ſunt Angelis Dei. *Luc.* 20.

Si Satietas? ſatiantur, cùm jam appareat Gloria Domini. *Pſal.* 16.

Inebriabuntur ab ubertate domus, torrente voluptatis potabuntur. *Pſal.* 35.

Si odorum ſuavitas recreat? Sancti tui florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.

O quanta ſuavitas, ubi tot lilia, tot odores balſami non miſti jugiter ſuaviſſimè halant! *Eccl.* 24.

Si poteſtas deſideratur? introibunt in potentias Domini. *Pſal.* 70.

Omnipotentes erunt voluntatis ſuæ, uti Deus ſuæ. *Hugo Victor.*

Nam ſicut poteſt Deus, quod volet per ſeipſum, ita poterunt Sancti, quod volent per ipſum.

Si divitiæ, & honor arrident? ſuper omnia bona ſua conſtituet eos Dominus. *Matth.* 24.

Gloria, & honore coronavit eos, fecit eos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo, *Pſal.* 8. & regnabunt ſuper terram. *Apoc.* 5.

Si ſapientia placuerit, erunt omnes docibiles DEI. *Joan.* 6.

O felices diſcipuli hoc Magiſtro!

Quid dicam de viſione beatifica?

Digitized by Google

Neſcit talpa ſolem, noctua diem illuſtrem:
Quid ergò terræ vermiculus, terræ filius de hac loquar?
O JEſu
Lux mundi, Agne lucerna ſupernæ civitatis *Apoc.* 21.
Illumina oculos cæci nati, illuſtra faciem tuam ſuper me. *Joan.* 9. *Pſal.* 130.
Quid memorem de illo Signo magno?
Muliere amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus? & in capite ejus corona ſtellarum duodecim? *Apoc.* 12.
Quantum hæc eſt gaudium omnium Cœlitum?
Sol hic poſt Filium ſuum cœlum illuminat univerſum, omnes lætificat ſtellas, accendit ſoles.
O civitas DEI! ô Mater?
In te natus eſt Homo, & te fundavit Altiſſimus, nunc omnium lætantium habitatio eſt in te. *Pſal.* 86.
O Eſthere felicior!
Formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium Sanctorum oculis grata, & amabilis videris, & videberis æternum decus cœli, & delicium. *Eſther.* 2.
O Judithâ fortior!
Tu gloria Jeruſalem, lætitia Iſraël, honorificatio populi honorificati, plenitudinis Sanctorum. *Judith.* 15. *Eccli.* 24.

O quan-

O quanta felicitas Matris pulchræ dilectionis eſſe filium? *Ibidem*

Eadem cum Filio Dei, & Virginis gaudere Matre?

Eidem ſemper gratiſſimum, & familiariſſimum adeſſe?

Ab eadem amari, eadem frui æternùm?

Quid eloquar de omnimoda poſſeſſione omnis Boni?

O beatiſſime Moſes jam oſtenditur tibi omne bonum, jam gaudes, jam frueris omni Bono. *Exod.* 33.

O bonum digniſſimum, pro quo omne bonum ſpernatur!

Omnis labor aſſumatur! omnis dolor exantletur!

O Beati

Merces veſtra magna eſt nimis, nimis, nimis. *Gen.* 15.

Deus veſter eſt. Ego ero eis in Deum. *Zach.* 8.

Ipſe, ipſe Deus eſt merces.

Plus loqui non poſſum, cùm plùs concipere non poſſim.

O Beati

Liceat aliquando vobiſcum guſtare, & videre, quàm ſuavis ſit Dominus; *Pſal.* 33.

Neque tamen tùm potero eloqui, cùm non ſit ſermo ſufficiens de *Ineffabili*.

Sed

Quamdiu hoc momentaneum operatur pondus gloriæ?

Æternùm.

Beatorum pauperum ſpiritu eſt regnum cœlorum *Matth. 5.*

Æternùm.

Beati qui lugent, conſolabuntur *Ibidem.*

Æternum.

Beati mundo corde, qui Deum videbunt *Ibidem.*

Æternùm.

Quid tam longum, quàm quod æternum eſt? Quid tam longum, quod nullo fine præciditur? *S. Bernard.*

O verus dies, qui non habet occaſum!
Æterna veritas, vera æternitas, ac proin vera, æternáque ſocietas, felicitas, vita!
O vera æternitas quid eſt te poſſidere?
Quid eſt te amittere?
Quare ô anima mea!
Suſpice cœlum, clama, vociferare.
Quàm dilecta tabernacula Domine virtutum!
Cor meum, & caro mea exultant in Deum vivum. *Pſal. 83.*

Ob hanc felicitatem ſi oporteret te quotidie tormenta perferre; ſi ipſam gehennam longo tempore perferre, ut Chriſtum in gloria ſua videre poſſes, & Sanctis ſociari: nónne dignum eſſet pati omne triſte, ut tanti boni, tantæque gloriæ particeps efficiare. *S. Aug. in Manuali cap. 15.*

SEN-

SENTENTIÆ.

Quàm magna eſt domus Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus. *Baruch.* 3.

Hæc eſt illa menſura, quæ eſt ſine menſura. Quod exſpectamus à Deo, non eſt niſi DEUS. *S. Bernard. in Pſal.* 90.

Vidi ſanctam Jeruſalem novam, & erat ſtructura ejus ex lapide Jaſpide, plateæ ejus aurum mundum. *Apoc.* 21.

Per vicos civitatis Alleluia cantabitur. *Tob.* 13.

Mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. *Apoc.* 7. & 21.

Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. *Apoc.* 7.

Quid ibi deeſſe poteſt, ubi Deus eſt, cui nihil deeſt. *S. Aug. lib.* 1. *de ſpiritu & anima.*

Eſt lux ſuper omnem lucem, quam non capit oculus, vox ſuper omnem vocem, quam non capit auris; odor ſuper omnem odorem, quem non capit naris; dulcor ſuper omnem dulcorem, quem non capit guſtus; amplexus ſuper omnem amplexum, quem non capit tactus. *Idem in ſoliloq. cap.* 31.

A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparâſti exſpectantibus te. *Iſaiæ* 64.

Qualis ſit hæc gloria futura, & quibus divitijs

floreat, quantóque ſplendore fulgeat, laudare poſſumus, explicare non poſſumus. *S. Aug. ſerm. 1. de verb. Dom.*

Extendat anima cupiditatem, & ſinu capaciore quærat comprehendere, quod nec oculus vidit, nec auris audivit. Deſiderari poteſt, concupiſci poteſt, ſuſpirari poteſt: tamen illud dignè cogitari, & verbis explicari non poteſt, quia procul dubio plus futurum eſt, quàm dici poteſt. *S. Auguſt. tract. 34. in Joan.*

Sermone explicari non poteſt, quare demonſtratur. Venite, & videte. *Ven. Beda in S. Ioan.*

Si mi Domine pro hoc corpore ignobili, & corruptibili tam magna, & innumera beneficia præſtas à cœlo, aëre, à terra, & mari &c. qualia quæſo, & quàm magna, & innumerabilia erunt bona illa, quæ præparâſti diligentibus te in illa cœleſti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? ſi tantùm nobis facis in carcere, quid ages in palatio? ſi tanta ſolatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? *S. Aug. ſoliloq. cap. 21.*

Quæ bona in ea vita fecit eos ſumere, pro quibus in hac miſeria unigenitum Filium ſuum voluit uſque ad mortem mala tanta perferre? *S. Aug. lib. 22. de civit. Dei cap. 29.*

O æterna beatorum manſio, quàm pulchra es! qui cœlum amat, potéſtne amplius hujus mundi inferiora diligere? *S. Cyriacus Epiſcopus Anconitanus.*

Illud, quod præparaſti Deus diligentibus te

Digitized by Google

fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur: deſideria ac vota tranſgreditur; acquiri poteſt, apprehendi non poteſt. *S. Aug. lib. 22. de civit. Dei.*

Tanta eſt pulchritudo Juſtitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, ut etiamſi non liceret amplius in ea manere, quàm unius diei mora; propter hoc ſolùm innumerabiles anni vitæ pleni delicijs rectè, meritóque contemnerentur. Non enim falſo aut pravo affectu dictum eſt, quoniam melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia. Pſal. 83. *Idem lib. 3. de lib. arb. cap. 25.*

O vita, quam Deus præparavit ijs, qui diligunt eam! vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ, vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxietate, ſine corruptione, ſine perturbatione, ſine varietate, & mutatione, vita totius elegantiæ, & dignitatis pleniſſima! ubi eſt amor perfectus, & timor nullus; ubi Deus ad faciem cernitur &c. O vita amore tui langueo! *Idem lib. Medit. cap. 22.*

Magis illud regnum quærendum eſt, ubi non finitur cum poſſeſſore poſſeſſio; ubi quicquid deſiderat animus, dat aſpectus. *Venantius in Orat. Dominica.*

O felix jucunditas & jucunda felicitas Sanctos videre, cum Sanctis eſſe, & eſſe ſanctum: Deum videre, & Deum habere in æternum, & ultra! *S. Auguſt. in Manual. cap. 16*

Si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen eſſet: prætereà gehennam, tormentáque omnia conveniret ſuſtinere, ut videre queas Chriſtum venientem in gloria ſua, & conſcribi ordini Sanctorum. *S. Chryſoſt. ad Theodorum lapſum.*

Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut ſemper tibi præſens ſit, & nunquam ſatieris; imò ſemper ſatieris, & nunquam ſatieris. Si enim dico, quòd non ſatiaberis, fames erit Si dixero, quòd ſatiaberis, faſtidium timeo: ubi nec faſtidium erit nec fames. Quid dicam neſcio. Sed Deus habet, quod exhibet non invenientibus, quomodo dicant. O Iſraël quàm magna eſt domus Domini! *S. Auguſt. tract. 3. in Joan.*

Quando veniet dies lætitiæ, & exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei; ut videam videntem me facie ad faciem, & ſatiaturum deſiderium meum? O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? Putáſne videbo diem illam, diem, inquam, jucunditatis & lætitiæ, dum quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in ea? ô dies præclara, & pulchra! neſciens veſperum, non habens occaſum, in quo audiam vocem laudis, vocem exultationis, & confeſſionis, in quo audiam Intra in gaudium Domini Dei tui: ubi ſunt magna, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Intra in gaudium ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam: ubi erit omne bonum, & non erit omne malum; ubi

ubi erit quicquid voles, & non erit, quicquid noles. O gaudium ſuper gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium; quando intrabo in te, ut videam Dominum meum, qui habitat in te? *Idem ſoliloq. cap.* 34.

Ibi vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus, & laudabimus: ecce quod erit in fine ſine fine? nam quis alius noſter finis, quàm pervenire ad regnum, cujus nullus eſt finis. *Idem de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 30.

Deus erit finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. *Idem loc. cit.*

Regnum cœlorum aliud non quærit pretium, quàm te ipſum. Tantum valet, quantum es tu, te ergò da, & habebis illud. *S. Auguſt. in Manual. cap.* 26.

HISTORIÆ.

ROgârat aliquando Angelicum Doctorem Aquinatem ſoror ejus, quid tandem eſſet cœleſtis gloria? Reſpondit ille, *Antequam tu illam mereare, à nemine quæ ſit intelliges. Ribad. in ejus vita Mart.* 7.

S. Adriano annos 28. nato nondum Chriſtiano obſtupeſcendam Chriſti Martyrum in atrociſſimis tormentis conſtantiam admiranti, & quærenti quid ſe conſecuturos ſperarent tantis malis, quæ ita ſponte ſubirent? *Speramus*, reſponderunt illi, *bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit &c.* Quibus verbis ita accenſus

eſt,

Digitized by Google

eſt, ut Chriſti fidem amplexus ipſe glorioſum certamen pro Chriſto totius corporis membris in fruſta diſſectis ſpectante, & animos addente S. Natalia uxore decertaverit. *Ribad. & Surius* 8. *Sept.*

S. Symphorianum filium, & Martyrem Mater heroina ſic eſt allocuta cùm ad mortem raperetur. *Fili, ò fili mi, eſto vitæ illius memor, quæ tibi parata eſt in cælo; vide ibi, & te ad æternam gloriam invitantem Deum. Neque enim vita tibi ſupplicijs eripietur, ſed in meliorem, beatioremque commutabitur.* Vita 22. Auguſti.

S. Agapitus ardentes prunas capiti impoſitas ſentiens ſic ſe animabat. *Age anime mi, ne grave putes, ſi modò caput ignem ferat, quòd paulò poſt corona redimitum immortalitatis æternùm triumphabit. O præclaram coronam! quàm pulchrè verticem, ac tot acceptis pro Chriſto meo vulneribus inſigne corpus exornabit?* Vita 21. Auguſti.

S. Franciſco quondam ſummo capitis dolore afflicto, & inſuper varijs, ijſque moleſtiſſimis ab humani generis hoſte tentationibus vexato in tantum, ut nullæ humanæ vires ijs repellendis pares eſſe viderentur, vox eſt cælo allapſa. *Age Franciſce, quid videtur tibi? ſi terrarum orbis quantus quantus in aurum, ſi flumina, & fontes in balſamum, ſi rupes & ſaxa in adamantes, aliòsve magni pretij lapillos verterentur. Tu verò theſaurum omnibus his eò pretioſiorem, quo aurum terra, balſamum aqua, gemmæ, ſaxis ſunt, præſtantiorem reperires; iſque ob hos corporis, animique tui labores tibi*

tibi offerretur : nunquid meritò exultares? O Domine, inquit Sanctus, *tanto theſauro dignus non ſum*. Cui vox *ſcito mi Franciſce theſaurum hunc vitam æternam eſſe, quam tibi præparavi, & hæc capitis afflictio, quam toleras tam beati theſauri arrha eſt*. Ex quo tempore Sanctus ita altè cæleſtem gloriam animo defixit, ut ejus perpetua recordatione, quicquid dein laboris, & ærumnarum, quicquid ægrotationis, depreſſionis, & mortificationis vel accidiſſet, vel ultrò acceſſiviſſet, id optatiſſimum prorſus ſibi diceret, atque jucundiſſimum. *Chron FF. Min. to. 1. lib. 1. cap. 51.*

S. Fulgentius Epiſcopus Arianorum perſecutione ſede ſua pulſus cùm Romam appelleret, fortè fortuitò ipſi conceſſum fuit, ut ſpectaret ſplendorem, & gloriam Theodorici Regis triumphantis. Dum igitur unusquiſque ob paludamentorum pompam, ſplendorem purpuræ Regiæ, veſtium elegantiam, equitatus pretioſiſſimis phaleris ſuperbiſſimè ornati multitudinem, Majeſtatem ſenatus Romani, nobilium equitum frequentem numerum, turbam famulorum, populi applauſum, denique per omnia ſuperbiſſimum triumphi apparatum præ maxima admiratione velut ſtupefieret: Sanctus in altiſſimas cogitationes ſublevatus in has voces non ſine profuſis devotè lacrymis prorupit *Quàm ſpecioſa poteſt eſſe Jeruſalem cæleſtis, ſi ſic fulges Roma terreſtris? Et in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis gloria & honor præſtabitur ſanctis diligentibus veritatem? Surius in vita*

vita S. Fulgentij. Hoc eſt, quod alias dixit S. Auguſtinus *lib.* 21. *de civit. Dei cap.* 24. *Quid dabit eis, quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædeſtinavit ad mortem?*

F. Michael à Neapoli Capuccinus morti proximus raptus in extaſin vidit cælum, & ad ſe reverſus ajebat, *Si millies quotidie mors, & acerbiſſima tormenta perferenda eſſent, ut quis ea bona conſequeretur; necdum æquum pretium attingeret. Si quis univerſas mundi hujus delicias, voluptates, pompas, divitias, & quicquid ſub ſole excogitari poteſt præclarum, ingens, magnum, cum cælo conferat minus erit, quàm ſi unica gutta cum immenſo Oceane comparetur.* Annales PP. Cappuccin. anno Chriſti 1580. num. 53.

Unus ex perditis ſpiritibus *apud Cantipratanum lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 67. profeſſus eſt, ſe omnium damnatorum pænas uſque ad mundi finem ſubeundas, ſi in ſe unum congerantur, pro magna felicitate habiturum, ſi ſpes adderetur, poſteà, breviſſimo tempore videndi faciem Dei. Alius *apud Cæſarium lib.* 5. *cap.* 10. dixit, ſi corpus haberet, eſſetque columna è ferro candenti, per quam gradatim poſſet venire in cælum, non deſtiturum ſe per illam eniti; quantumvis acuti cultri eſſent pro gradibus, & quoties evaſiſſet ad ſumma, toties iterum deturbaretur in terram, eáque convulneratio corporis, & miſeranda eluctatio duraret uſque ad mundi finem, ſe non deſtiturum, dummodo ſpem etſi non certam haberet perveniendi tandem eò, unde exciderat.

Fru-

Digitized by Google

Fructus Meditationis de gloria cæleſti indicatus ſententijs Sacris.

S. Maximus Abbas Cyrinenſis propter ſpem æternorum loquebatur in cubiculo ſuo, *O fragilitas humana! exiguum eſt, quicquid agis propter Spem æternam.* Emiſſenus de S. Maximo.

Quanto labore digna eſt merces, quæ non habet finem? *S. Auguſt.*

Vel ſic intelligamus, quantum deſiderari debeat vita illa, quam per vulnera, & intolerabiles labores videmus inquiri: quam cognoſcimus pretio ſanguinis comparari. *Emiſſenus in Natal. Apoſtol.*

Quantalibet ergò pro ſempiterna beatitudine Chriſto offerant Chriſtiani: vile eſt quod datur, ubi tam grande eſt, quod accipitur. *Salvianus lib. 4. ad Eccles.*

Ad tempus laboras, in æternum non laborabis. Brevis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua. Ad modicum pateris, ſine fine gaudebis. *S. Aug. in Pſal.* 26.

Exiguum temporis perituri æternitatis eſt præmium. Devotio tribulationis reddetur ſempiternis fructibus fæcundata. *S. Hieron.*

Audi S. Auguſtinum *in Pſal.* 39. Cùm attenderis quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æſtimabis, pro quibus illud accipias. Nam utique fratres pro æterna requie labor æternus ſubeundus eſſet, æternam feli-

felicitatem accepturus æternas paſſiones ſuſtinere deberes; ſed ſi æternum ſuſtineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Ita fit, ut temporalis neceſſariò ſit tribulatio tua, quâ finitâ venias ad felicitatem infinitam, & appende mille annos, contra æternitatem quid appendis cum infinito quantumcunque finitum? Huc accedit, quia temporalem voluit laborem tuum Deus, ſed etiam brevem; aliquot duntaxat dieculárum eſt tota vita hominis: licèt ergo quis per omne vitæ ſpatium laboribus, ærumnis, doloribus varijs atteratur, carcerem & plagas, famem & ſitim nullo non die toleret, exigui temporis moleſtiam ſubiiſſe dicendus eſt. Pauci dies ſunt tota vita hominis, levis & brevis labor eſt, quo tranſacto Regnum æternum ſuccedet, ſine fine felicitas &c. pro quanto labore quantam mercedem accipimus?

Filioli concupiſcamus in atria Domini, ipſa eſt patria noſtra. Crebrò ſuſpiremus illuc: adoremus ſaltem, & à longè ſalutemus eam. *S. Bern.*

In peregrinatione ſuſpiramus, ſed in civitate gaudebimus. *S. Aug. in Pſal.* 121.

O Patria noſtra! patria ſecura à longè te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis, ſi quo modo ad te perveniamus. *S. Auguſt.*

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 11.

Rapimus ergò cælum, & vim facimus. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed

ſed miſericordia condonatur! quisquis violentior Chriſto fuerit, religioſior habetur à Chriſto. *S. Ambroſ ſerm.* 15.

Si diſſimulat audire, quem rogas; eſto raptor, ut regnum cœlorum accipias: eſto violentus, ut vim etiam ipſis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? quid hac violentia glorioſius? Bona violentia, qua non quæritur lucrum citò periturum, ſed regnum acquiritur ſine fine manſurum. *S. Greg. in Pſal. 6. pœnitent.*

Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. 2. Cor. 5.

Advena ego ſum apud te, & peregrinus. *Pſal.* 38.

Non enim habemus hic civitatem manentem, ſed futuram inquirimus. *Ad Heb.* 13.

Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Si fortè jurgantes viderit, non attendit: ſi nubentes, vel choros ducentes, nihilominus tranſit, & non pertinet ad eum de talibus. Ad Patriam ſuſpirat, ad Patriam tendit; veſtimentum & victum habens non vult alijs onerari. Beatus planè, qui ſuum ſic agnoſcit, ſic deplorat incolatum dicens Domino: Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei. *S. Bernard. ſerm.* 8. *in capite Jejunij.*

Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs 1. *Pet.* 2.

Miſerere mei Domine, quia ad te clamavi tota die, *Pſal.* 85. in quæ S. Auguſtinus, quia tri-

bulatio eſt: & quando benè eſt? totâ die tribulatio eſt. Quia quamdiu in corpore ſumus, peregrinamur à Domino. Quodlibet hic abundet, nondum ſumus in illa patria, quò redire feſtinamus. Cui peregrinatio dulcis eſt, non amat patriam. Si dulcis eſt patria, amara eſt peregrinatio. Si amara peregrinatio, totâ die tribulatio. Quicquid nobis adeſt præter Deum noſtrum, non eſt dulce. Nolumus omnia quæ dedit, ſi non dedit ſeipſum, qui omnia fecit.

Noli ô corpus præripere tempora: patere, ut nunc anima pro te laboret; ſi compateris, & conregnabis. Nobilem hoſpitem habes ô caro! Nobilem valdè, & tota Salus tua pendet de ejus ſalute. Da honorem hoſpiti ſuo: tu quidem habitas in regione tua, anima verò peregrina, & exul apud te eſt hoſpitata. Ut quid pro temporali delectatione contriſtas hoſpitem talem? potius expone te ad omnia. Si benè illi ſervieris, erit in bonum tuum, loquetur pro te, dum reſtituetur in locum ſuum, quando & Dominus reformabit te configurans corpori claritatis ſuæ. *S. Bernard. ſerm. 6. de adventu.*

Finio hanc Conſiderationem & præcedentes omnes Epilogo Joann. Baptiſtæ Santjure è Societ. Jeſu, qui ſuam Lucem veritatis ſic finit.

Quare firmo conſtantique propoſito decernendum eſt ingredi, & tenere viam illam, quæ nos ducit ad cœlum; quæ alia non eſt, quàm bona vita, & acquirendis ſummis illis bonis ſedulò incumbere. Primò & præcipuè ob commo-

dum

dum Dei, ut illi laudem, honorem, benedictionem, adorationes, gratiarum actiones, amorem, & alia ſummo jure debita obſequia æternùm à nobis impendenda procuremus. Anima enim creata erit perfectiſſimum, & perpetuum Dei gloriæ, & ſervitij inſtrumentum, & Chriſto Domino magnificentiſſimum trophæum victoriarum ſuarum, & efficaciæ ſui ſanguinis: ubi è contrario ſi damnaretur, foret in abominanda quadam illum perpetuò odiendi, maledicendi, & blaſphemandi neceſſitate. Deinde etiam in emolumentum noſtrum, conſiderantes unicam noſtram beatitudinem conſiſtere in hujus felicitatis fruitione; & ab hac animas, & corpora noſtra cumulanda bonis omnibus, atque omnibus malis eximenda: hac verò amiſſa nos neceſſariò forè æternùm infelices, miſerrimóſque. Unde oritur nobis graviſſimum argumentum orandi, & obteſtandi continuò Deum, ejúſque Filium Servatorem noſtrum, per infinitam illorum bonitatem, & per quidquid illos commovere poteſt; ut nobis gratiam largiantur efficacem eò perveniendi, ubi nos illi expectant, & quoties orationem Dominicam recitamus, reflexâ mentis applicatione attendamus huic petitioni. *Adveniat regnum tuum*, ut cùm illud poſtulemus verbis, ab ipſo Chriſto ad hoc traditis, tantò facilius flectantur, & quodammodò adigantur ad illud nobis concedendum. *Hæc citatus Author.*

CONCLUSIO OPERIS

Et Documenta Exercitanti poſt finitam Aſceſin profutura.

FInem impono quatuor libelli Exercitiorum hebdomadis, ſeu potius his collectione ſacrâ octiduanâ, vel decem dierum (more pio quorundam animæ ſuæ ſtudioſorum) contractis: cùm plus temporis vel negotia ex officio peragenda, vel ſanitas corporis &c. otio tam ſancto, & ſalubri non indulgeant. Sollicitus tamen (ut me eſſe vult & jubet tum Divinæ gloriæ proferendæ, tum ſalutis alienæ promovendæ cura, finis nempe, ob quem creatus eſt homo juxta principium & fundamentum Exercitiorum) pro exercitante aliqua ſubjicio, quæ eum in concepto ſancto fervore ſervare poterunt, & ſpero fore per Divinam gratiam utiliſſima.

Quorum prima eſt meditatio ex Circo Perfectionis P. Joannis Suffreni è Societ. Jeſu; qui Author cùm ſit non omnibus ad manum, eam Meditationem cenſui huic opuſculo addendam, unacum documentis eidem annexis, ſumatur verò hæc poſtridiè finitorum Exercitiorum, antequam è ſacra prodeat Eremo Aſceta fervens, & ſuis ſe reddat functionibus.

ME-

MEDITATIO
Pro Concluſione Exercitiorum, ſeu Collectionis annuæ.

Oratio præparatoria conſueta.

I. PRÆLUD. Cogita, jam tempus adeſſe, quo egreſſurus es è ſuavi tua ſolitudine, & de monte illo, quem primo die conſcenderas, tanquam alter Moſes, acturus cum Deo de graviſſimis negotijs ſalutis tuæ, & quo te oporteat excipere ultima monita, & ſanctam ab illo benedictionem.

II. PRÆLUD. Pete continuationem gratiæ, hiſce diebus tibi conceſſæ, qua tantum opus rectè pertexas.

I. CONSIDERATIO: Percurre modum, quo Deus hiſce diebus te rexit, & beneficia, quæ tibi contulit; expletis deſiderijs tuis, propter quæ in hanc ſolitudinem te abdideras; evellendo nimirum pravas tuas inclinationes, & habitus virtutum implantando. Repete memoria Ordinem, quo ille te inſtruxit: Cùm enim primo die magnum excitaſſet in te deſiderium hujus ſeceſſus, patefeciſsétque finem, propter quem illum adires, altero deinde & tertio die oſtendit tibi finem nobiliſſimum Creationis tuæ, & media eundem aſſequendi per re-

ctum Creaturarum uſum, cùm omnes ad hoc ſervire poſſint. Et quoniam peccatum eſt unicus obex, qui finis conſecutionem impedit, quarto, quinto, & ſexto die miſerrimam animæ tuæ conditionem, peccata præterita, præſentiaque, eorum fontes, & radices, modum etiam eadem emendandi, tibi ob oculos poſuit. Iis verò diebus illa tu, tum ſpirituali, tum ſacramentali confeſſione expiaſti, diſponendo te ad mortem, ut quovis momento paratus fores ſubire in conſpectum Judicis tui.

Et quia ſatis non eſt, declinare à malo, ſed neceſſe quoque ſit, facere bonum; lumen contulit die ſeptimo, & octavo, ut Chriſti partibus te adjungeres, illum imitareris, ſequereris, inter ſubditos Regni illius, & in exercitu miles adnumerareris, ſub vexillo virtutis, & ſanctimoniæ pugnaturus: quod ut volens lubénſque amplecteréris, repudiato diaboli, mundi, & carnis vexillo, interna ipſe permotione impulit.

Neque contentus, quòd te collocaſſet in via hac Illuminativa, quæ proficientium propria eſt, uti Purgativa incipientium; evexit te nono & decimo die ad vitam unitivam, uniendo te ſibi perfectiſſima charitate, ad quam te plurimis titulis nominibúſque ſuaviſſimè obligavit; & docendo te duas illas præcipuas amantis actiones, puritatem ſcilicet intentionis, & cum Divina voluntate conſenſionem.

AFFECTUS: *Primò*, Actio gratiarum, cum admira-

admiratione tantæ bonitatis Dei erga te tam immeritum. *Non fecit taliter omni Nationi.* Pſal. 147. Imò paucis talem gratiam fecit: cúmque referendis gratijs ſis impar, opem creaturarum tam triumphantiis, quàm militantis Eccleſiæ implora, ut tuo nomine omnia grati animi officia exhibeant. *Secundò*. Minutim cognitiones omnes, & affectus tibi à Deo conceſſos, quanti quanti ſunt æſtima: quod in ijs minimum eſt, omnibus hujus mundi lucris anteponendum eſt. O Anima mea, panderet tibi Deus oculos ad intuendum horum luminum ſplendorem, & excellentiam illorum propoſitorum! inſulſum tibi videretur, quidquid mundo ſapit, & lutum, quod is rei pretioſæ loco habet. *Tertiò*. Dole fortunam eorum, quibus ſimilia lumina, affectus, & propoſita conceſſa non ſunt: & ex quadam affluentia charitatis talia illis vove, & ut Deus impertiatur roga, quò Deum colant, ament, revereantur, eíque ſerviant, & tandem eo unà tecum fruantur æternùm.

II. Consideratio. Cogita hominem natura ſua admodùm levem eſſe, & inconſtantem. Diaboli tentationes, improborum exempla creberrima, peccandi occaſiones ubique obviæ plurimùm hanc inconſtantiam & animi levitatem promovent: adeóque grande periculum exiſtit, ne egreſſus ab hac ſolitudine, ubi omnis, præterquam cum Deo converſandi, opportunitas deerat, patiaris te abduci à ſuſcepta vivendi ratione; extingui conceſſa mentis lu-

mina, & tantum fervorem ſinas vecordi tepiditate langueſcere. Quot ſunt, quibus iſtud accidit; & an non ipſe tu idem alijs annis poſt ſimilem collectionem expertus es?

AFFECTUS. *Primò.* Humilitatis. Homo es, id eſt, inconſtans, & levis, omni vento verſatilis pennula, Chameleon cuivis recipiendo colori idoneus, Polypus in quamvis figuram mobilis. Angelus ſi fores, conſtares in bono; at de homine loquens Job ait *cap.* 14. *Homo nunquam in eodem ſtatu permanet.* Nihil tibi præfidentius tribue.

Secundò. Time, ne ab hac inconſtantia pauculis diebus amittas, quod decem dierum ſpatio acquiſiviſti. Quod uni contigit, contingere cuivis poteſt. *Seneca.* Tantò gravior foret jactura, quantò ampliores fuêre favores, quos hiſce diebus à Deo obtinuiſti. Tertiò. Statue cum gratia Divina obfirmare animum, & à ſemel cæptis propoſitis nulla ratione dimoveri: eſto ſoli ſimilis, qui lucem in creatione acceptam dimiſit nunquam; non autem lunæ, quæ ſingulis menſibus varias in formas abit. Eſto ut *mons Sion, qui non commovebitur in æternum*; non, *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*

III. CONSIDERATIO: Inquire in media, quibus obfirmes te, reddáſque animum in propoſita, per hos dies, vitæ conditione immobilem, præbe aures poſtremæ, quam Deus hic inculcat lectioni, & ſuggeſta media veluti de manu ejus ſuſcipe. *Pri-*

Primum eſt. Magnificare Deum, nihil æquè æſtimando, atque illi placere, illi ſatisfacere, illi ſervire, illum vitæ ſanctimoniâ referre: ſæpè has voces iterando, quas cæleſtis militiæ Princeps Michaël Lucifero, & rebellibus angelis objecit. *Quis ut Deus?* Deliciæ, honores, emolumenta, quæ ſpectare poteras mundo deſerviens, non ſunt niſi nugæ & ſordes, ſi cum honore, emolumento & voluptate ſervientis Deo componantur. Vide, quanti te faciat Deus, qui tanta pro te fecit, tulitque. Quidni eum magnificas, tam benè de te meritum, cùm te magni fecerit & immerentem?

Secundum. Te quoque inſpice, & non ex vano, ſed ex vero te æſtima. Reverà enim es creatura nobilis, imago, & ſimilitudo DEI, gratiæ illius, & amoris, & hæreditatis capax; prima & præſtantiſſima inter res corporeas, frater Angelorum; & quod amplius eſt, Dei per incarnationem frater; tanti habitus, quanti ſanguis ipſius Dei; quandoquidem ille in pretium tuæ redemptionis profuſus eſt. Deſtinatus es, non ut vitam degas in hoc mundo more bruti animalis; vel ut palatia moliaris, ut congreges theſauros & honores; ſed ut ſanctimoniæ vita in terris traducta vitam promerearis in cælo ſempiternam.

Ne te de gradu tam nobilis conditionis deturbes, deturbabis autem, ſi à modò conceptis benè ſanctéque vivendi decretis exeraveris.

Tertium. Quandoquidem nunc gaudeas tri-
bus hisce titulis, quòd homo ſis & Chriſtianus
& juſtificatus, juſtitia per generalem peccato-
rum confeſſionem recuperata: Tanquam Ho-
mo, vive ex præſcripto rationis, non ex impulſu
paſſionum: Tanquam Chriſtianus, vive ex Fi-
de, ipſis operibus profitendo, quod te credere
lingua confiteris: Tanquam juſtus, vive ex a-
more, univerſa illius unius impulſu peragendo,
neque rem ullam admittendo, quæ huic amori
adverſetur.

AFFECTUS *Primò.* DEUM lauda, quod hæc
media tibi conceſſerit, quibus ad ejus immutabi-
litatem proximè accederes. *Secundò.* Obſecra il-
lum, ut gratiam præſtet id exequendi, quod ti-
bi faciendum eſſe benignè commonſtravit. *Ter-
tiò,* Renova quatuor, aut quinque præcipua
in hiſce exercitijs concepta propoſita. Gratias
Deo age, quod iſta largitus ſit. Dic opera illius
eſſe perfecta; illa ipſa perficiat, & abſolvat, quæ
inchoare, & operari dignatus eſt in te: memine-
rit ſolitæ tuæ inconſtantiæ; te ad ſtabiliendum
animum convolâſſe in ulnas, & manus illius.

Utere ad hoc precibus B. Virginis, Tutelaris,
Angeli, Sanctorum Patronorum, totiúſque curiæ
cæleſtis, cui ſolatio fuit, converſionem tuam,
& optima decreta intueri.

Adora Deum, Verbúmque Incarnatum, &
cælitibus omnibus debitum cultum defer & ve-
nerationem; acceptâque Divina benedictione
ſuper te, & propoſita tua finem impone. Re-
cita,

cita, ſi placet, Te Deum Laudamus, in actionem gratiarum.

Egreſſus ab hac ſancta ſolitudine, ne continuò in uſum, & conſuetudinem hominum effundaris. Omnibus præbe bona virtutum exempla Moyſes, poſtquam quadraginta diebus, noctibúſque fuiſſet in monte Sinai, redijt tanto vultus ſplendore, ut in illum oculos intendere populus Iſraeliticus nequiret. Tu, qui egrederis de monte, ubi decem dierum ſpatio tua cum Deo negotia pertractâſti; duc vitam exempli tam ſingularis, ut per te Dei gloria amplificetur & bonus odor præbeatur, ijs qui virtutis partes ſequuntur. Hucúſque Suffrenus.

Ex hac Meditatione ſtudeat ſecundò Deo ter Opt. Max. gratias agere humillimas pro omni gratia, pro beneficio, & lumine in decurſu exercitiorum conceſſis. Non inconveniens erit ſe ad templum conferre, & coram SS. Sacramento debitorem Deo ſe ſiſtere, atque gratum exhibere. Si placuerit Divinæ Menſæ accumbere, decentiſſimum erit, cùm hæc actio ſit Euchariſtica, & gratiarum exhibitionis Deo gratioſſimæ. Sacerdoti exercitanti uberior erit facultas, ſi æterno Patri illam ipſam hoſtiam in grati animi ſignum obtulerit, per quam omnia meruit accipere beneficia; omnia poterit conſervare, & ſe Divinæ impendere Majeſtati. Uterque hoc grato animo merebitur novam gratiam, quà poſſit pia propoſita exequi, & evadat illud *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens*

aptus

Tertium. Quandoquidem nunc gaudeas tribus hisce titulis, quòd homo ſis & Chriſtianus, & juſtificatus, juſtitia per generalem peccatorum confeſſionem recuperata: Tanquam Homo, vive ex præſcripto rationis, non ex impulſu paſſionum: Tanquam Chriſtianus, vive ex Fide, ipſis operibus profitendo, quod te credere lingua confiteris: Tanquam juſtus, vive ex amore, univerſa illius unius impulſu peragendo, neque rem ullam admittendo, quæ huic amori adverſetur.

AFFECTUS *Primò.* DEUM lauda, quod hæc media tibi conceſſerit, quibus ad ejus immutabilitatem proximè accederes. *Secundò.* Obſecra illum, ut gratiam præſtet id exequendi, quod tibi faciendum eſſe benignè commonſtravit. *Tertiò.* Renova quatuor, aut quinque præcipua in hiſce exercitijs concepta propoſita. Gratias Deo age, quod iſta largitus ſit. Dic opera illius eſſe perfecta; illa ipſa perficiat, & abſolvat, quæ inchoare, & operari dignatus eſt in te: meminerit ſolitæ tuæ inconſtantiæ; te ad ſtabiliendum animum convolâſſe in ulnas, & manus illius.

Utere ad hoc precibus B. Virginis, Tutelaris, Angeli, Sanctorum Patronorum, totiúſque curiæ cæleſtis, cui ſolatio fuit, converſionem tuam, & optima decreta intueri.

Adora Deum, Verbúmque Incarnatum, & cælitibus omnibus debitum cultum defer & venerationem; acceptâque Divina benedictione ſuper te, & propoſita tua finem impone. Recita,

cita, ſi placet, Te Deum Laudamus, in actionem gratiarum.

Egreſſus ab hac ſancta ſolitudine, ne continuò in uſum, & conſuetudinem hominum effundaris. Omnibus præbe bona virtutum exempla Moyſes, poſtquam quadraginta diebus, noctibúſque fuiſſet in monte Sinai, rediјt tanto vultus ſplendore, ut in illum oculos intendere populus Iſraeliticus nequiret. Tu, qui egrederis de monte, ubi decem dierum ſpatio tua cum Deo negotia pertractâſti; duc vitam exempli tam ſingularis, ut per te Dei gloria amplificetur & bonus odor præbeatur, ijs qui virtutis partes ſequuntur. Hucúſque Suffrenus.

Ex hac Meditatione ſtudeat ſecundò Deo ter Opt. Max. gratias agere humillimas pro omni gratia, pro beneficio, & lumine in decurſu exercitiorum conceſſis. Non inconveniens erit ſe ad templum conferre, & coram SS. Sacramento debitorem Deo ſe ſiſtere, atque gratum exhibere. Si placuerit Divinæ Menſæ accumbere, decentiſſimum erit, cùm hæc actio ſit Euchariſtica, & gratiarum exhibitionis Deo gratioſſimæ. Sacerdoti exercitanti uberior erit facultas, ſi æterno Patri illam ipſam hoſtiam in grati animi ſignum obtulerit, per quam omnia meruit accipere beneficia; omnia poterit conſervare, & ſe Divinæ impendere Majeſtati. Uterque hoc grato animo merebitur novam gratiam, qua poſſit pia propoſita exequi, & evadat illud *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens*

Tertium. Quandoquidem nunc gaudeas tribus hisce titulis, quòd homo ſis & Chriſtianus, & juſtificatus, juſtitia per generalem peccatorum confeſſionem recuperata: Tanquam Homo, vive ex præſcripto rationis, non ex impulſu paſſionum: Tanquam Chriſtianus, vive ex Fide, ipſis operibus profitendo, quod te credere lingua confiteris: Tanquam juſtus, vive ex amore, univerſa illius unius impulſu peragendo, neque rem ullam admittendo, quæ huic amori adverſetur.

AFFECTUS *Primò.* DEUM lauda, quod hæc media tibi conceſſerit, quibus ad ejus immutabilitatem proximè accederes. *Secundò.* Obſecra illum, ut gratiam præſtet id exequendi, quod tibi faciendum eſſe benignè commonſtravit. *Tertiò.* Renova quatuor, aut quinque præcipua in hiſce exercitijs concepta propoſita. Gratias Deo age, quod iſta largitus ſit. Dic opera illius eſſe perfecta; illa ipſa perficiat, & abſolvat, quæ inchoare, & operari dignatus eſt in te: meminerit ſolitæ tuæ inconſtantiæ; te ad ſtabiliendum animum convolâſſe in ulnas, & manus illius.

Utere ad hoc precibus B. Virginis, Tutelaris, Angeli, Sanctorum Patronorum, totiúſque curiæ cæleſtis, cui ſolatio fuit, converſionem tuam, & optima decreta intueri.

Adora Deum, Verbúmque Incarnatum, & cælitibus omnibus debitum cultum defer & venerationem; acceptâque Divina benedictione ſuper te, & propoſita tua finem impone. Recita,

cita, ſi placet, Te Deum Laudamus, in actionem gratiarum.

Egreſſus ab hac ſancta ſolitudine, ne continuò in uſum, & conſuetudinem hominum effundaris. Omnibus præbe bona virtutum exempla Moyſes, poſtquam quadraginta diebus, noctibúſque fuiſſet in monte Sinai, redijt tanto vultus ſplendore, ut in illum oculos intendere populus Iſraeliticus nequiret. Tu, qui egrederis de monte, ubi decem dierum ſpatio tua cum Deo negotia pertractâſti; duc vitam exempli tam ſingularis, ut per te Dei gloria amplificetur & bonus odor præbeatur, ijs qui virtutis partes ſequuntur. Hucúſque Suffrenus.

Ex hac Meditatione ſtudeat ſecundò Deo ter Opt. Max. gratias agere humillimas pro omni gratia, pro beneficio, & lumine in decurſu exercitiorum conceſſis. Non inconveniens erit ſe ad templum conferre, & coram SS. Sacramento debitorem Deo ſe ſiſtere, atque gratum exhibere. Si placuerit Divinæ Menſæ accumbere, decentiſſimum erit, cùm hæc actio ſit Euchariſtica, & gratiarum exhibitionis Deo gratioſſimæ. Sacerdoti exercitanti uberior erit facultas, ſi æterno Patri illam ipſam hoſtiam in grati animi ſignum obtulerit, per quam omnia meruit accipere beneficia; omnia poterit conſervare, & ſe Divinæ impendere Majeſtati. Uterque hoc grato animo merebitur novam gratiam, quâ poſſit pia propoſita exequi, & evadat illud *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens*

Tertium. Quandoquidem nunc gaudeas tribus hisce titulis, quòd homo ſis & Chriſtianus, & juſtificatus, juſtitia per generalem peccatorum confeſſionem recuperata: Tanquam Homo, vive ex præſcripto rationis, non ex impulſu paſſionum: Tanquam Chriſtianus, vive ex Fide, ipſis operibus profitendo, quod te credere lingua confiteris: Tanquam juſtus, vive ex amore, univerſa illius unius impulſu peragendo, neque rem ullam admittendo, quæ huic amori adverſetur.

AFFECTUS *Primò.* DEUM lauda, quod hæc media tibi conceſſerit, quibus ad ejus immutabilitatem proximè accederes. *Secundò.* Obſecra illum, ut gratiam præſtet id exequendi, quod tibi faciendum eſſe benignè commonſtravit. *Tertiò,* Renova quatuor, aut quinque præcipua in hiſce exercitijs concepta propoſita. Gratias Deo age, quod iſta largitus ſit. Dic opera illius eſſe perfecta; illa ipſa perficiat, & abſolvat, quæ inchoare, & operari dignatus eſt in te: meminerit ſolitæ tuæ inconſtantiæ; te ad ſtabiliendum animum convolâſſe in ulnas, & manus illius.

Utere ad hoc precibus B. Virginis, Tutelaris, Angeli, Sanctorum Patronorum, totiúſque curiæ cæleſtis, cui ſolatio fuit, converſionem tuam, & optima decreta intueri.

Adora Deum, Verbúmque Incarnatum, & cælitibus omnibus debitum cultum defer & venerationem; acceptâque Divina benedictione ſuper te, & propoſita tua finem impone. Recita,

cita, ſi placet, Te Deum Laudamus, in actionem gratiarum.

Egreſſus ab hac ſancta ſolitudine, ne continuò in uſum, & conſuetudinem hominum effundaris. Omnibus præbe bona virtutum exempla. Moyſes, poſtquam quadraginta diebus, noctibúſque fuiſſet in monte Sinai, rediјt tanto vultus ſplendore, ut in illum oculos intendere populus Iſraeliticus nequiret. Tu, qui egrederis de monte, ubi decem dierum ſpatio tua cum Deo negotia pertractâſti; duc vitam exempli tam ſingularis, ut per te Dei gloria amplificetur & bonus odor præbeatur, ijs qui virtutis partes ſequuntur. Hucúſque Suffrenus.

Ex hac Meditatione ſtudeat ſecundò Deo ter Opt. Max. gratias agere humillimas pro omni gratia, pro beneficio, & lumine in decurſu exercitiorum conceſſis. Non inconveniens erit ſe ad templum conferre, & coram SS. Sacramento debitorem Deo ſe ſiſtere, atque gratum exhibere. Si placuerit Divinæ Menſæ accumbere, decentiſſimum erit, cùm hæc actio ſit Euchariſtica, & gratiarum exhibitionis Deo gratioſſimæ. Sacerdoti exercitanti uberior erit facultas, ſi æterno Patri illam ipſam hoſtiam in grati animi ſignum obtulerit, per quam omnia meruit accipere beneficia; omnia poterit conſervare, & ſe Divinæ impendere Majeſtati. Uterque hoc grato animo merebitur novam gratiam, qua poſſit pia propoſita exequi, & evadat illud *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens*

aptus

mina, & tantum fervorem ſinas vecordi tepiditate langueſcere. Quot ſunt, quibus iſtud accidit; & an non ipſe tu idem alijs annis poſt ſimilem collectionem expertus es?

AFFECTUS. *Primò.* Humilitatis. Homo es, id eſt, inconſtans, & levis, omni vento verſatilis pennula, Chameleon cuivis recipiendo colori idoneus, Polypus in quamvis figuram mobilis. Angelus ſi fores, conſtares in bono; at de homine loquens Job ait *cap.* 14. *Homo nunquam in eodem ſtatu permanet.* Nihil tibi præſidentius tribue.

Secundò. Time, ne ab hac inconſtantia pauculis diebus amittas, quod decem dierum ſpatio acquiſiviſti. Quod uni contigit, contingere cuivis poteſt. *Seneca.* Tantò gravior foret jactura, quantò ampliores fuêre favores, quos hiſce diebus à Deo obtinuiſti. Tertiò. Statue cum gratia Divina obfirmare animum, & à ſemel cæptis propoſitis nulla ratione dimoveri: eſto ſoli ſimilis, qui lucem in creatione acceptam dimiſit nunquam; non autem lunæ, quæ ſingulis menſibus varias in formas abit. Eſto ut *mons Sion, qui non commovebitur in æternum*; non, *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*

III. CONSIDERATIO: Inquire in media, quibus obfirmes te, reddáſque animum in propoſita, per hos dies, vitæ conditione immobilem, præbe aures poſtremæ, quam Deus hic inculcat lectioni, & ſuggeſta media veluti de manu ejus ſuſcipe. *Pri-*

Primum eſt. Magnificare Deum, nihil æquè æſtimando, atque illi placere, illi ſatisfacere, illi ſervire, illum vitæ ſanctimoniâ referre: ſæpè has voces iterando, quas cæleſtis militiæ Princeps Michaël Lucifero, & rebellibus angelis objecit. *Quis ut Deus?* Deliciæ, honores, emolumenta, quæ ſpectare poteras mundo deſerviens, non ſunt niſi nugæ & ſordes, ſi cum honore, emolumento & voluptate ſervientis Deo componantur. Vide, quanti te faciat Deus, qui tanta pro te fecit, tulitque. Quidni eum magnificas, tam benè de te meritum, cùm te magni fecerit & immerentem?

Secundum. Te quoque inſpice, & non ex vano, ſed ex vero te æſtima. Reverà enim es creatura nobilis, imago, & ſimilitudo DEI, gratiæ illius, & amoris, & hæreditatis capax; prima & præſtantiſſima inter res corporeas, frater Angelorum; & quod amplius eſt, Dei per incarnationem frater; tanti habitus, quanti ſanguis ipſius Dei; quandoquidem ille in pretium tuæ redemptionis profuſus eſt. Deſtinatus es, non ut vitam degas in hoc mundo more bruti animalis; vel ut palatia moliaris, ut congreges theſauros & honores; ſed ut ſanctimoniæ vita in terris traducta vitam promerearis in cælo ſempiternam.

Ne te de gradu tam nobilis conditionis deturbes, deturbabis autem, ſi à modò conceptis benè ſanctéque vivendi decretis exeraveris.

 Ter-

Tertium. Quandoquidem nunc gaudeas tribus hiſce titulis, quòd homo ſis & Chriſtianus, & juſtificatus, juſtitia per generalem peccatorum confeſſionem recuperata: Tanquam Homo, vive ex præſcripto rationis, non ex impulſu paſſionum: Tanquam Chriſtianus, vive ex Fide, ipſis operibus profitendo, quod te credere lingua confiteris: Tanquam juſtus, vive ex amore, univerſa illius unius impulſu peragendo, neque rem ullam admittendo, quæ huic amori adverſetur.

AFFECTUS *Primò.* DEUM lauda, quod hæc media tibi conceſſerit, quibus ad ejus immutabilitatem proximè accederes. *Secundò.* Obſecra illum, ut gratiam præſtet id exequendi, quod tibi faciendum eſſe benignè commonſtravit. *Tertiò.* Renova quatuor, aut quinque præcipua in hiſce exercitijs concepta propoſita. Gratias Deo age, quod iſta largitus ſit. Dic opera illius eſſe perfecta; illa ipſa perficiat, & abſolvat, quæ inchoare, & operari dignatus eſt in te: meminerit ſolitæ tuæ inconſtantiæ; te ad ſtabiliendum animum convolâſſe in ulnas, & manus illius.

Utere ad hoc precibus B. Virginis, Tutelaris, Angeli, Sanctorum Patronorum, totiúſque curiæ cæleſtis, cui ſolatio fuit, converſionem tuam, & optima decreta intueri.

Adora Deum, Verbúmque Incarnatum, & cælitibus omnibus debitum cultum defer & venerationem; acceptâque Divina benedictione ſuper te, & propoſita tua finem impone. Recita,

cita, ſi placet, Te Deum Laudamus, in actionem gratiarum.

Egreſſus ab hac ſancta ſolitudine, ne continuò in uſum, & conſuetudinem hominum effundaris. Omnibus præbe bona virtutum exempla. Moyſes, poſtquam quadraginta diebus, noctibúſque fuiſſet in monte Sinai, redijt tanto vultus ſplendore, ut in illum oculos intendere populus Iſraeliticus nequiret. Tu, qui egrederis de monte, ubi decem dierum ſpatio tua cum Deo negotia pertractâſti; duc vitam exempli tam ſingularis, ut per te Dei gloria amplificetur & bonus odor præbeatur, ijs qui virtutis partes ſequuntur. Hucúſque Suffrenus.

Ex hac Meditatione ſtudeat ſecundò Deo ter Opt. Max. gratias agere humillimas pro omni gratia, pro beneficio, & lumine in decurſu exercitiorum conceſſis. Non inconveniens erit ſe ad templum conferre, & coram SS. Sacramento debitorem Deo ſe ſiſtere, atque gratum exhibere. Si placuerit Divinæ Menſæ accumbere, decentiſſimum erit, cùm hæc actio ſit Euchariſtica, & gratiarum exhibitionis Deo gratioſſimæ. Sacerdoti exercitanti uberior erit facultas, ſi æterno Patri illam ipſam hoſtiam in grati animi ſignum obtulerit, per quam omnia meruit accipere beneficia; omnia poterit conſervare, & ſe Divinæ impendere Majeſtati. Uterque hoc grato animo merebitur novam gratiam, qua poſſit pia propoſita exequi, & evadat illud *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens*

aptus

aptus eſt Regno Dei, quod fulmen meritò timeat ingratus, Nam ut ait S. Maximus, *Si accipientes munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati, & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur; ut Deum, quem beneficijs non cognovimus, malis ingruentibus requiramus*

Tertium. Cùm facilè fiat, ut loco calido egreſſus in frigidum frigeſiat; æger nondum omninò perſanatus, & convaleſcens recidat; niſi ſuæ curam habeat ſalutis accuratam, ſibi dictum credat à S. Paulo 1. *ad Timoth*. 4. ATTENDE TIBI. Paſſio nondum habitu confirmata juxta Philoſopum cito vel remittit vel perit. Unde periculum erit, ne omnis exercitiorum fructus evaneſcat. Quare

Quartum. Cogitet ſe nihil feciſſe aliud, niſi quòd bonum ſemen in animam ſuam à Deo jactum receperit. Quare niſi hoc foveatur, & excolatur, ut *det fructum tempore ſuo*, nihil vel parùm proderit. Caveat igitur, ne à volucribus ſeu dæmonibus, ne à ſpinis ſeu cogitationibus & cupiditatibus inordinatis damnum patiatur.

Primò itaque non ſolùm peccata & horum occaſiones præſertim eorum, ad quæ ante exercitia pronus erat, caveat diligentiſſimè, ſeque contra ea armet; cùm facillimè in hæc relabi poſſit. *Secundò* frequenter utatur Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. *Tertiò* cum ſuo in exercitijs inſtructore nonnunquam conferat, & animum ſuum ſincero, atque filiali affectu detegat. *Quartò* pia facta propoſita releget non in-

frequen-

frequenter, & ſi ſe conſtantem in his ſervandis advertit, Deo omnium bonorum largitori gratias agat; ſi ſe deficere, ac deviare notat, doleat, in ſemitam rectam redeat, ne diutius pergendo gravius & longius aberret. Conſultiſſimum foret poſt egreſſum è ſacra aſceſi meditationes in ea habitas repetere, qua ratione pij affectus redirent, propoſita urgerentur, & calor, ſi remiſit, & intepuit, excitaretur. Quod à Religioſo poterit facilè fieri; non Religioſus manè quadrantem Deo ſuo, tam benigno benefactori, gratus donet, non ſine magno ſuo fructu; erit operæ pretium tantillum temporis tanto lucro impendere.

Quintum. Convenientiſſimum, & utiliſſimum foret poſt evolutum annum ſe denuò dare ſolitudini ſacræ. Poſt breve tempus reverſi ad Chriſtum Apoſtoli renuntiarunt omnia, quæ egerant, & docuerant; & ait illis, *Venite ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Marci 6. Imitetur hos ſtudioſus ſuæ ſalutis, qui cùm annum varijs occupationibus, & diſtractionibus mentis circa alia ſollicitæ egerit; veniat ſeorſim in deſertum locum, remotum ſcilicet à turbis; aſcendat cum Moſe montem, & audiat, quid demùm ſit locuturus Dominus; requieſcat cum S. Magdalena ad pedes Domini, & eligat optimam ſibi partem, quietis ſcilicet ſanctæ, in qua audiat verba Domini dilecti ſui. Convenit ut more mercatorum ſedulorum ſaltem annuas conficiamus rationes, & diſpiciamus, num ditiores, num pauperiores facti ſimus. Expedit demùm animæ In-

dul-

Digitized by Google

dulgentias lucrari plenarias à ſede Apoſtolica exercitantibus octiduannis conceſſas; quibus maculas abſtergamus, pænas his debitas amoveamus, & gratiam, ac gloriam mereamur majorem atque uberiorem.

Ad Majorem Ejus Gloriam Qui nos propter eandem creavit, redemit, vocavit, juſtificavit, & glorificabit.

AMEN.

INDEX ALPHABETICUS

Conſiderationum, & Rerum magis memorabilium.

A.

ADami peccatum, *Hebdom.* 1. *Conſid.* 4.

Adulterorum pœnæ, *Hebd.* 1. *Conſid.* 6. *Hiſtoria.*

Æternitas, *Hebd.* 1. *Conſid.* 15. *& in Append. Hebdom.* 1. *propoſitionibus* 6. 7. Hujus memoria pecutilis. *Hebd.* 1. *Conſid.* 15. *Hiſt. & Fructus.*

Agonia Chriſti in Horto, *Hebd.* 3. *Conſid.* 2.

Amor in Beatiſſimam Virginem, *Hebd.* 4. *Conſid.* 3.

Amor Chriſti admirabilis, *Hebd.* 4. *Conſid.* 5.

de Amore Divino, *Conſid.* 5. *Hebd.* 4. Hujus actus ferventiſſimi, *Ib. Hiſt.*

Angelica Salutatio, *Hebd.* 2. *Conſid.* 3. *Hiſt.*

Angelorum peccatum, *Hebd.* 1. *Conſid.* 3.

Angelus Cuſtos, *Hebd.* 4. *Conſid.* 4.

Anguſtia morientium, *Heb.* 1. *Conſid.* 9. *Hiſt.*

Animabus opitulandi ſtudium, *Hebd.* 1. *Conſ.* 12. *Fruct.*

Annuntiationis Myſterium, *Hebd.* 2. *Conſid.* 3. Hujus admirator Gabriel Archangelus, *ib. Hiſt.*

S. Antonij Abbatis liber Mundus, *Hebd.* 1. *Conſ.* 2. *Hiſt.*

Antonij Sucquet teſtamentum, *Hebd.* 1. *Conſ.* 10. *Fructus.*

Apoſtolorum pedes lavat Chriſtus, *Hebd.* 3. *Conſid.* 1.

Baptiſmus

Digitized by Google

B.

Baptiſmus Chriſti, *Hebd.* 2. *Conſid.* 8.

Bob Baptiſmum ſibi collatum Margarita à S. Gertrude agit gratias, & dies feſtos celebrat, *Hebd.* 2. *Conſid.* 8. *Hiſt.* Etiam nos SS. Trinitati ſimus grati, *ib. Fructus.*

Beatiſſimæ Virgini, & Matri ſuæ apparet Chriſtus reſurgens, *Hebd.* 4. *Conſid.* 3. Ejus cultus & amor, *ib. Fructus.* In eam Fiducia, *ib.*

Beneficia Divina, *Hebd.* 4. *Conſid.* 4.

Bernardino Realino apparet Chriſtus infantulus, *Hebd.* 2. *Conſid.* 4. *Hiſt.* S. Bernardo & alijs, *ib.*

Bogoſis Bulgarorum Rex ex Aſpectu Divini Judicij picti fit Chriſtianus, *Hebd.* 1. *Conſid.* 13. *Hiſt.*

S. Borgiæ cadavere Iſabellæ viſo Cogitationes ſanctæ, *Hebd.* 1. *Conſid,* 10. *Hiſt.*

C.

Caput inclinandum ad verba *Incarnatus eſt de Spiritu Sancto &c. Hebd.* 2. *Conſid.* 3. *Fructus.*

Circumciſio Domini, *Hebd.* 2. *Conſid.* 5.

Cœleſtis gloria, *Hebd.* 4. *Conſid.* 6.

Cœlum violenti rapiunt, *ib.* pro eo obtinendo omnis labor aſſumendus, *ib.*

Conſervationis, & Cooperationis Divinæ beneficium, *Hebd.* 4. *Conſid.* 4.

Converſionis tempus non à numero annorum numerantur, *Hebd.* 2. *Conſid* 1. *Hiſt.*

de Corona ſpinea Chriſti D. *Hebd.* 3. *Conſid.* 4. *Hiſt. & Fructus.*

Coronatio Chriſti, *Hebd.* 3. *Conſid.* 4.

Creationis beneficium, *Hebd.* 4. *Conſid.* 4.

Creaturarum uſus qualis ad finem ultimum conſequendum, *Hebd.* 1. *Conſid.* 2. Ex harum conſideratione cognoſcendus, & laudandus DEUS, *ib. Hiſt. Fructus.*

Crucifixio, *Hebd.* 3. *Conſid.* 6. Crux veneranda, *ib. in Hiſt. & Fruct.*

Cru-

Crucifixi cũ Chriſto Religioſi qui, *Hebd.* 2. *Conſid.* 1. *Hiſt.*
Cryſorij Impij mors infelix, *Hebd.* 1. *Conſid.* 2. *hiſt.*
Cyriaci Monachi odium erga carnem, & ſanguinem, *Hebd.* 2. *Conſid.* 6. *hiſt.*

D.

DAmna peccati mortalis, *Hebd.* 1. *Conſid.* 6. Ejus gravitas ob DEUM offenſum, *Hebd.* 1. *Conſid.* 5. Ex conditione, ac vilitate hominis DEUM offendentis, *Conſid.* 7.
Damna peccati venialis, *Hebd.* 1. *Conſid.* 8.
Decreta Verbi Divini Incarnatio, *Hebd.* 2. *Conſid.* 2.
DEO omnia offerenda, *Hebd.* 1. *Conſ.* 1. *Fructus.*
Deſcenſus Chriſti in limbum, *Hebd* 4. *Conſ.* 1. (*ib.*
De duobus vexillis meditatio, *Hebd.* 2. *Conſ.* 7. *Efficacia.*
Documenta poſt finita Exercitia Exercitanti profutura, *Concluſio Operis.*
Documentum utile à P. Petro Fabro nobili datum, *hebd.* 2. *conſ* 1. *hiſt.*
Duodennis JESUS in templo remanens, *hebd.* 2. *conſ.* 6.

E.

ECce Homo, *hebd.* 3. *conſid.* 5.
S. Elzearius in adverſis memor Chriſti patientis patiens, *hebd.* 3. *conſid.* 5. *hiſt.*
Emendationis ſeriæ fructus, *hebd.* 1. *poſt conſid.* 7.
Epiſcopi è Principum familia Judicium, & damnatio, *hebd.* 1. *conſid.* 11. *hiſt.*
Exercitijs finitis quid agendum, *Concluſio Operis.*

F.

FIducia in B. Virginem, *hebd.* 2. *conſid.* 3. *Fruct.* 1.
Finis hominis ultimus, *hebd.* 1. *conſid.* 1. Ad hunc media, *hebd.* 1. *conſid.* 2.
Finis ultimus nempe DEUS ſemper præ oculis habendus, *hebd.* 1. *conſid.* 1. *Fruct.* Ei ſe ſubdere, *ib.*
Flagellatio Chriſti, *hebd.* 3. *conſid.* 5.

S. Franciſcus præſepe in ſtabulo erigit &c. *hebd.* 2. *conſid.* 4. *hiſt.*

Franciſci Villagartiani in DEUM natum pietas, *ib.*

Fructus feriæ Emendationis, *hebd.* 1. *poſt conſid.* 7.

Fuga occaſionum, periculorum peccandi, *hebd.* 1. *conſid.* 7. *fruct.* 5.

Fulconis converſio ex Medit. æternit. *hebd.* 1. *conſ.* 15. *hiſt.*

G.

GAbriel Archangelus admirator myſterij Incarnationis, *hebd.* 2. *conſid.* 3. *hiſt.*

Gloria cœleſtis, *hebd.* 4. *conſid.* 6.

Gula non mortificata, & ejus pœna, *hebd.* 1. *conſid.* 4. *hiſt.* Mortificatæ præmium, *ib.*

H.

HOminis finis ultimus, *hebd.* 1. *conſid.* 1.

Hominis nobilitas, *ib.* *Fructus.*

in Horto oratio Chriſti, *hebd.* 3. *conſid.* 2.

Hoſtibus ignoſcendum, *hebd.* 1. *conſid.* 7. *fruct.* 4.

Humilitas, *hebd.* 3. *conſid.* 1.

I.

JEjunans Chriſtus in deſerto, *hebd.* 2. *conſid.* 9.

Erga SS. Nomen JESU reverentia, *hebd.* 2. *conſid.* 5.

Ignoſcere nolens ſuo hoſti damnatur, *hebd.* 1. *conſid.* 7. *fruct.* 4.

Incarnatio Verbi Divini decreta, *hebd.* 2. *conſid.* 2.

Incarnati Verbi admirator Gabriel Archang. *hebd.* 2. *conſid.* 3. *hiſt.*

Indulgentiæ pro Exercitantibus plenariæ, *in fine operis.*

Infernus, *hebd.* 1. *conſid.* 14. & *in Append. hebd.* 1. *propoſ.* 7.

Inobedientia in rebus parvis magna, *hebd.* 1. *conſ.* 4. *fruct.*

Judicia DEI alia, alia hominum, *in Append. hebd.* 1. *propoſit.* 1.

Judicium particulare, *hebd.* 1. *conſ.* 11. Ejus timor ſalutaris, *hebd. conſ.* 11. *Fruct.* eſt rigidiſſimum, *ib. Hiſt.*

Judicium univerſale, *hebd.* 1. *conſ.* 13. *in Append. hebd.* 1. *propoſit.* 4.

Digitized by Google

L.

LAtronis converſio ,*hebd.* 1. *conſid.* 15. *hiſt.*
Latronum Senenſium converſio, *hebd.* 3. *conſ.* 3. *hiſt.*
Lavat Chriſtus pedes Apoſtolorum , *hebd.* 3. *conſi.* 1.
in Limbum deſcenſus Chriſti, *hebd.* 4. *conſid.* 1.
Linea rerum ultima Mors, *hebd.* 1. *conſi.* 10.

M.

B. MARIÆ Virgini & Matri apparet Filius reſurgens , *hebd.* 4. *conſi.* 3. Ejus cultus & amor, *ib. Fruct.* In eam Fiducia, *ib.* Salutatio angelica quàm præſtans oratio , *hebd.* 2. *conſid.* 3. *hiſt.*
Mariæ Bonaventuræ converſio ex primæ hebdomadæ meditationibus , *poſt* 1. *hebd. appendicem.*
Maria Ragia videt Chriſtum flagellatum , *heb.* 3. *conſid.* 3. *Hiſt.*
Media ad ultimum finem conſequendum, *hebd.* 1. *conſ.* 2.
à Momento uno pendet æternitas, *hebd.* 1. *conſid.* 15. *hiſt.* & in *append.* 1. *hebd. propoſ.* 6.
Momentum vita hominis juxta S. Auguſtinum, *hebd.* 1. *conſid.* 15. *hiſt.*
Mors, *hebd.* 1. *conſid.* 9. *& in append.* 1. *hebd. propoſ.* 2. Eſt Magiſtra morum, *hebd.* 1. *conſid.* 10. *Fruct.*
Mortis memoria ſalutaris, *hebd.* 1. *conſid.* 9. *Fructus.*
Mortis hora ſemper ſit ſuſpecta , *hebd.* 1. *conſid.* 9. *Fruct.*
Morientium etiam piorum anguſtiæ, *hebd.* 1. *conſ.* 9. *hiſt.*
Mors peccatorum peſſima , *hebd.* 1. *conſ.* 9. *hiſt.*
Mortale peccatum, *vide* Peccatum.
Mulier grande malum , *hebd.* 1. *conſ.* 4. *Fruct.*
Mundi & Rerum terrenarum contemptus , *hebd.* 1. *conſid.* 10. *Fruct.* Ejus fallacia, *hebd.* 3. *conſ.* 4. *Fruct.*

N.

NAtivitas Chriſti, *hebd.* 2. *conſid.* 4. In eam cultus, *ib. Hiſtoria.*

O.

OBſtinati mors infelix, *hebd.* 3. *conſid.* 5. *hiſt.*
Occaſionem peccandi fuga, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *fruct.* 7.
Odium peccati, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *fruct.* 1.
Odium peccati venialis. Ejus damna, *hebd.* 1. *conſ.* 8.
Oratio Chriſti in Horto, *hebd.* 3. *conſ.* 2.
Orationis Dominicæ præſtantia, *hebd.* 2. *conſ.* 3. *hiſt.*

P.

PArticulare judicium, *hebd.* 1. *conſ.* 11. Ejus timor ſalutaris, *ib. Fruct.* Rigidiſſimum, *ib. hiſt.*
Peccatum Angelorum, *hebd.* 1. *conſ.* 3.
Peccatum primorum parentum, *hebd.* 1. *conſ.* 4.
Peccati mortalis gravitas ob DEUM offenſum, *hebd.* 1. *conſ.* 5. ob damna, & pœnas, *hebd.* 1. *conſ.* 6. ob vilitatem hominis peccatis, *hebd.* 1. *conſ.* 7.
Peccatum fœdentiſſimum eſt, *hebd.* 1. *conſ.* 6. *Fructus.* Peccatores monſtra facit deformia, *ib.* objicit dæmonibus torquendos, *ib.*
Peccati venialis damna, *hebd.* 1. *conſ.* 8. Ejus odium, fuga, confeſſio, *ib.*
Peccatorum etiam minimorum fuga, *hebd.* 1. *conſ.* 12. *Fructus.*
Peccatorum mors peſſima, *hebd.* 1. *conſ.* 9. *Hiſt.*
Pedes Apoſtolorum lavat Chriſtus, *hebd.* 3. *conſ.* 1.
Pedum lavatio, *ib. Hiſt.*
Pictor ob impuram in juventute pictam imaginem dat pœnas in purgatorio &c. *hebd.* 1. *conſ.* 11. *Hiſt.*
Pœnitentia vera ſit, & tempeſtiva, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *fruct.* 2.
Profectus ſpiritualis cura, *hebd.* 2. *conſ.* 6. *Hiſt.*
Puerulus ob modica non reſtituta torquetur in purgatorio, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *Fruct.* 3.
Purgatorium, *hebd.* 1. *conſ.* 12. Atrocitas pœnarum, *ib. Hiſtor.*

Redemptio-

R.

REdemptionis beneficium, *hebd.* 4. *conſ.* 4.
Regni JESU Chriſti contemplatio. *hebd.* 1. *conſ.* 1.
Relapſus in peccatum mollitiei morte ſubita punitur, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *Fructu* 2.
Reſtitutio rei alienæ, *hebd.* 1. *conſ.* 7. *Fruct.* 3.
Reſurrectio Chriſti Domini, *hebd.* 4. *conſ.* 2.
Reſurgens Chriſtus apparet SS. Matri ſuæ, *hebd.* 4. *conſid.* 3.

S.

SAcerdotis impij mors infelix, *hebd.* 1. *conſ.* 9. *hiſt.*
Salutationis Angelicæ præſtantia, *hebd.* 2. *conſ.* 3, *hiſt.*
Sapricius nolens ignoſcere fit apoſtata, *hebd.* 1. *conſid.* 7. *fruct.* 4.
Sepulchrum eſt noſtrum domicilium, *in append. hebd.* 1. *propoſit.* 3.
Servire DEO regnare eſt, *hebd.* 1. *conſ.* 1. *Hiſt.*
Speculum laudabile, ac inſpiciendum, *hebd.* 3. *conſ.* 4. *hiſt.*
Spinea Chriſti corona, *hebd.* 3. *conſ.* 4. *hiſt.*
Superborum reprehenſio, *hebd.* 3. *conſ.* 5. *Fruct.*

T.

TEntatus Chriſtus in deſerto, *hebd.* 2. *conſid.* 9.
Tentationum utilitates, *ib. hiſt.*
S. Tereſia ex objecta Chriſti flagellati imagine emendatur, *hebd.* 3. *conſ.* 3. *hiſt.*
Terrena propter cœlum reſpuenda, *hebd.* 4. *conſ.* 6.
Timor mortis ſalutaris, *hebd.* 1. *conſ.* 9. *Fruct.*
Tormenta infernalia, *hebd.* 1. *conſ.* 14. *Hiſt.*

V.

VEnialis peccati damna, *hebd.* 1. *conſ.* 8. Ejus odium, fuga, confeſſio, *ib.*
Verbi Divini Incarnatio decreta, *hebd.* 2. *conſ.* 2.

de

Digitized by Google

de Vexillis duobus Meditatio, *hebd.* 2. *conſ.* 7. Ejus efficacia, *ib.*
Via ad cœlum aſpera, *Hebd.* 3. *conſ.* 4. *Fructus.*
Victoria oblata de gula ſuperata, *Hebd.* 1. *conſ.* 4. *Hiſt.*
Vita noſtra brevis eſt, *in append. Hebd.* 1. *propoſ.* 1.
Univerſale Judicium, *Hebd.* 1. *conſ.* 13.
Uſuarij damnatio, *Hebd.* 1. *conſ.* 7. *Fruct.* 3.
Vulnera Chriſti poſt mortem glorioſa, cur ſervata, *hebd.* 4. *conſ.* 2. *Sentent. & Hiſt.*

Z.

ZAchariæ Sutoris Sanctitas, *Hebd.* 2. *conſ.* 6. *Hiſt.*

FINIS.

Digitized by Google

Errata corrigenda.

Pag. 26. Verſ. 9. Formam, lege, Forſan.
Pag. 27. verſ penult. Deus Angelis peccantibus pepercit, lege, non pepercit.
Pag. 44. verſ. 14. Quis dabit vobis, lege, nobis.
eadem verſ. 16. In menſem venit, lege, in mentem.
eadem, verſ. eodem. porcíque & cæpæ, lege, porríque.
45. verſ. 17. & alia, lege, allia.
46. verſ. 17. Equiſio, lege, Equitio.
48. verſ. 10. ſabbas, lege, ſabas.
63. verſ. 25. atterrimi, lege, aterrimi.
64. verſ. 17. illi, lege, illo.
69. verſ. 16. ſecundum illum, lege, illud.
79. verſ. 4. nihilo, lege nihilum.
80. verſ. 1. Dein ſtilla, omittenda ſtilla, legendum, Dein.
eadem, verſ. 2. Gentes, quaſi ſitulæ, lege, quaſi ſtilla ſitulæ.
96. verſ. 6. apertè ut primum, lege, apertæ.
120. verſ. 26. Nunquid mali aliquid feci? lege: nunquam tibi malum aliquod feci.
122. verſ 22. uſq; ſuccedenſes, leg. ſuccendentes.
141. verſ. 13. peccatores Domini, leg. Domine.
152. verſ. gradu, lege, gradu 7.
169. verſ. 20. Infiniti erant, lege, infinitæ.
173. verſ. 3. uniuscujus, lege, uniuscujusque.
175. verſ. 17. uſque ad novam, lege, nonam.
197. verſ. 24. faciet quicquid. l. facies, quicquid.
208. verſ. 7. fructuum, lege, fruticum.
225. verſ. 7. Anima ad hanc vitam, lege, poſt hanc vitam.
232. verſ. 22. Coram D E I, lege, D E O.
241. verſ. 8. Triumphus expectaret, lege, te expectaret.
246. verſ. 3. Felicitatis everſos, lege, evectos.
verſ. 4. qui in altera, lege, quibus.
273. verſ. 21. me miſurum, lege, miſerum.

Pag 297.

Digitized by Google

Pag. 297. verſ. 17. Inter, lege, In te.
305. verſ. 19. obſervantiam, lege, obſervantia.
307. verſ. 20. ab initio perfectus fuit, lege, perfectiùs.
326. verſ. 9. quibus ſapere mihi poteſt, lege, nihil poteſt.
344. verſ. 6. Experiebatur, lege, opperiebatur.
356. verſ. antepenult. Obtinuerunt, lege, Obticuerunt.
367. verſ. 7. Agnes, lege, Agnus.
369. verſ. 18. vulneratus, lege, vulneraturus.
381. verſ. 6. flagella pectoris, lege, peccatoris.
411. verſ. 15. redimitu, lege, redimitus.
421. verſ. 9 ſanaſmis, lege, ſarcaſmis.
440. verſ. 5. in terrām jacens, lege, cadens.
477. verſ. 18. ſic carnem, lege, ſi carnem.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8–1

Digitized by Google